MAGICA,

Seu mirabilium historiarum

DE SPECTRIS ET APPARITIONIBVS SPIRITVVM:

Item,

De Magicis & Diabolicis incantationibus: De Miraculis, Oraculis, Vaticinijs, Diuinationibus, Prædictionibus, Visionibus, Reuelationibus, & alijs eiusmodi multis ac varijs præstigijs, ludibrijs, & imposturis malorum Dæmonum

LIBRI II.

EX PROBATIS, ET FIDE DIGNIS historiarum scriptoribus diligenter collecti.

1597

ISLEBIÆ,

Cura, Typis & sumptibus Henningi Grosij Bibl. Lips.

CVM PRIVILEGIO.

A. 2577

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO HEINRICO IULIO, Episcopo Halberstadensi, Duci Brunovicensi & Lunæburgensi, &c. Domino suo clementissimo S.

SAepè & multum in Reipub. deliberationibus cogitari à viris sapientissimis solet, Princeps Reverendissime & Illustrissime, Domine Clementissime, ecquænam hujus tuenda ratio sit, ita ut & turbulentis temporibus imminentia incommoda avertantur, & florente rerum statu, pax civium tranquillitasq; diutissimè conservetur: & quò quisq; prudentior est, ac societatis humanæ amantior, eò magis ab alijs curis domesticis animum abducit suum, & ad hasce de rep. consultationes convertit, quod ego non modo viri boni arbitror esse & civilis, verum etiam ho-

minis Christiani, quoniam magnus ille rerum omnium auctor & gubernator Deus ad futuram illam beatitatem, quam paravit nobis, non ducit quenquam, nisi per hanc mortalitatem: nemoq; adeò ad ævum illud sempiternum pervenire potest, nisi prius vitâ hac temporariâ defungatur. Positi enim in hac vita mortali sumus, ut hîc fundamenta jaciamus inter nos beatæ illius societatis, quæ jam hîc efflorescat ad æternam patriæ cœlestis felicitatem, & hac ratione animi nostri officijs hisce terrenis adsuefiant ad sempiternæ vitæ munera felicius obeunda. Nam hæc terrena & fragilis societas, consortio constans civili & consuetudine commerciorum, quasi quoddã simulachrum est perfectæ illius & sempiternæ reipub. quam in futuro ævo immortalis Deus constituet. Quamobrem non potest ulla melior & laudabilior ab homine politico cura suscipi, quàm si de salute civium suorum cogitet; & apud Ciceronem Scipio sempiterna vitæ cœlestis præmia pollicetur his, qui industriam, studium, laborẽ ac diligentiam suam omnem adjuvandæ augendæq; reip. causâ

in

in hac vitâ impenderint. Hoc verò dolendum est, multos viros bonos & Reip. amantes consilijs suis eam quam quærunt salutē Patriæ non semper adsequi: nam si quid in rebus humanis difficile est, utiq; difficilimum est constituere Respub. easq; ita informare, informatas regere, ne felicitate nimia obtorpescant, ociòve diffluant, aut ex contraria parte periculis exhauriantur, laboribus frangantur, bellis devastentur, sed pace diuturnâ, & (ut paucis multa comprehendam) perpetuâ tranquillitate perfruantur. Talem igitur virum, qui certa in hanc rem consilia suppeditaverit, haud sciò an ulla meminerit ætas, aut ullum imperium inde usq; à primo mundi exordio viderit. Nam omnes monarchiæ omnia Regna & potensſima & opulentisſima certis temporum spacijs floruerunt, posteaq; paulatim quasi senio confecta debilitari cæperunt viribus, & tandem planè interierunt, nec ullius ope consiliòve à ruina conservari aut ab interitu vindicari potuerunt. Quamobrem etsi omnis de repub. supervacanea videri posset cogitatio, eò quod stabilitatem aliquam

nō habeant consilia humana, statumq; Reip. successu perpetuo florentem præstare nequeant; non tamen ob id omnem eius curam deponendam esse viri prudentes arbitrantur, ne fracti animo atq; abiecti locum à Deo immortali adsignatum deserere velle videamur. Ergò si æternam in hac vitâ iustituere remp. non liceat, cogitemus saltem qua ratione pacatam habeamus, quâ in deliberatione, ut in principio dixi, omni tempore sapientissimorum hominum cura cogitatioq; versata est. Plato is, qui Rempub. exactam commentarijs suis informauit, fundamenta eius ferè posuit in studio Philosophiæ, credititq; tum demum beatas fore respub. si hi qui eas regerent literis doctrinisq; essent dediti. Quanquam verò optimis disciplinis artibusq; ingenuis carere, ob usus varietatem nulla resp. posuit, plura tamen & fortasse etiam majora desideraret alius, qui non ad ocia literarum, sed ad bellicas laudes gloriam imperij sui traducendam putaret. Quòd si verò maximarum civitatum & regnorum florentissimorum ortus obitusq; ex historiarum monu-

mentis repetere volumus, atq; cum his etiam conferre memoriam temporum nostrorum, nihil tam insigne & ad diuturnitatem reip. stabile esse reperiemus quàm Relligionem aut saltem opinionem relligionis, quæ omni tempore maximè dignitatem Reip. augere potuit, atq; tueri auctoritatem magistratus defendere, fidemq; subditorum retinere & confirmare. Nam si diligenter instillatus sit animis civium relligionis metus, ita ut in omni negocio maximè rationem habendam esse arbitrentur cultus Deorum, nihilq; à gubernatoribus aut sanciatur aut præcipiatur, quod non aliquam præ se ferat auctoritatem numinis divini: tum omnia summa cum devotione accipiuntur, summo studio efficiuntur; relligioni obtemperant omnes, nemo refragatur, bonos ad obsequendum allicit pietas, improbos metus cogit, quinimò etiam barbaræ ac planè indomitæ nationes hac solâ viâ ad imperij suscipienda juga flectuntur: nam etsi aliâs innata illa animi vitæq; feritas omnem doctrinam & mansuetudinem respuat, tamen ab opinione cultuq; Deorum

alieni non ſunt, quos etiam eò majore ſtudio colunt ac venerantur, quò ſunt in cæteris rebus omnibus efferatiores. Quamobrem nemo facilè invenitur, qui, etſi hominum judicia pœnasq; non pertimeſcat, Deo tamen immortali ſeſe non libenter ſubmittat, Itaq; ſapientiſsimi quiq; Reges ac Principes ſemper dignitatem ſuam relligione Dei immortalis ſtabiliverunt. Moſes ut Iudæos ex Aegypto educeret, vitamq; eorum diſſolutam adhuc & vagam, legibus certis adſtringeret, auctoritate Iehouæ uſus eſt, unde poſtea conſuetudo emanavit apud gentem ſacram, ut quoties opus eſſet, de rebus neceſſarijs Iehova conſuleretur, atq; omnia juſſa magiſtratuum ejus nomine promulgarentur, quem morem deinde aliæ gentes ſuperſtitioſa quadam æmulatione imitatæ ſunt. Lycurgus enim, cum Lacedæmonijs leges tuliſſet, Apollinis ſeſe de ijs oraculum exquiſiturum civibus perſuaſit, eosq; juramento adſtrinxit, ne ab ijsdem diſcederent, donec reverteretur, quâ jurisjurãdi religione hoc obtinuit, ut per quingentos amplius annos legibus eius reſpub. Lacedæ-

moniorum floruerit. Numa Pompilius alter Romanorum Rex, ut populi Rom. animos Romuli disciplinâ ferocientes ad mansuetudinem institutis suis traduceret, cum Aegeria Dea congressus nocturnos simulabat. Quintus Sertorius milites habuit promptissimos, eò, quòd sese à Deo per cervam de successu rerum suarum certiorem fieri prædicaret. Et sanè hac una re maximè dilatata est potentia populi Rom. quòd in omnibus auguriorum aliorumq; rituum sacrorum diligenter rationem habuerint, quibus usq; adeò incubuerunt, ut ne minimum quidem susciperent, quod non cum quadam opinione relligionis conjunctum esset, quæ res effecit, ut ubi persuasum haberent seu augurum admonitu, seu ducum confidentia, successus fore secundos, tum confirmati animo, ac quasi certi jam de exitu optato audacter instituta persequerentur, etsi nonnunquam mors haud dubia ob oculos versaretur, quæ sanè seu fortitudo, seu magnanimitas, seu pertinacia, seu quo alio dicenda videtur nomine, nunquam adeò valenter animos eorum potuisset occupare, nisi

prius superstitiosum quendam & pertinacem relligionis ardorem imbibissent.

Et verò Dæmones quoq; hanc consectantur rationem sui inter homines imperij tuendi, quod ipsis quidem eò muniendum est valentius, quò magis hominum generi exosi sunt, magnaq́; inprimis ac subtili arte opus est, ut in officio retineant, quos semel sibi nefarià superstitione devinxerunt. Itaq; ut auctoritatem suam apud homines defendant, neminiq; in orbe cedere videantur potestate atq; imperio, semper fraudibus atq; impietati suæ speciē sacro sanctæ relligionis prætexunt. Hinc oracula, hinc prædictiones atq; auguria: Hinc somnia, visiones, revelationes: hinc apparitiones geniorum, spectrorum, lemurum, manium: hinc illusiones, præstigiæ, deceptiones, & si quæ finitimæ ac propinquę sunt his ac talibus Dæmonum fraudibus atq; imposturis: quæ omnia eò fiunt, ut homines imprudentes atq; ignari improbissimæ calliditatis, rerum incredibilium, quas se efficere Diabolus simulat, admirationis adducti, ei sese addicant, eumq́; quasi numen aliquod cœleste venerentur.

Hac admirabili imposturâ cum omnia literarum monumenta referta sint, tum non ita pridem in Bibliotheca quadam reperi commentarium, in quem ferè omnia quæ passim ejus rei apud scriptores reperiantur exempla congesta sunt, librisq; duobus compræhensa, autore incognito; quæ cum ad patefaciendas Sathanæ fraudes magnoperè profutura videantur, magnum me subsidium allaturum putabam, Iurisperitis cæterisq quibus de magorum ac lamiarum maleficijs cognoscendum judicandumq; est, si libros eos sumptibus meis in publicum offerrem. Confirmavit eam in me voluntatem postea etiam sacrarum rerum cogitatio; arbitrabar enim hasce historias valdè quoq; commodas fore ijs, quorum in vero Dei cultu explicando sacra versatur occupatio, quibus hîc quasi quædam sylua proponitur deligendorum exemplorum, quibus auditores ab ejuscemodi horrendis ac diabolicis flagicijs absterreant, et ad pietatem cohortentur. Cuilibet certè etiam in domestica vita magno ad informandam familiam adjumento est, nosse exitus & horribiles casus eorum

qui

qui hasce dæmonum spectrorumq; fraudes sectati sunt.

Sed enim dum patronum quæro operi huic typis publicis prodeunti, neminem præter Inclytam Celsitudinẽ tuam reperio, Princeps Reuerendissime atq; Illustrissime, cui id magis adscribendum videatur. Nam primum Inclyta Celsitudo tua cum omnes alias artes ingenuas ac liberales, tum inprimis Typographiam magnoperè fovet, eosq́;, qui huic dediti sunt, omni clemẽtia ac liberalitate complectitur. Deinde verò etiã Inclytæ Celsitudinis tuæ civis ego sum ac subditus, quamobrem meritò quicquid à me præstari possit, id omne Inclytæ Celsitudini tuæ Principi & Patri Patriæ meæ debetur: & verò aliâs quoq; eximia Clementiæ suæ monumenta Inclyta Celsitudo tua in me exstare voluit, eaq; non ita pridem nova testificatione confirmavit, quæ sola magna ratio est, quamobrẽ memorem me aliquando gratumq; Inclytæ Celsitudini tuæ debeam ostendere. His accedit, quòd cum superioribus temporibus in populum Christianum haud leviter profuderit Satha-

nas virus illud abominandæ impietatis suæ, tum præter cæteros Inclyta Celsit. tua severitatem Iudiciorum ad sceleratam sagarum manum converterit, ut omnes eos, qui sese ministerio Diaboli ad disciplinas eius impias perdiscendas exercendasq; nefario scelere obligavissent, pœnis meritis prosequeretur, atq; è provincijs suis imposturas illas Dæmonum funditus extirparet. Cum ergò libris hisce artes & præstigię Dæmonum non obscurè patefiant, ei certè inprimis exhibendi sunt, qui omni operâ studioq; in id incumbit, quò illæ & detegantur & debitâ animadversione coherceantur.

Quamobrem opus hoc Theologis percommodum, Iurisconsultis necessarium, atq; adeò universæ reip. Christianæ, ut arbitror, utilissimum, Inclytæ Celsitudini tuæ humillimâ animi submissione offero, ut meæ sit testimonium gratitudinis atq; observantiæ, oroq; supplex Inclyta Celsit. tua æqua id & benigna fronte accipiat: quamq; semel erga me concepit voluntatem præclaram, eam posthac pro innata sua & digna Heroe clementiâ tueatur: ut sub Inclyto Celsitudinis tuæ nomine opus hoc cò tutius oculos hominum subeat, mihiq; animum augeat & confirmet ad alia huius generis scripta præclara producenda, qualc inter cætera sunt, HISTORIAE TRAGICAE pari fide ac diligentiâ ex optimis scriptoribus ab eodem, ut auguror, autore congestæ duobusq; libris distinctæ. Equidem quod in me est & utilem reipub. Christianæ civem me præstabo, & inprimis

Incly-

Inclytæ Cels. tuæ, ſummi Patriæ meæ Magiſtratus, Principis ſapientiſsimi, Domini mei clementiſsimi omni ſtudio cultu & veneratione obſervantem. Summus orbis terrarum moderator, immortalis Deus, Reuerendiſsimæ & Illuſtriſsimæ Celſit. tuæ vitam diturnam, valetudinem proſperam & florentiſsimam gubernationem largiatur. Lipſiæ Nonis Octob. Anno M. D. XCVI.

Reverendiſsimæ & Illuſtriſsimæ Celſit. tuæ

Subiectiſsimus & obſequentiſsimus civis

Henningus Groſius, Bibliopol.

CATALOGVS AVTORVM E QVIBVS HISTORIÆ ATQVE Exempla iſta congeſta ſunt.

A.

Adon Viennenſis.
Aelianus
Aemilius.
Aeneas Sylvius.
Agatinus.
Alexander ab Alexandro.
Antonius Beneventus.
Antonius de Turquemada.
Apolonius.
Apuleius.
Artunus.
Athenæus.
Aventinus.
Auguſtinus.

B.

Bartholomæus Bononienſis.
Benno Cardinalis.
Blondus.
Bonfinius.

C.

Caſpar Goldvvurm.
Caſpar Peucerus.
Caſsiodorus Remius.
Carolus Magnus.
Catalogus Treverenſis.
Cœlius.
Cedrenus.
Chronicon Caſsinenſe.
Chronicon Helvetiæ.
Chronicon Saxoniæ.
Cicero.
Collenutius.
Cromerus.
Cuſpinianus.

D Ctys.

D.

Dictys.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dion Casſius.
Dion Nicæus.
Doſithæus.

E.

Egnatius.
Eraſmus Roterodamus.
Evagrius.
Eunapius.
Euſebius.
Euſtachius.

F.

Franciſcus Petrarcha.
Francius.
Fulgoſus.

G.

Gellius.
Georgius Agricola.
Georgius Sabinus.
Gilbertus Cognatus.
Gregoras.
Gregorius Turonenſis.
Gulielmus Mamulsbrucienſis.

H.

Haithonus Armenus.
Heinricus Erfordienſis.
Heinricus Colonienſis.
Hermanus Gygas.
Hadriani Chronicon.
Herodotus.
Hector Boethus.
Hieronymus.
Hierionymus Catdanus.
Homerus.

I.

Iacobus Meyer.
Ioannes Meyer.
Iacobus Ruffus.
Iaſon Pratenſis.
Ioannes Bodinus.
Ioachimus Camerarius.
Ioannes Agricola.
Ioannes Langius.
Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus.
Ioannes Magus.
Ioannes Vierus.
Ioannes Saxo Grammat.
Ioannes Trithemius.
Iodocus Darmudanus.
Ioſephus.
Iobus Fincelius.
Ioannes Fincelius.

L.

Laurentius Valla.
Leonides.
Lilius Gregorius Gyraldus.
Livius
Ludovicus Guicuardinus.
Lycoſthenes.

M.

Macrobius.
Malleus Maleficarum
Manlius.
Martinus Lutherus.
Marulus.

Mamel-

Mamelburiensis.
M. Fritschius.
M. Paulus Venetus.
Metaphrastes.
Munsteri Cosmographia.
Mutius.

N.

Natalis Comes.
Nauclerus.
Nicephorus.
Nicetas.
Nicolaus.

O.

Olaus Magnus.
Ovidius.

P.

Paulus Grillandus.
Paulus Aemilius.
Paulus Iovius.
Paulus Diaconns.
Paschasius.
Pausanias.
Petrus Mamorius.
Petrus Ciezus.
Philippus Melanthon.
Philostratus.
Platina.
Plinius.
Plutarchus.
Pollux.
Polydorus Virgilius.
Pontanus.

R.

Rabanus.
Ranulphus.
Regino.
Robertus Gagvinus.
Rutilius.

S.

Sabellicus.
Schaffnaburgensis.
Servius.
Severus Sulpitius.
Sigebertus.
Sleidanus.
Socrates.
Sozomenus.
Statius.
Stobæus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.

T.

Theodoretus.
Theodoricus Gresmundus.
Theopompus.
Thomas Patriarcha Barbasiensis.
Turpinus Remensis.

V.

Valerius Maximus.
Vincentius.
Vlricus Molitor.
Volaterranus.
Vopiscus.
Vrbanus.
Vrspergensis.
VVernerus.

X.

Xiphilinus.

Z.

Zonaras.

Mira-

MIRABILIVM HISTORIARVM DE SPECTRIS, ET VARIIS PRÆSTIGIIS DÆMONVM.

Liber primus.

MARCVS BRVTVS & Cassius Cæsaris interfectores, Sardeis cōuenerunt. Cum transmissuri ex Asia essent, tetrum ostentum dicitur Bruto factum. Fuit natura ille vigilans, & somnum in exigui temporis portionem laboribus & continentia contrahebat. Interdiu quiescebat nunquam: noctu tantisper, dum omnibus sopitis, nihil esset omninò quod ageret, aut qui cum colloqueretur. Tunc autem bello conflato tractans ea, quæ ad summam rerum pertinebant, curaq; in euentum intentus, cum primum vesperi à cœna indulsisset paulisper somno, reliquum noctis negotijs vrgentibus tribuebat. Quod si absoluisset id muneris, librum vsq; ad tertiam vigiliam voluebat, quo tempore Centuriones & Tribuni consueuerant eum adire. Cum igitur traiecturus ex Asia esset exercitus, noctis conticinio luna non admodum lucebat, totus autem exercitus tenebatur silentio. Brutus verò voluens aliquid animo, & reputans secum, visus est aliquem ingredientem sentire. Respiciens ad ianuam, Spe-

ctrum cernit dirum & prodigiosum, immanis & horrendi corporis, silentio sibi assistentis. Sustinens rogare, Quisnam, inquit, aut hominum, aut Deorum es? aut qua de causa ad nos venisti? Subiecit ei Spectrum: Tuus sum, Brute, malus genius, in Philippis me videbis. Cui nihil perculsus Brutus: Videbo, inquit. Eo ex oculis elapso, pueros suos vocauit, qui neq; se audiuisse vocem asseruerunt, neq; conspexisse visionem vllam. Ac tunc quidem iterum Brutus lucubrauit. Vbi diluxit, ad Cassium profectus, narrauit ei speciem illam. Philippis occiso Cassio, cum victor ad secundum prælium descendere pararet, in quo victus est, nocte Spectrum illud referunt, iterum Bruto obseruatum, eandemq; repræsentans visionem nihil locutum, sed dilapsum fuisse. Plutarchus in Bruto.

APVD Actium M. Antonij fractis opibus, Cas*sius Parmensis, qui partes eius secutus fuerat, Athenas confugit. Vbi concubia nocte, cum solicitudinibus & curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalida barba, & capillo demisso: interrogatumq;, Quis nam esset? Respondisse:* κακοδαίμονα. *Perterritus deinde tam tetro visu & nomine horrendo, seruos inclamauit, sciscitatusq; est, si quem talis habitus, aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidissent? Quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti & somno se dedit: atq; eadem animo eius obuersata est species. Itaq; fugato somno, lumen introferri iussit, puerosq; à se discedere vetuit. Inter hanc noctem, & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paruulum admodum tempus intercessit. Valerius Max. lib. 1. cap. 7. & Sueton. in Aug. & Plutarch. in vita Antonij.*

Dion Syracusanus, liberatis Syracusis, paulò *ante, quàm à Calippo interficeretur, sedebat fortè diei sero domi in porticu cogitabundus. Ibi strepitu repente facto, respiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem, conspexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat scopis domum. Ille vehementer perculsus & trepidans acciuit amicos, visumq; ijs narrauit, atq; orauit, apud se, vt permanerent & pernoctarent, quòd plane extorpesceret, timens, ne si solum reliquissent, iterum sibi obuersaretur monstrum. Cæterùm id non est reuersum: sed filius eius ferè adultus, per dolorem aliquem animi & iram, ex parua & puerili ortam occasione, de fastigio domus præcipitauit se in caput, & interijt. Plutarchus in Dione.*

Alexander III. Scotorum Rex, Ioannam Hen*rici tertij Anglorum Regis sororem in matrimonium habuit. Qua sine filijs mortua, Margaritam eius Regis filiam rursus in matrimonium duxit, ex qua Alexandrum, Dauidem, & Margaritam suscepit. Quibus omnibus morte sublatis, ipse Rex non abiecta penitus successionis spe, Iolantam filiam Comitis Draconensis, tertiò sibi despondit. Dum noctu festum celebraretur, videt mortui Spectrum in fine choreæ saltare. Eodem anno Rex ab equo excussus & occisus est: hinc clades & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioqui Regnum euerterunt. Contigit hoc anno salutis M. C C. L. Cardanus de Rerum varietate, lib. 16. cap. 93.*

Est familia nobilis, ac inter primas Parmæ, *Tortellorum nuncupata, possidens arcem, in qua aula est. In ea sub camino solet videri anus iam centum annis, quo-*

ties è familia aliquis obiturus est. Referebat mihi aliquando illustris matrona Paula Barbiana, quæ ex ea familia erat, dum unà cœnaremus Belzoiosij, quandam puellam ægrotâsse, visam anum, existimâsse omnes illam perituram: at contrà accidit, seruata enim est: sed alius incolumis repentè è familia mortuus est. Referunt hanc anum, cuius nunc umbra videtur, olim fuisse prædiuitem, & ob pecunias interfectam à nepotibus suis, & in frusta diuisam, proiectamq; in latrinam. Cardanus ibidem.

ANTONIUS URCEUS Codrus Grammaticus *Brixiensis, nocte quam ultimam in terris egit, videbatur sibi videre quendam ingenti magnitudine, capite raso, barba ad terram usq; promissa, ardentibus oculis, faces in utraq; manu gestantem, ac toto corpore tremebundum, eumq; his allocutus est verbis: Quisnam tu es, qui solus fuirali habitu, ea noctis parte, qua mortales somno altissimo premuntur, deambules? effare quid quæras? aut quò ire pergas? Hæc cum dixisset, è strato prosiluit, quasi illum in se ruentem vitaturus. Bartholomæus Bononiensis in eius vita.*

IACOBUS DONATUS Patricius Venetus ac *diues, cum nocte quadam cum uxore dormiens cereum accensum haberet, atq; in curuli lecto dormirent duæ nutrices cum infante qui nondum annum expleuerat, vidit ostium cubiculi sensim aperiri, inde hominem, nescio quem, caput intromittere: viderant autem & nutrices, sed nemo faciem illius agnouit. Territus adolescens, ut par erat, surrexit, arripuit ensem, clypeumq;, nutrices singulæ cereos magnos: id in aulam quæ contermino erat cubiculo, ubi clausa omnia. Reuertitur magna cum admi-*

ratione.

ratione. Infantulus, qui incolumis erat, altera die mortuus est. Cardanus de Rerum varietate, lib. 16. cap. 93.

CVM Adrumeti, quæ ciuitas est Africæ, Cursius *Ruffus, penes Quæstorem, in eius familia, nulla insignis dignitate ageret, per meridiem in porticu deambulans, fœmineam vmbram augustiore forma, longè supra humanam, vidit, à qua hæc verba accepit: Tu Ruffus es, qui in hanc prouinciam Proconsul venies. Eo prodigio ad bonam spem erectus, haud multò pòst à Tiberio Cæsare Africæ Proconsulatum obtinuit. Id quod visionis euentum impleuit. Fulgosus lib. 1. cap. 6.*

EDVINVS Allæ Deiorum Regis F. (quæ pars *est Northumbriæ in Anglia) ab Ethelfredo Northumbrorum Rege in exilium missus ad Redoualdum Orientalium Anglorum Regem confugit. Paulò pòst cum ab Ethelfredo per legatos ad mortem peteretur, cœpit de salute multum laborare. Nocte intempesta quidam vultus habitusq́; incogniti, cum eo congressus, petijt ecquid muneris daret, si rem nunciaret, quæ eius animum omni penitus mœrore liberaret? Ad ea Eduinus respondit, quicquid esset quod iure desideraret, in ipsiusq́; manu foret, se vltrò daturum. Tum ille prædixit fore, vt primùm ex insidijs inimici euaderet, deinde regnum auitum recuperaret, illudq́; victis hostibus, longè lateq́; amplificaret: mox super verticem capitis manu imposita, inquit: Quoties quispiam, simul atque rerum potitus fueris, Eduine, ad te adiuerit, capitiq́; tuo manum itidem admouerit, sis tunc demum fidei seruandæ memor. His dictis, repentè euanuit. Oblectatus mirandum in modum adolescens eo oraculo, rem tacitus secum diu animo reuoluens, nulli patefacere est ausus. Cæte-*

rum interfecto Ethelfredo in regnũ reductus à Redoualdo, ab Ethelberga vxore, ſorore Edbaldi Cantiorum Regis, ad Chriſtianam religionem amplexandam admonitus, cum de induſtria negotium extraheret, nulliusq́ monitis flecteretur, Paulinus vir ſanctus, qui diu rogando nihil profecerat, interim ſupernè, vti credere par eſt, de oraculo doctus, ad eum, qui Eboraci morabatur, acceſſit, capitiq́ ſanctiſſimam manum admouens, petijt, vt recordaretur quid illud portenderet. Eduinus miro Oraculi ſucceſſu territus, ſine vlla mora ad pedes Antiſtiti iacuit, & cum ſuis ſacro fonte lotus eſt, anno 627. Polydor. lib. 4. hiſt. Angl.

MACHABAEVS amitinus, Regis Scotiæ Dun*cani, & Banquho Stuart Forres vir ſtrenuus, per ſiluas proficiſcentes ad Regem, obuiam tres habuere mulieres inſolita facie. Quarum vna inquit: Salue Machabæe thane glammis, hoc nomen erat Dignitatis, quam nuper acceperat. Altera verò inquit: Salue Caldarie thane. Tertia verò: Salue Machabæe olim Rex future. Tum Banquho: Et vos, inquit, quæcunq́ eſtis, parum propitiæ videmini, quæ huic præter optimos Magiſtratus, etiam Regnum defertis, nec mihi quicquam. Ad ea, quæ prima fuerat, reſpondit: Imò tibi longè maiora, quàm huic nunciamus: Nam hic quidem regnabit, verum infauſto exitu, neminem poſt ſe ex ſuis poſteris Regem relicturus: At tu longa nepotum ſerie, quæ Regnum obtinebit (licet tu Rex futurus non ſis) relicta, decedes. His dictis, è conſpectu ſe proripuerunt. Vana primò viſa ſunt hæc, ſed vbi Machabæus Caldarius primum (id nomen dignitatis apud Scotos) inde Rex factus eſt præter ſpem, occiſo Rege Duncano, cui erant filij duo, memor oſtenti, conatus eſt Banquhonem, & vni-*

cum

cum eius filium Fleanchem, ad cœnam inuitatos, occidere. Occiso patre, tenebrarum suffragio filius euasit. Tandem à Malcolmo, tertio Duncani filio, Machabæus occisus est, & post multas stirpes, Regnũ in familiam & pronepotes Banquhonis Stuart, apud cuius stirpis puellam adhuc manet, translatum est. Cardan. lib. 16. cap. 93. ex Hectore Boëtho.

HOTHERVS Rex Sueonum & Danorum, inter *venandum à comitibus diuulsus, in antro quodam Nympharum chorum vidit. Quæ illi prospera omnia pollicitæ sunt, & hortatæ, ne Balderum Danorum Regem, magum insignem, arcano superum semine procreatum armis lacesseret. His dictis repente euanuerunt, & Hothenem, qui in spem se esse putabat, in patulo campo solum reliquerunt. Post aliquot annos, cum infeliciter contra Balderũ pugnasset, & in easdem, vti videbatur, Nymphas incidisset, gestarum infeliciter rerũ fortunam, tristesq; casus deflere cœpit, secus sibi cessisse quæstus, quàm ab ipsis promissum accepisset. Et Nymphæ eum, quanquam rarò victor extiterit, æquam tamen hostibus cladem ingessisse dicebant: cæterum affuturã victoriam, si edulium augendis inimici viribus excogitatum præripere posset. Sic dimissus vires reparat. Dum ergo hostium castra obseruat, vidit egredi tres Nymphas, arcanæ dapis gerulas. Quas cursim insequens tandem tecta, quibus assueuerant, subit, citharæq; (cuius peritissimus erat) dulcissimo ministerio, accurati nitoris cingulum, potentemq; victoriæ Zonam ab eis obtinuit: atq; itinere, quo venerat, repetito, hostem obuium fudit, vt postridie Proserpinæ, quæ sibi per quietem astare aspecta est, transmitteretur. Olaus Magnus lib. 3. cap. 10.*

C. IVLIVS CAESAR, bello ciuili ad Rubico-

nis ripam progressus, paululùm substitisse fertur, secum, reputans, quantam cladem eius fluminis transitus humano generi importaret, feruntq́ cunctanti tale ostentum illi oblatum. Quidam eximia magnitudine in proximo sedens apparuit, fistula ex calamis compacta canens, ad quem audiendum cum præter pastores ex militibus quoque plurimi accurrissent, atq́ inter eos æneatores quidam: rapta ab vno tuba, in fluuium prosiluit, ingentiq́ spiritu classicum exorsus, ad vlteriorem pertendit ripam. Tum Cæsar: Eatur, inquit, quò Deorum ostenta vocant, & inimicorum iniquitas. Iacta est alea. Sabellicus libro 7. Ennead. 6.

PELOPIDAS præfectus sacræ cohortis Thebanorum *vidit Scedasi filias (quarum sepulchra in Leuctrico campo erant, vbi ille tunc castra habebat) circũ sepulchra lamentantes, & Lacedæmonijs diras imprecantes: Ipsum autem Scedasum patrem (quem multò antè, cum tam atrocis facinoris vindictam non impetrasset, execrationibus in Lacedæmonios peractis, sese ad filiarum tumulum iugulârat) sibi præcipere, vt si victoriam de Lacedæmonijs expeteret, ruffam virginem filiabus suis immolaret. Sed cum hoc barbarum ei sacrum esse videretur, humana victima Deos placare, & animi dubius esset, equa nullum adhuc coitum experta, vt à grege aufugerat, eò loci, vbi consultabatur, constitit. Quam dum Theocritus vates fuluo colore rutilantem, ceruiceq́ erecta lasciuientem & hinnientem vidisset, Pelopidam alta voce compellauit, adesse ei victimam, neq́ aliam virginem expectandam. Proinde equam ad sepulchra virginum redimitam coronis adducunt, & immolant. Mox inito prælio, memorabilem illam*

cladem

cladem Leuctricam Lacedæmonijs, Bœotarcho Epaminonda, & Pelopida præfecto intulerunt. Plutarchus in Pelopida.

CVM noctu Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, *sub Leone Magno Imperatore ad altare astaret, & preces ad Deum pro mundo funderet, spectrum quoddam Dæmoniacum visum est, quod crucis signo ab eo repulsum, humana voce ita illi respondit: Illo quidem viuo se cessurum atq; quieturum, postea verò modis omnibus Ecclesiam perturbaturum. Nicephorus lib. 15. cap. 23. Suidas. Cedrenus.*

HAVD multò antè quàm Henricus VII. Imperator *moreretur, non sine Vicecomitum gentis clade, vt Musatus Patauinus, & Franciscus Petrarcha scribunt, Mediolani in area ædium Matthæi Vicecomitis, qui Magni cognomentum meruit, post solis occasum visus est equus armatus, longè humana specie maior: vbi à multis conspectus per horæ spacium, postea euanuit, magno eorum qui rem viderant horrore. Triduo quoq; pòst, tertia hora, eodem in loco duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti euanuerunt. Sabellicus libro 1. cap. 4.*

MERCATORES duo non ignobiles, per *Taurinos saltus in Galliam profecturi, ampliorem humana specie virum obuium habuerunt, accersitiq; repentè, ab illo mandatum in hæc verba suscepêre: Ludouicum Sfortiam fratrem meum alloquimini, hasq; illi literas nomine meo date. Obstupentibus illis, ac percunctantibus, Quisnam esset? sese Galeacium Sfortiam esse respondit, & mox ab oculis eorum euanuit. Illi properè Mediolanum rediêre, inde Vigleuanum, vbi Maurus agebat. Literas Duci offe-*

runt, ab aulicis irridentur. At cum pertinaciter in nuncio persisterent, in carceres coniecti, & tormentis examinati, nihil fraudis subesse constantia sua declarârunt. Magno intereà metu & consternatione de aperiendis literis consultabatur. Dubitantibus cæteris, vnus Galeacius Vicecomes id ausus est. Charta erat in Pontificij breui (vt vocant) modum complicata, oblonga, clauiculo tenuissimis filis æneis obserata. Cuius verba hæc erant: O, ô, ô Ludouice, caue tibi, quoniam Veneti Galliq; tuam in perniciem coituri sunt, tuamq; à stirpe rem euersuri. Verum si mihi tria aureorum millia dederis, dabo operam, vt conciliatis spiritibus, sinistra fata auertantur, idq; consecuturum spero, si mihi non aduersatus annueris. Vale. Subscriptio erat: Galeacij fratris tui spiritus. Hîc attonitis alijs rei nouitate, alijs commentum irridentibis, plerisq; pecuniam deponendam esse sub custodia affirmantibus: ne tamen seipsum ludibrio exponeret, à superstitiosa hac largitione princeps abstinuit, & mercatores domum remisit. Cæterum non multò pòst, à Ludouico XII. Gallorum Rege principatu deiectus, & captiuus abductus est. Artunus Section I. historiæ Mediolanens. oculatus testis.

LVDOVICI ALODISII pater, qui Imolæ re*rum potitus est, haud diu posteaquam decesserat, homini à secretis, quem filius Ludouicus Ferrariam mittebat, in itinere, equo insidens cum accipitre (vt in aucupio mos ei erat tenere) apparuit, huicq; quanquam magna capto formidine dixit, vt filium moneret, vt postero die in eum ipsum veniret locum, quoniam magni momenti rem ei prædictum erat. Ea re audita Ludouicus tum quia non credebat, tum quia insidias verebatur, alium pro se misit. Ei illa ipsa vm-*

bra,

bra, quæ ante apparuerat, obuiam facta, vehementer indoluit, quod filius non venisset: longè enim plura ei dicturum se fuisse affirmabat. Sed tunc illud tantũ referri iussit, quòd transacto scil. 22. anno, ac præterea vno mense, die quoq; specifice addito, Vrbis imperium, quod obtinebat, esset amissurus. Vt tempus, quod vmbra prædixerat, aduenit, adhibita magna cura, ea ipsa nocte, quã patris manes suspectam fecerant, Ducis Philippi Mediolanensis (cui is fœdere iunctus, propterea ab eo non timebat) milites glacie magna constrictis fossis ad muros penetrârũt, adhibitisq; scalis, vrbem cum ipso principe ceperunt. Sabell. li. 1. c. 4. Exempl.

ANTEQVAM Byzantium ab immanissimis Turcis *terra mariq; oppugnaretur, compertum est apud Comum citerioris Galliæ vrbem, vergente ad occasum die, ingentem canum multitudinem per aëra ferri, postq; diuersorum pecorum armenta, species peditum primò leuis armaturæ, deinde hastatos scutatosq; subsequi, equitesq; in turmas diuisos ingenti instructa acie prosequutos, horis fermè tribus imaginem aduentantis exercitus præbuisse. Demum corpore procero immanem & formidabilem hominem, supra quàm dici possit, veluti exercitus ductorem terribili equo insidentem, processisse, aliaq; ludibria oculorum per inane apparuisse, ingentium malorum prænuncia, donec nocte appetente, visio omnis illa dilapsa est. Quæ ostenta futurum excidium, cedem & calamitatem, quæ postea vrgentibus fatis secuta sunt, præsignâsse nemo dubitauit. Alexander lib. 3. cap. 15.*

ANNO secundo Mauritij, iuxta Sigeberti Chronicon, *Antiochia diuinitus euersa est. Vidit quidam ex ciuibus, vir pius & liberalis, largusq; in erogandis eleemo-*

ſynis, ſeniorem albo indutum veſtimento, cum duobus ſocijs ſtantem in medio vrbis, ſudarium, quod manibus gerebat, excutientem ſuper mediam ciuitatis partem, quæ ſubitò cum ædificijs & hominibus euerſa eſt. Vix autem retineri poterat à duobus ſocijs, quo minus ſudarium ſuper reliquam quoq; vrbis partem, quæ incolumis ſtabat, excuteret. Cum virum hunc blandis verbis eſſet conſolatus, vltrà non eſt viſus.

ANNO Domini 1536. negotiator quidam Siculus *Catana Meſſanam vigeſima prima Martij proficiſcens, eius diei veſpere apud Taurominium diuertit. Inde mane diei ſequentis iter ſuum pergens, nõ longe ab oppido obuios habuit circiter decem, vt illi tum videbatur, fabros cæmentarios cum ſuis ferramentis. Qui rogati quò tenderent, aiebant, ſe Aetnam (vulgus montem Gibellum vocat) petere. Nec ita multò pòſt in parem eiuſdem generis numerum incidit, qui & ipſi interrogati, reſponderunt quod priores, Se à mancipe ſuo in Aetnam ædificij cuiuſdam gratia miſſos. Rogati quem mancipem dicerent? aiunt illud modico interuallo ſequi: pauloq; pòſt offendit in itinere virum ſtatura ſupra vulgarem modum procera, coma ſimul & barba perquàm prolixa, & quouis coruo nigriore. Vulcanus videri poterat, ſi claudus fuiſſet. Is nulla ſalutatione præmiſſa, rogat negociatorem, an per eam viam ſuas operas vidiſſet? Reſpondit, vidiſſe quoſdam, qui ſe in Aetnam ædificatum ire dicerent, verùm neſcire cuiuſnam eſſent operæ: quod ſi ipſe architectus eſſet, cupere ſe cognoſcere, quid ædificij animo deſtinaſſet, aut qua ratione id aggreſſurus eſſet, toto monte alta adhuc niue cooperto, vt vix ab expedito viatore permeari poſſit. Tum ignotus*

ille

ille architectus ait sibi & artem & vires superesse ad hoc, atque etiam longè maius, si liberet, perpetrandum, crediturum eum breui suis oculis, qui nunc verbis ipsius parum fidei haberet: & cum dicto in auras euanuit. Quo facto hominem tantus derepente terror inuasit, vt minimum abfuerit, quin ibi in vestigio expirârit, ægreque retrò ad oppidum attonitus ac totus tremens reuersus, rituque recepto apud sacerdotem confessus, denarratoque viso, eadem die sub vesperam ex hac vita migrauit. Noctis quæ secuta est initio, vigesimo tertio Martij, ignis cum terræmotu, & ingenti strepitu è vertice montis Aetnæ, quà Orientem spectat, ingens vis erupit, magnoque impetu versus ortum Solis ferebatur, ita vt clerus ac populus Catanensis pauore consternatus, in ædem Diuæ Agathæ, ad opem diuinam suppliciter implorandam concurreret, vnde mox supplicationis pompa cum magno fletu, cumque psalmodijs & precationibus ac iugi inclamatione misericordiæ, campanis interim lugubre tinnientibus, ducta est vsque ad ædem virgini annunciatæ sacram. Mirum dictu, priusquam absolueretur supplicatio, cœpit incendium decrescere, breuique pòst tempore videbatur omninò extingui. Gilbert. Cognat. libro octauo Narrationum.

DAMASCIVS SYRVS SIMPLICIVS ex Sicilia, & alij docti viri conuenerant, vt in Persiam ad videndum Cosroëm regem, cuius virtutem prædicari audierant, vnà abirent. Cùm domum reuerterentur, in reditu inuenerunt cadauer inhumatum in agro. Inhumanitatem Persarum detestati, illud sepelierunt. Noctu vnus quidam ex eo comitatu, obuersari sibi speciem vidit hominis senis, & venerandi, dicentis: Noli inhumatum corpus

humare,

humare, permitte canibus lacerandum. Terra vniuersorum mater, matris corruptorem hominem non suscipit. Ille expergefactus, aliјs somnium exposuit. Itaq; mane regreßi in illum agrum, viderunt corpus nudum in campi superficie iacêre. Agathius lib. 2. Hoc videtur exprimere illud, quod est in Græcorum Epigrammatis.

μὴ θάψῃς τὸν ἄθαπτον, ἔα κυσὶ κύρμα γενέσθαι,
γῆ πάντων μήτηρ μητρόφθορον οὐ δέχετ' ἄνδρα.

EDVARDVS III. Anglorum Rex, cum *exactores tributi populo impositi aliquando ingentem aceruum pecuniæ ex eo tributo collatæ, delectandi ipsius animi gratia, coràm adduxissent, ille subitò Dæmonem circa ipsum aceruum ludentem videre visus est: & ob id huiusmodi pecuniam, vt rem funestam abhorrens, illicò auferri ab oculis, restituiq; populo iußisse fertur. Polydor. lib. 8.*

CAPTA Tyana vrbe Asiæ, quæ rebellauerat, *Aurelianus Imperator, dum solus in tentorio irarum plenus de euertenda cogitaret, coram oblatum sibi non sine magno horrore Apollonium Tyaneum Philosophum vidit, qui diu antè mortuus erat, submonentem: Aureliane, si cupis vincere, nil est quod de ciuium meorum nece cogites: Aureliane, si imperare vis, à cruore innocentium abstine. Aureliane, clementer te geras, si vicisse cupis. Cælius lib. 17. cap. 13. ex Fl. Vopisco.*

MAGNIS tentationibus exagitatus est D. Martinus *Turonensis Episcopus à Satana. Quodam tempore Diabolus purpura & diademate ornatus apparuit ei sub persona Christi. Cumq; Martinus viso hoc spectaculo obstupesceret, ait ad eum Diabolus: Agnosce Martine, quem colis, Christus ego sum, descensurus ad terras, prius*

me tibi volui manifestare. Hic cum Martinus nihil responderet, rursus ait: Martine, cur dubitas credere, cum me uideas? Christus ego sum. Tunc ille verbo Dei instructus per Spiritum sanctum ait: Meus Christus crucifixus fuit, & vulneratus, te vero tali in habitu non recipio, neque in te credo. Ad hanc vocem ille euanuit. Marulus ex Seuero Sulpitio.

LEGITVR in vita S. Germani Antisiodorensis *Episcopi, quòd cum nocte quadam in diuersorio mensa iterum à cœna sterneretur, admirans inquisierit, cui cœna pararetur? eiq; responsum, Bonis illis viris ac fœminis, quæ nocte vagantur. Itaq; Sanctus vigilare statuit. Et ecce, multitudinem ad mensam virorum ac mulierum venientem: quibus ille mandans, ne abirent, tota familia excitata quæsiuit, Num quem ex ijs cognoscerent? His omnes vicinos ac vicinas esse dicentibus, singulorum ædibus perscrutatis, omnes in suis lectulis decumbentes inuenit. Itaq; statim omnes adiurauit, qui se Dæmones esse confessi sunt.*

MENIPPVS Demetrij Cynici discipulus, *adolescens formosissimus, cum Corintho Cenchræas proficisceretur, obuiam habuit quandam imaginem puellæ peregrinæ, speciosæ & diuitis, quæ aiebat se esse amore illius accensam. Inuitauit ergo eum, vt domi suæ diuerteret. Ille amore captus, sæpe illic se illi commiscuit, ac de ineundo matrimonio cogitabat. Habebat domum regio ornatu apparatam. Apollonius Tyaneus, cum in ea domo singula considerauisset, exclamauit illam esse ex numero Lamiarum, quas aliqui Laruas, alij Lemures appellant. Philostratus in vita Apollonij.*

IAMBLICHVS magus insignis, cum Apolli-

nem,

nem, exciente quodam Aegyptio, statim comparuisset, attonitis viso præsentibus omnibus, Desinite, inquit, sodales mei mirari, est enim gladiatoris, qui singulari certamine interijt, spectrum. Eunapius in Aedesio.

CVM Constantinus Gallum in Oriente Cæsarem *fecisset, Iulianus in spem potiundi Imperij venit. Discurrebat autem per Græciam, & quærebat Vates & Ariolos, eosq́ consulebat de rerum euentu. Cum autem in quendam incidisset, qui polliceretur sibi prædicturum futura, & in simulachrorum adyta introductus esset, inuocabat ille Magus Dæmones. Apparebant autem subitò illi, & quidem forma, vt solent, atra & horrida. Iulianus metu perculsus, illico frontem signat cruce. Ad eam rem Dæmones subitò disparent, Dominici trophæi, & suæ stragis memores. Sed præstigiator obiurgat Iulianum ob metum, & cum Iulianus vim crucis admiraretur, ex animo eius eam opinionem illo sophismate euellebat, quod Dæmones non ob crucem euanuissent, sed odio facti eius. Theodoretus lib. 3. cap. 3. Sozomenus lib. 5. cap. 2.*

MEDIOLANENSIS quidam plebeius homo, *cum hora noctis tertia à labore rediret domum, vidit lemurem insequentem: quam cum effugere conaretur, ocyus citato pede abibat, sed à spectro captus, atq; in terram proiectus, exclamare nitebatur, sed non poterat. Tandem cum diu in terra cum larua volutatus esset, inuentus à prætereuntibus quibusdam, semiuiuus domum relatus est, & octo diebus perijt. Cardanus de subtilitate.*

POLIS LACEDAEMONIVS, Platonem Phi*losophum iussu Dionysij Tyranni è Sicilia sublatum, Aeginæ vendidit. Verum quia capitale erat Atheniensem Aegi-*

nam

nam adire, à Charmandro mortis reus accusatus fuit. Sed necessitatis ratione habita, Anniceri Cyrenaico viginti minis venditus est, & ab eo manumissus. Polis postea à Chabria superatus, in Helice submersus fuit, Dæmonio illi indicante, hæc ei Philosophi gratia male tractati euenire. Laërtius lib. 3.

SOZOMENVS narrat libro sexto capite vicesimo *octauo, Apellem quendam Monachum circa Achorim, in monasterijs Aegypti multa edidisse miracula, & aliquando cum noctu operas fabriles fecisset, Spectrum Dæmonis forma pulchræ & exornatæ mulieris ei apparuisse & ad libidinem incitasse. Sed illum candens ferrum ex camino arreptum, in faciem Dæmoni impegisse, atq; ita spectrum illud fugisse, & stridore & lamentatione suum dolorem testatum.*

DATIVS Episcopus Mediolanensis, cum pro*pter fidei confessionem eiectus, Constantinopolim tenderet, Corinthum appulit, & ibi ædes à Diabolo occupatas intrauit, cum nullas alias famulitio suo aptiores inuenisset. Intempesta nocte cum Dæmones fremerent, leonum more rugirent, balarent, &c. Datius expergiscitur, & inquit: Impurissime Dæmon, tu dixisti, ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Ecce propter superbiam porcis & asinis similis factus es, quandoquidem Deo obedire noluisti. Hac voce confusi Dæmones, domum eam deseruerunt. Gregor. Turonensis lib. 3. Dialog. cap. 4.*

PHLEGON TRALLIANVS ADRIANI *Imperatoris libertus, libro de Mirabilibus & Longæuis, historiam, quam oculata fide in quadam vrbe cognouerit, recenset. Philinnium Damostrati hospitis & Charitûs filia,*

Machatem hospitem amare cœpit. Indignè id ferentibus parentibus, præ mœrore occidit, & publicè funerata est. Sexto post obitum mense, cùm eò reuertisset Machates, ingressa ad illum Philinnium, hospiti se commiscuit, annulum ferreum & poculum inauratum dono ab eo accepit, inde abijt: ipsi vicissim annulum aureum & fasciam pectoralem dedit. Nutrix Spectro obseruato, parentibus id indicat. Accurrunt illi, & altero die filiam cum hospite deprehendunt, cum eiulatu amplectuntur. Tum iua hæc eis dixit: O mater, & pater, quàm iniustè inuidistis mihi, vt cum hospite essem per triduum in domo paterna, absq; vllo maleficio. Proinde vos denuò lugebitis, propter vestram curiositatem, ego autem rursum abeo ad locum mihi designatum, non enim absq; diuina voluntate huc veni. Hæc locuta, fuit ilicò mortua, corpusq; eius conspicuum per lectum est exportatum. Populo in theatrum confluenti res gesta fuit narrata, sepulchrum vacuum inuentum, annulus tantum ferreus & poculum inauratum ibi reperta. Cadauer ex Hylli auguris consilio, extra fines sepultum. Machates præ mœrore mortem sibi consciuit.

HIERONYMVS in Vitis Patrum narrat, *Monachum quendam à Dæmone in mulieris venustissimæ forma, ad obscœnos inuitatum fuisse amplexus, qui sua inclinans membra, effectus est sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Atq; vbi iam carnalem conaretur inire amplexum, illa teterrimæ vocis vlulatum emittens, vmbra, vt erat tenuis, & phantasma inter manus amplectentis elabitur, ipsumq; miserum cum fœdissima irrisione deserit. Vierus libro 2. cap. 46. de præstigijs Dæmonum.*

Scribit Vincentius lib. 3. historiarum, in Sicilia *sub Rege Rogerio iuuenem quendam strenuum, & natandi peritum, circa noctis crepusculum lucente luna in mari lauâsse, & mulierem post se natantem crinibus apprehendisse, tanquam ex socijs aliquem qui eum mergere vellet. Quam alloquens ne verbum quidem extorquere potuit, quare opertam pallio domum duxit, & tandem in vxorem solenniter accepit. Increpatus aliquando à socio, quòd phantasma amplexus fuisset, expauescens, gladio extracto coniugi minitabatur, se filium, quem ex ea susceperat, interfecturum, nisi ipsa loqueretur, suamq; fateretur originem. Quæ, Væ, inquit, misero tibi, vtilem perdis vxorem, dum me effari cogis. Tecum mansissem, ac in rem tuam esset, si iniunctum mihi silentium permisisses. Nunc autem me posthac non videbis, & euestigio euanuit. Puer autem adoleuit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandem die quodam coram multis pucrum in eisdem fluctibus occurrentem rapuit phantastica illa mulier.*

In Marrea regione puella nobilissima & formo*sissima, complurium auersata connubium, in infandam cum Cacodæmone incidit consuetudinem. Quæ cum vterum ferret, parentum rigore coacta edere stupratorem: Adolescentem mira pulcritudine frequentius secum nocte, interdiu nonnunquam conuenisse, vnde venisset, quóue inde abijsset, nescire se respondit. Parentes, etsi filiæ parum crederent, accuratius rem aduertentes, consilio quis esset, qui puellæ expugnasset pudicitiam, explorandi, cognito tertio pòst die, indice ancilla, stupratorem adesse, reseratis foribus, accensoq; tædarum ingenti numero, cubiculum ingressi, horrendum monstrum, figura supra huma-*

nam fidem terribili, in filiæ amplexibus sunt conspicati. Concurrêre ocyus complures ad fœdum acciti spectaculum. Inter eos Sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ disciplinæ ignarus, cæteris autem trepidè abeuntibus, aut pauore illisis terræ, cum Iohannis Euangelij initium recitare orsus, ad eum locum, Verbum caro factum est, perduxisset, malus Dæmon horrendo sublato clamore, cubiculi tectum secum asportans, omni supellectile incensa abit. Fœmina periculo seruata, post triduum enixa est monstrum vndequaque fœdum aspectu, quale nusquam antea (vt ferunt) inter homines visum: quod obstetrices, ne in familiæ dedecus seruaretur, extructa ingenti pyra, citissimè exussêrunt. Hector Boëthus libro octauo historiæ Scotorum.

ALIAM historiam recitat idem Boëthus eodem *loco. Anno Christianæ Salutis 1486. nauigantibus è Phortea æstuario negociationis causa in Flandriam, tanta ventorum oborta est vis, vt velis, malo, armamentisq; ruptis, & naui fœdè inter tumentes vndas iactata, certissimam mortem cuncti expectarent. Nauicularius tantam tamq; insolitam aëris inclementiam eo tempore demiratus (suberat enim Solstitium æstiuum) cum id non sideri, sed malorum Dæmonum insidijs magnis tribueret clamoribus, reddita est vox ex ima naui mulieris se miserè incusantis, quod incubo humana sub effigie, qui cum per multos anteactos annos habuisset cōsuetudinem, iam tum fuisset commixta, & ab eo subacta: mari ergò celerius se tradendam, vt ipsa pereunte, quæ tanti mali imminentis causam præstitisset, cœteri Dei benignitate permanerent incolumes. Accedens ad lachrymantem feminam sacerdos, eius atq; cæterorum saluti consulendi causa, crimen iam palam faten-*

tem,

tem, horrentem ſcelus vehementer, alto pectore, ſuſpiriјs indicibus, pœnitentemq́ facti, piè eſt hortatus, ne ſibi deeſſet, cui certò cognoſceret numinis fauorem adeſſe, &c. Media Sacerdotis adhortatione, cùm multis ſuſpiriјs afflicta mulier admiſſum facinus deploraret, cunctis viſa eſt atra nubes è nauis ſentina proſilуſſe, ingentiq́ ſono, flamma, fumo, atq; fœtore ſeſe deieciſſe in mare. Sedatum eſt inde cœlum, pacatumq́ mare, & negociatores, cum naui, cunctis ſuis rebus ſaluis, in optatum portum abiêre.

FRANCISCVS MIRANDVLA ſe agnouiſſe *ſcribit Sacerdotem Benedictum Bernam, ætatis annorum ſeptuaginta quinq;, qui annis plus quàm quadraginta cum Dæmone familiari, ſub forma fœminæ aſſociato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeò vt aſtantes, qui nihil videbant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autem illam Hermelinam, quaſi mulier eſſet. Alium quoq; Pinnetū (ait) nomine noui, qui ad octoginta & amplius annos peruenerat, cū Dæmone alio, qui muliebri forma videbatur, vocabatq́ eā Florinæ nomine, plus quadraginta annis venereas voluptates exercuiſſe. Vtramq; hiſtoriā Cardanus recitat lib. 15. cap. 80. de varietate rerū, &c.*

MAGDALENAM ciuis cuiuſdam famulam, ſcribit *Iacobus Ruffus lib. 5. cap. 6. de conceptione hominum, noſtra memoria Conſtantiæ fuiſſe compreſſam à Dæmonio, eiq́ tandem per pœnitentiam valedixiſſe, ex inſtitutione miniſtrorum Eccleſiæ: ac poſtea tantos in vtero ſenſiſſe cruciatus, vt in ſingulas ferè horas infantem ſe crederet enixuram: inde clauos ferreos, ligna, vitra confracta, crines, ſtuppam, lapides, oſſa, ferrum, & huiuſmodi innumera ex matrice excreuiſſe.*

MERCATORIS cuiusdam vxor, circiter sex vel *septem milliaria à VVitemberga, Silesiam versus, absente negociationis causa marito, peculiarē solebat admittere concubinum. Contigit itaq; marito peregrè agente, amasium noctu redire: & post curatam cuticulam, Venereaḿq; peractam velitationem, vt videbatur, hora matutina specie Picæ assumpta, iumento concubinum inside re promptuario, ac concubinæ his verbis valedicere: Hic tuus fuit amasius: dictoq́; citius euanuisse, nec rediisse vnquam. Vierus libro 2. cap. 44.*

BENEDICTVS VIII. patria Thusculanus, *magicis artibus Theophylacti nepotis, qui Syluestri II. Papæ olim discipulus fuerat, ad Papatum peruenit. Præfuit Ecclesiæ annis XI. Post obitum Episcopo cuidam, quo familiariter in vita vsus fuerat, nigro æquo insidens apparuit, multis lachrymis de tormentis inferorum conquerens, ac fratrem Iohannem XI. monere iubens, vt aurum sub terra à se olim defossum, in pauperes erogaret, quo se liberatum iri sperabat. Benno Cardinalis.*

THEOPHYLACTVS BENEDICTI & IOHANNIS *Pontificum ex fratre Alberico nepos, ad Pontificiam dignitatem magia, qua insignis habebatur, euectus, Benedictum IX. se appellauit. Per interualla sedit annis decem. Tandem in syluis à quodam Dæmonum, quorum familiari sæpius vti consueuerat colloquio, suffocatus est. Benno. Referunt historici, inter quos sunt Martinus Polonus, Platina, & Petrus Damianus, Benedictum prope molendinum à quodam Eremita horrenda imagine visum, erat enim corpore vrso, cauda atq; capite asino similis. Et cum interrogaretur ab eo, vnde in eam incidisset metamorphosin?*

Respondisse fertur: Hac specie oberro, quia in Pontificatu sine ratione, sine lege, sine Deo vixi, & omnibus probris Romanam sedem inquinaui.

D. MARTINVS Episcopus Turonensis, cum *non procul à suo monasterio martyris cuiusdam incerti ossa colerentur, ne temerè authoritate sua superstitionem aliquam confirmaret, quodam die acceptis secum aliquot fratribus, ad locum illum pergit, Deique numine inuocato, orat vt rei veritatem sibi patefaceret. Adsistit ergo ad læuam sordida vmbra, quæ nomen suum edit, & de crimine confitetur, latronem se fuisse, & ob scelera necatum, vulgi errore celebratum pro martyre. Ocyus igitur Martinus aram tolli iubet, hocque modo populum superstitione liberauit. Seuerus Sulpitius in eius vita.*

SIMONIDES CEVS cum in Thessalia apud *Scopam cœnaret, concinissetque id carmen, quod in eum scripserat, in quo multa ornandi causa, Poëtarum more, in Castorem & Pollucem scripta erant, Scopas dixit, se dimidium eius quod pactus esset, pro carmine illo daturum, reliquum peteret à Tyndaridis, quos æquè laudasset. Haud multò pòst nunciatur Simonidi, vt prodiret, duos iuuenes stare ad ianuam, qui eum magnopere vocarent. Surrexit, forasque progressus, vidit neminem. Hoc interim spacio, conclaue illud, vbi epulabatur Scopas, concidit, & Scopam cum suis oppreßit. Cicero in lib. de Oratore.*

ANNO Domini 654. Imperij Constantis vndecimo, *cinere pluit, vnde magnus metus Constantinopolim inuasit, ignis de cœlo decidit, & pestis grauißima tribus æstiuis mensibus grassata est. Cunctis visibiliter apparebant bonus & malus Angelus noctu ciuitatem circuire, &*

quoties iussu boni Angeli malus Angelus venabulo, quod manu ferre videbatur, ostium cuiusq; domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant. Sigebertus in Chronicis. & Paulus Diaconus libro 19. Rerum Romanarum.

ANNO sexto Constantini Copronymi, Palæstina *circa Iordanem & totam Syriam, in Ianuario, hora quarta concussionem patitur, qua multa Ecclesia & Monasteria euertuntur. Et Pestis in Sicilia & Calabria orta, peruagatur Monobasiam & Helladem, & insulas vicinas, ac tandem Constantinopolin aggreditur. Multi mente deturbati, videbantur sibi se videre peregrinos quosdam homines, truculento vultu prope se euntes & colloquentes, ac in domos ingredi, hominesq́; aut vulnerare, aut eijcere, ac plerumq; respondit euentus. Nam lues ista plenas domos euacuabat, tantaq́; erat multitudo morientium, vt omnibus monumentis in vrbe & suburbio completis, cisternæ, lacus, vineæ, & horti sepulchra fierent. Anno Domini 748. iuxta Sigebertum.*

INVSITATVM mortis genus, & penè prodi*giosum Theodorici Ostrogothorum Regis fuit. Nam post aliquod tempus quàm Symmachum atq; Boëthium occiderat, cum ei in cœna magni piscis caput appositum esset, visus est sibi in eo Symmachi caput videre, inferius labrum in minitantis speciem mordentis, quemadmodum ipse medico Elpidio, postea dixit. Qua imagine ita territus est, vt tunc cubare incipiens, nunquam dicere desiuerit, se ea imagine terreri, quoad animã egit. Fulgosus lib. 9. cap. 12.*

ARISTEVM PROCONNESIVM, poëtam, *Castrobij F. aiunt ingressum in Proconneso fullonis offici-*

nam, decessisse, fullonemq; occlusa officina, abijsse denunciatum rem propinquis defuncti. Dissipato iam per vrbem rumore, Aristeum esse vita functum: superuenit quidam Cyzicenus, ex vrbe Artacia, qui dicebat sese fuisse congressum cum Aristeo apud Cyzicum, atq; collocutum. Cum id iste contendendo asseueraret, propinqui mortui ad fulloniam præstò fuerunt, habentes quæ ad efferendos homines expediunt. Aperta domo, Aristeus nec viuus apparuit, nec mortuus: septimoq; deinde anno, cum in Proconneso apparuisset, eos versus fecit, qui nunc à Græcis Arimaspei vocantur: quibus conditis, rursus euanuit. Metapontini in Italia, trecentis & quadraginta annis post, aiunt Aristeum, cum apud ipsos apparuisset, iussisse aram Apollinis extrui, quæ cognomen haberet Aristei Proconnesij, &c. Herodotus libr. 4.

LEONARDVS quidam Basileæ circa annum *Christi 1520. sarctoris F. ingenio simplex, voce balbus, Lienimannus vulgò dicebatur. Is nescio qua arte cryptā illam, quæ Augustæ Rauracorum patet, ingressus, & vltrà quàm vlli alij nunquam potuerint, progressus, miranda quædam spectra referebat. Cereo consecrato accenso, in cryptam descendens, primò per ferream portam sibi transeundum aiebat, inde ex vna concameratione in aliam, atq; etiam in hortos pulcherrimè virentes. In medio aulam magnificè ornatam spectari, & virginem pulcherrimam pubetenus, aureo diademate caput cinctam, capillis solutis, infernè in horridum serpentem desinentem, à qua manu ad scrinium ferreum duceretur. Scrinio duos molossos nigros incubare, & terribili latratu accedentes arcere. At virginem mirabunda similem eos compescere.*

Tum clauium fasce, quem collo alligatum gestaret, soluto, arcam recludere, & omnis generis numismata aurea, argentea, area depromere: Quorum non pauca liberalitate virginis ex ipsa crypta se retulisse ostendebat. Addebat, virginem dicere solitam, diris imprecationibus sese, cum Regio orta esset stemmate, iam olim deuotam, in tale monstrum mutatum fuisse, neq; aliam salutis recuperandæ rationem superesse, quàm si ab illibati pudoris adolescente ter deoscularetur. Tunc enim formam pristinam sibi restitutum iri, & dotis nomine thesaurum omnem, qui in eo loco lateret, liberatori cessurum. Affirmabat quin etiam, bis sese virginem deosculatum, bis tam horribiles gestus in ea præ nimio gaudio speratæ liberationis obseruasse, vt sibi, ne viuus ab ea discerperetur, metuendum foret. Accidit interea, vt à quibusdam nepotibus in ganeum deductus, scorto sese misceret. Quo crimine cum sese polluisset, nunquam postea aditum ad cryptam reperire potuit, nedum ingredi. De qua re misellus sæpe etiam cum lachrymis conquestus fuit. Phantasma hoc Diabolicum fuisse, quis non videt? at certè tamen vetustißima numismata Romana, quæ ex cauerna illa retulit, & multis ciuium nostrorum vendidit, indicium faciunt, latere fortaßis in ea crypta thesaurum, quē auarus quidam Dæmon custodiat, non secus atq; in aurifodinis cacodæmones strangulatores interdum metallica opera magno suo cum malo experiuntur. Et ne quis hæc fabulosa putet, testes adhuc viui supersunt, qui ex ore Lienimanni hæc habuêre. Post illum ciuis quidam Basiliensis in summa annonæ penuria, vt familiam commodius aleret, spe numismatum eruendorum, in eandem cryptam descendit. Verum aliquousq; progres-

sus,

ſus, cum præter oſſa quædam humana nihil aliud inueniſſet, maximo horrore correptus, concitatiſſimo gradu è ſpecu rediјt, ſpe ſua fruſtratus, teſte Iohanne Stumpffio in Chron. Heluetiæ.

Ex Helinando Vincentius hæc refert libro 3. cap. 27. *In Colonienſi Diœceſi famoſum & immane palatium Rheni fluminis ſupereminet, Iuuamen nuncupatum, vbi pluribus olim congregatis principibus, inopinatò aduenit nauicula, quam collo alligatam cygnus argentea trahebat catena. Inde miles nouus & incognitus omnibus exiliјt, cygnusq́ nauem reduxit. Poſtea vxorem duxit miles, liberoſq́ procreauit. Tandem in eodem Palatio reſidens, & cygnum inſpiciens aduentantem cum eadem nauicula & catena, ſtatim in nauem ſe recepit, nec viſus eſt amplius: progenies autem eius in hunc vſq́ diem perſiſtit. Ex eo in arce Cliuenſi (vbi & altiſſima turris vetuſta conſpicitur, Cygnea nuncupata, in cuius faſtigio cygni ſimulachrum voluitur) antiquiſſimis tapetis intexto, originis Ducum Cliuenſium vetuſtatem deducunt. Vierus libr. 2. cap. 46. de præſtigiјs Dæmon.*

Cum Perſæ, vexato excurſionibus Megarico *agro, ſe Thebas ad Mardonium ducem ſuum reciperent, obortis repente Dianæ numine tenebris, per errorem viarum ad montanam eos regionis partem deflexiſſe aiunt. Ibi ex Dæmonũ præſtigiјs obiecta hoſtilis agminis ſpecie ſagittas miſiſſe, ad quarum ictus cum proxima ſaxa tanquam gemitus imaginem redderent, homines eſſe qui ex vulneribus gemerent opinantes, nõ antè iaculari deſiјſſe, quàm ſagittas omnes profudiſſent. Cum verò illuxiſſet, Megarenſes armatos contra inermes impetu facto, magnam eius*

agmi

agminis partem trucidasse, atq; eo rei euentu Dianæ Sospitæ signum dedicasse. Pausanias in Atticis.

IN pugna Marathonia contra Persas Atheniensibus *vir quidam specie atq; habitu agrestis, opem tulit. Qui cum ex Barbaris quamplurimos aratro interemisset, repente euanuit. Neq; verò quærentibus quisnam ille fuisset Atheniensibus, aliud respondit Oraculum, quàm vt Echelaum Heroa colerent. E candido verò lapide eo in loco trophæum erexerunt. Pausanias in Atticis. Eadem pugna Thesei spectrum Medos inuadere multi viderunt. Ex eo postea tanquam Heroem colere Athenienses cœperunt. Plutarchus in eius vita.*

CVM Persæ ductu Xerxis ad sacellum Mineruæ, *quod est ante templum Delphicum, accederent, interea è cœlo fulmina in eos deciderunt, & à Parnasso duo abscissi vertices, magno cum fragore sunt deuoluti, permultosq; eorum interceperunt. Atq; ex ipso Sacello Mineruæ vociferatio, iubilatioq; extiterunt. Barbari fugæ se mandârunt. Delphi descendentes magnam eorum stragem edidêre. Qui superfuêre, rectà ad Bœotios effugerunt, referentes vidisse se duos armatos humana natura augustiores sese insequentes. Hæc spectra Delphi dixerunt indigenas Heroas fuisse, Phylacon & Autonoum, quorum fana visuntur. Phylaci quidem, secundum ipsam viam super ædem Mineruæ: Autonoi verò propè Castaliã sub Hyampeo vertice. Saxa quæ à Parnasso deciderunt, adhuc ad Herodoti vsq; memoriam integra extitêre in fano Mineruæ protemplaris locata, ad quod per Barbaros deuoluta peruenêre. Herodotus lib. 8.*

DVM contra Xerxem Græci ad Salaminem pu-

gnant,

gnant, fama est ingens lumen ab Eleusine refulsisse, campumq́; Thriasium strepitu & vocibus, sicut ex cœtu hominum mysticum Iacchum deducentium, ad mare vsq; personasse. Ab agmine vocem edentium assurgens paulatim à terra visa ijs nubes deflectere à continente, & in naues incumbere. Alij species videre visi sunt virorum armatorum, manus ab Aegina pro Græcorum classe protendentium. Eos putabant esse Aeacidas, quos votis ante pugnam implorauerant. Plutarchus in Themistocle.

CVM in Eleorum fines hostiliter Arcades inuasissent, *contraq; eos aciem Elei direxissent, mulierē aiunt infanti puero mammam præbentem ad Eleorum Duces venisse, seq; cum puerum eum peperisse diceret, addidisse, monitam per somnium, vt eum pugnæ socium Eleis adiungeret. Ibi eos, qui summæ rei præerant, quod mulieris verbis fidem habendam censuissent, puerum nudum ante signa collacandum curasse. Impreßione ab Arcadibus facta, puerum in eorum conspectu in anguem mutatum. Eo prodigio hostes exterritos, in fugam se protinus dedisse. Parta verò insigni victoria, à seruata ciuitate nomen Sosipolidi inditum, quoq; loco in cauernam visus fuerat se anguis abdidisse, confecto prælio fanum erectum, & Sosipolidi patrio genio dicatum. Honores Lucinæ decreti, quod ab ea in lucem puerum illum sibi editum interpretati sunt. Pausanias libro 6.*

CVM Locrenses aduersus Crotoniatas dimicarent, *in Locrensium acie perspecti sunt in candidißimis equis duo iuuenes, alios in prælio antecedere, parta victoria nusquam postea visi: quæ victoria eodem momento, quo parta fuit, Athenis, Lacedæmone atq; Corinthi, etsi*

à lo-

à Locris atq; Crotone ea loca plurimum distant, denunciata fuit. Trecenta Sybaritarum millia à paucis cæsa, Sybaris euersa. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

INVADENTIBVS aliquando classe ex Eubœa *Tanagraum agrum Eretriensibus, Mercurium ephebos in pugnam eduxisse aiunt, & ipsum etiam, quippe qui Ephebus esset, strigili armatum, præ cæteris, Eubœenses in fugam vertisse. Hanc ob causam Mercurio Promacho templum erexêre. Pausanias in Bœoticis.*

IN eo bello, quod Romani contra Tarquinium *Romam redire conantem gessêre, fama tenet visos in illa pugna Castorem & Pollucem, atq; mox à prælio manantibus sudore equis conspectos in foro nuncios victoriæ, quo loco propter fontem ædes eorum extat. Vnde diem victoriæ Idus Iul. Tyndaridis consecrauêre. Plutarchus in Coriolano. Bello similiter Latino, Castor & Pollux apud lacum Iuturnæ visi sunt equorum sudorē abluere, cum ædes eorum, quæ fonti iuncta erat, sua sponte patuisset. Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Cum apud lacum Regillum A. Posthumius Dictator, & Thusculanorum Dux Manilius Octauius magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquamdiu pedem referret, Castor & Pollux Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias penitus fuderunt. Idem libr. 1. cap. 8.*

CVM Brutij atque Lucani odio incitatissimo, *maxixmisq; viribus Thurniæ vrbis peterent exitium, ac præcipue studio eius incolumitatem C. Fabricius Lucinus Cos. protegeret, resq; ancipiti euentu, collatis vnum in locum vtriusq; partis copijs, gereretur, non audentibus Romanis prælium ingredi, eximiæ magnitudinis iuuenis pri-*

mum

mum eos hortari ad capessendam fortitudinem cœpit: deinde vbi tardiores animaduertit, arreptis scalis, per mediam hostium aciem ad contraria castra euasit, & admotis vallum conscendit. Inde voce ingenti clamitans, factum victoriæ gradum: & Rom. ad aliena castra capienda, & Lucanos Brutiesq; ad sua defendenda, illuc traxit, vbi conserti dubio certamine tenebantur. Sed idem impulsu armorum suorum prostratos hostes, iugulandos, capiendosq; Romanis tradidit. Viginti enim millia cæsa, quinque millia cum Statio Statilio Duce vtriusq; gentis, & tribus atq; viginti militaribus signis capta sunt. Postero die cum Cos. inter honorandos, quorum strenua opera fuerat vsus, vallarem coronam ei seruari dixisset, à quo castra erant oppressa, nec inueniretur qui id præmium peteret, cognitum pariter atq; creditum est, Martem patrem tunc populo Romano suo affuisse. Inter cætera huiusce rei manifesta indicia, galea quoq; duabus distincta pinnis, qua cœleste caput tectum fuerat, argumentum præbuit. Itaq; Fabricij edicto, supplicatio Marti est habita, & à laureatis militibus, magna cum animorum lætitia, obliti auxilij testimonium ei est redditum. Valerius lib. 1. cap. 8.

EMPVSA, seu Onocale, spectrum diabolicum, *ab Hecate immissum, & calamitosis apparens, quod in varias se figuras transformat, inde dictum, quòd vno pede incedat, alterum verò habeat æneum aut asininum. Putabatur autẽ etiam in meridie apparere, cum defunctis inferiæ ferrentur. Aristophanes in Ranis: At medius fidius belluam video magnam. Cuiusmodi? Terribilem, multiformẽ. Iam enim bos fit, iam mulus, aliâs formosissima fœmina. Vbi est? accedam ad eam. At fœmina esse desijt, iam ca-*

nis est. Empusa igitur est. Igne certe quidem tota collucet facies, & pedem habet aeneum. Suidas.

In ea quae est circa Syrtes Lybia, quandoq; & *maximè quieto à ventis tempore, apparent in aëre diuersorum animantium formae, quarum quaedam quiescunt, quaedam mouentur: & haec aliquando fugiunt, aliquando insequuntur: sed omnes magnitudine eximia, stuporem, timoremq́ inscijs praebent. Quae homines insequuntur, comprehensum frigido circumdant contactu. Diodorus lib. 3. cap. 4.*

De Actaeone vulgatum inter Orchomenios fuit, *vexari agrum ab ea larua, quae saxo eius (quod est inter Plataeas & Megaras) insideret. Ea de re consulto Oraculo Delphico, iussi sunt, si quas reperissent Actaeonis reliquias, eas vt terra tegerent. Praeterea vt laruae simulacrum ex aere factum ad saxum alligarent: Pausanias in Boeoticis.*

In Parnasso monte Boeotiae Apollini consecrato, *Bacchanalia alternis annis aguntur, & frequens etiam Satyrorum coetus cernitur, & plerumq́ voces propriae exaudiuntur, itemq́ cymbalorum crepitus ad aures hominum saepe peruenit. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 18.*

Aiunt Gello virginem quampiam fuisse, quae *puella adhuc vita decesserit. Huius spectrum oberrare Lesbijs, creditum est, ac pueros impetere, vnde puerorum mortem, qui praematuro fato perirent, huic Gello imputabant. Hinc prouerbium puerorum amans Gello. Erasmus in Adagijs.*

Strabo lib. 6. Geographiae refert, Temessam *ab Lao primam vrbem esse Brutiae, ipsius aetate dictam Tempsam, quam ab Ausonijs conditam, Thoantis comites*

Aetoli deinde tenuerint, atque his expulsis Brutij, demum Hannibal & Romani funditus euerterint. Iuxta hanc sacellum fuisse oleastris circumseptum, Polita cuidam ex Vlyßis comitibus sacrum. Hunc, quòd esset à Barbaris violatus, graues iras in eos exercuisse: adeò vt in prouerbium abierit, dicerentque cauendum, ne Temessaus genius immineret. Deinde Locrensibus Epizephireis vrbe potitis, Euthymum quendam, vt inquit Aelianus, ex Italia illuc venisse pugilem inclytum, & insigni robore, qui & lapidem ingenti magnitudine gestauerit, qui Locris ostendi soleat. Hunc cum Polite congressum, ac victorem è certamine discesisse, atque ita finitimos huius opera liberatos à tributo, quod ille consueuerat extorquere: Quin & compulisse illum, vt quod per vim abstulerat, redderet etiam cum fœnore. Atque hinc prouerbium natum putat, ijs qui sordidos & iniustos quæstus faciunt, adfore Temessaum genium, quo significabant, aliquando dependenda cum fœnore, quæ præter ius, & fraude seu vi rapuissent. Pausanias in Eliacis paulò diuersius rem narrat: Nempe, Comitem quendam Vlyßis, ob virginem constupratam occisum fuisse, atque ob id laruas eius, nisi quotannis oblata virgine placarentur, grassari solitas, ac perniciem afferre omni sexui atque ætati. Atque hunc quidem eius loci genium vulgo fuisse creditum, quem Euthymus pugil Temessam reuersus compescuerit, virgine, quam deuouerant, liberata, atque in matrimonium accepta. Erasmus in Chiliadibus.

EST insula Aegæ, vnde deflexum est Aegæi maris nomen, *Neptuno sacra, in qua non ferè quenquam posse consopori, prodidit Nicocrates, ex Phantasmatum*

Dei occursaculis, subinde quietem interpellantibus. Cælius lib. 30. cap. 9. A. L.

PRIVSQVAM cadauer C. Cæsaris Caligulæ sepeliretur, *hortorum Lamianorum custodes, vmbris inquietati sunt. In ea quoque domo, in qua occubuit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam affirmarunt, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Suetonius.*

NERO matrem Agrippinam dicta factaque sua *exquirentem acerbius, & corrigentem, interfecit. Neque tamen sceleris conscientiam, quanquam & militum, & Senatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam postea ferre potuit: sæpè confessus, exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & facto per Magos sacro, euocare manes, & exorare tentauit. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum iniciatione impii & scelerati voce Præconis submouerentur, interesse non ausus est. Suetonius.*

OTHO Imperator Galba cæso à supplicijs & *terroribus Imperium auspicatus. Nox enim, quæ primum Imperij diem secuta est, adeò turbida & infesta illi contigit, vt per quietem subito pauefactus gemitus ediderit ingentes, repertusque sit ab iis, qui eò occurrerant, humi ante lectum iacens: ob idque Galbæ manes, à quo deturbari sese, expellique viderat, propitiare conatus est. Postridiè quoque in augurando tempestate orta grauiter prolapsum, identidem obmurmurasse:* τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, *Suetonius.*

ZONARAS ex Thracesio refert, Isaacio Com*neno Imp. circa Neapolim venanti visum esse aprum hor-*

rendo

rendo aspectu, quem dum laxatis equo habenis persequeretur, in mare demersum euanuisse, & à plerisq; non aprū, sed spectrum quoddam diabolicum esse iudicatum: atq; interim fulgore quodam, instar fulguris, perstrictum Imperatorem, equo præ terrore excussum, & spumam ore reijcientem, humi attonitum iacuisse, atq; inde naui piscatoria in Regiam reuectum, in Studiense monasterium se contulisse. Zonaras.

REFERT Augustinus, quòd vir quidam tribunitius *Hesperius, in Fusalensi territorio Africæ fundum habuerit, qui fuit infestatus à malignis spiritibus, ita vt animalia & seruos grauiter afflixerint. Domestica igitur hac calamitate coactus, accessit Dominus fundi ad Ecclesiæ ministros, rogauitq; vt aliquis ibi preces facere dignaretur. Abijt igitur eò, orauitq; ardenter & seriò, imò etiam ibi cœnam Domini distribuit, & protinus illa Cacodæmonum vexatio cessauit. Libro de ciuitate Dei vigesimo secundo, capite octauo.*

SEVERVS SVLPITIVS in vita Martini libri *I. item in vita Clementis, scribit Monachum quendam anachoretam habuisse patrem non procul degentem, qui filium inuisurus, securim comportabat, qua in reditu ligna domum conferenda cæderet: quare Dæmon in Angeli specie huic apparuit Monacho, Diabolum in patris forma cum securi aduentare, vt eum iugulet, nuncians affirmansq; se ea causa præuenire, admonitum Eremitam, vt is Satanæ conatus præuerteret, prius illum occidens, quàm ab eo interficeretur. Itaq; ratus patrem accedentem salutantemq; esse diabolum, confestim illum interemit, & vicißim monachum Dæmon e vestigio strangulat.*

SVB Ludouico II. Imper. Dæmonium Moguntinam ciuitatem per triennium miserè afflixit. Est in Germania Galliaq; Celtica, haud procul à Bingo oppido, vbi Nauas flumen Rheno miscetur, pagus Camonti vulgò, quasi caput montium dictus. Ibi anno 858. desertor ac perfuga Spiritus multa miracula edidit, circulatorias præstigias lusit, incolasq; infestauit. Primò vmbra feralis à nemine quidem conspecta, lapides in homines iactare, pulsare fores cœpit. Mox sub humana specie pestilens ac nequissimus ille genius delitescens, responsa reddidit, furta prodidit, criminatus quoscunq; nota infamiæ aspersit, discordias, simultates excitauit. Paulatim horrea, casas omnes succendit atq; exussit, sed vni molestior accidit, perpetuò eius lateri, quocunq; diuerteret, hærens, atq; domum comburens. Et vt viciniam vniuersam in necem innocentis concitaret, ob scelera illius hunc locum infamem ac deuotum esse, prauus mendaciorum faber iactabat. Coactus est homo sub dio manere, ab omnibus enim quasi lemuribus nocturnis sacer tecto arcebatur. Atq; vt ille confinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portauit, ac cum non violaretur, insontem se comprobauit: nihilominus tamen in agris frumenta eius in aceruos compositos, idem lar contaminatus ac perditus combussit. Et cum odiosus indies magis atq; magis esse pergeret, coacti pagani, rem ad pontificem Moguntinum deferunt. Sacerdotes missi, agros, villas, sacris comprecationibus ac solennibus, lustrali aqua, saleq; lustrico expiant atq; conlustrant. Praua ac conturbata mens primò quidem renitebatur, ac lapidibus quosdam vulnerauit, verum diuinis carminibus incantatus, efficacibusq; supplicamentis adiuratus, tandem conti-

cuit, nec vsquam gentium apparuit. Vbi discesserunt Mystæ, Spiritus alter atq; pestilens rursus adest, Interim dum illi, inquit, caluastri Sacrificuli, nescio quid immurmurarent, sub lineo amiculo Sacerdotis (nominatim hunc notabat) qui meo suasu filiam hospitis sui superiore nocte compressit, delitui. Atq; hisce relatis, ingenti edito eiulatu, vmbra feralis ex illis migrauit sedibus, loca ritè lustrata reliquit, tenuesq; euanuit in auras. Sigebertus Chron. Hirsaug. Antoninus, Auentinus lib. 4.

APVD Aquilonares populos solent nocturni *Viatores, gregumq; & armentorum excubijs intenti, portentis diuersi generis circumfundi mirifico concentu. Hunc nocturnum monstrorum ludum vocant incolæ choream Eluarum: de quibus eam habent opinionem, quod animæ eorum hominum, qui se corporeis voluptatibus dedunt, corporibus illapsi circum terram volutentur. E quorum numero credunt eos esse, qui se adhuc nostro seculo in effigie humana accommodare solent ministerijs hominum nocturnis horis laborando, equosq; & iumenta curando. Vestigia certè harum laruarum manè interdum in herbida rosida deprehenduntur, interdum verò ceu igne exesa conspiciuntur. Olaus Magnus libro 3. cap. 11. Septentrional. gentium.*

ARX est in extremis terris Finlandiæ suppolaris *Regno Suetiæ subiecta, Noua arx dicta, eò quòd miris ingenijs extructa, arte naturaq; munita sit, nam in rotundo monte collocata est, vnicum habens introitum & exitum versus Occidentalem partem: idq; per ratem grandibus catenis ferreis alligatam, quæ forti labore singulis diebus trochlearum beneficio, ob aquarum impetum, per noctem*

à custodibus ad vnam partem fluminis attrahitur. Hoc castrum præterlabitur vastissimus fluuius, inscrutabilis profunditatis, ex albo lacu descendens, à fundo nigri coloris efficitur, præsertim in circuitu huius arcis, vbi omnes pisces nigros habet, & generat, non tamen ingrato sapore. Tandem vero nigrum lacum efficit, transiens per Viburgum. Ad hunc fluuium spectra subinde apparent, & imminente morte præfecti arcis vel militis alicuius, citharædus per noctem in medijs vndis ludens conspicitur & auditur. Olaus libr. 20. cap. 19. & 20.

IN Islandia insula sub Polo Arctico, Promo*torium est, quod instar Aetnæ perpetuis ignibus æstuat: Ibiq; locus esse creditur pœnæ expiationisq; sordidarum animarum. Illic nempe submersorum, siue alio violento casu enectorum spectra sese offerunt congressibus notorum hominum tam manifesta, vt tanquam viuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum data dextra. Nec deprehenditur error, priusquam disparuerint vmbræ. Incolæ plurimum præsagiunt fata Principum, quidue remotius in orbe peragitur, reuelationibus apparentium spectrorum. Idem lib. 2. cap. 3.*

NACLVM arcem Pomeranorum munitissimam *Vladislaus I. Polonorum Rex obsidebat. Ibi nocte lucente luna, crebrò visebantur ab excubitoribus quasi armatorum hostium acies, ex apertis campis ad statiua Polonorum adequitantes, & incursantes. Cum id sæpius accideret, indignati Poloni, inquietari sese, nec vsquam in apertum certamen prodire hostes. Nocte quadam, cum itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese proripuêre, diffugientesq; casso labore longius per-*

secuti

secuti sunt. Obsessi tumultu Polonorum exaudito, & excursione ex castris animaduersa, erumpunt subitò, & ignē in opera atq; tuguria militum stramine arundineq; contecta inijciunt, quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis qui in castris manserant defendentibus, facile opera cum magna castrorū parte conflagrârunt. Nocturnas vmbras illas fuisse autumant, quæ hostilis exercitus speciem ostentantes, Polonos ita diuino permissu exagitârunt: Hoc incommodo accepto, Poloni quòd hyems, quæ citius & asperius regiones illas affligit, iam instabat, tuguriaq; amiserant, sine quibus vim & iniuriam hyberni cæli perferre non potuissent, simul quod terrores illos nocturnos in religonem verterant, re infecta ab oppugnatione Nacli discessêre. Cromerus lib. 3. histor. Polon.

IN Cracouiensi tractu ad lacum quendam peramplum, *infestatione Dæmonum piscationibus & vsibus hominum exemptum, & hyberna glacie concretum, vicinos cum Sacerdotibus vexilla, cruces, & reliquas sacras, quibus vis Dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia conuenisse tradunt Anno Christi 1278. Immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus, tres pisciculos, altero nihil nisi rete conuolutum, tertio deniq; monstrum horrendum caprino capite, & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, Spectrum illud sub glaciem sese immersisse: ac toto lacu discursans, terribilem strepitum ac sonitum edidisse, afflatosq; ab eo nonnullos homines, fœda vlcera retulisse. Cromerus libro 9.*

IASON Pratensis cap. 26. de cerebri morbis historiam narrat, *de Sacrifico, qui patiebatur incubum quauis nocte etiam vigilans, cum mulierculam sibi notam ad se commeare imaginaretur, quæ vel reluctanti incumbens, grauißimè eum affligeret.*

ALEXANDER ab Alexandro lib. 2. Genialium *dierum cap. 9. scribit, quendam suum familiarem, non ambiguæ fidei hominem, amici funus curasse: & cum inde Romam reuerteretur, nocte adueniente in hospitium viæ proximum diuertisse, & ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cumq; solus degeret, & adhuc vigilaret, ait repentè amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo fermè habitu oris, quali illum cum ægrotaret dimiserat, ad se accessisse. Quem cum fuisset intuitus, & præ timore, nec animo nec mente satis constaret, Quisnam esset? interrogauit. Ille autem cum nihil respondisset, exutis, vt videbatur, vestibus, in eodem, cui ipse incumbebat, lectulo se collocauit, ac prope accessit, quasi eum amplexurus. Alter verò cum ferè iam metu exanimis videretur, ad lectuli spondam secessit, illumq; propius accedentem abegit. Qui se repulsam pati videns, alterum toruo & minus familiari vultu aspectat, resumptisq; mox vestibus è lectulo surrexit, & cinctus calceatusq; inde abiens, nunquam postea apparuit. Quo timore familiaris ille perculsus, graui corripitur morbo, vt propemodum interierit. Addebat his, dum in lectulo cum illo luctaretur, se nudum illius pedem vsq; adeò gelidum contrectasse, vt nulla glacies huic frigori potuerit comparari.*

GORDIANVS meus amicus, inquit idem Alexander, *spectatæ fidei homo, mihi retulit, cùm Aretium*

cum

cum familiari suo proficisceretur, & ab itinere, vt fit, longè aberrassent per difficilia & deuia loca, vt nihil viderent culti, sed saltem nemora, saltus niuei & inaccessi obijcerentur oculis, & ipsa terreret solitudo: vergenteq; ad occasum Sole, labore fessi consedissent, tandem hominis vocem procul audiri visum est, quam secuti, in proximo fastigio trium hominum conspiciunt imagines immanes & formidabiles vltra humanum modum, nigris & demissis tunicis, in veste lugubri funestaq;, barba capilloq; summisso, horribili facie, qui cum voce gestuq; ad se ipsos aduocarent, ac iam propè illexissent, ingente interim corporis mole, longè humana maiores apparuerunt: atq; alius specie non absimili nudus, mirificos edidit saltus, gestusq; indecoros. Quo spectaculo consternati, fugam hi cœpêre, viamq; arduam & præcipitem emensi, vix rustici demum vile hospitium, vbi diuerterent inuenêre.

IDEM Alexander eiusdem argumenti historias *describit libro 4. cap. 19. in hæc verba: Nuper amicus meus summus, ingenio & fide singulari, rem dictu admirabilem sibi euenisse narrauit, eius veritatem multorum comprobans testimonio: se videlicet, cum apud sibi familiarem & coniunctissimum Neapoli diuerteret, & nocte intempesta hominis in via clamantis, opemq; implorantis vocem audiuisset, accenso lumine accurrisse, quid rei esset inquisitum, ibiq; Dæmonem & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, quod iuuenem vociferantem & reluctantem in via infestis manibus inuadere nitebatur. Ad hunc prope accedentem miser ille accurrit, vestemq; & manum quàm potuit tenacissimè apprehendit, multumq; & diu frustra reluctatus, inuocato numinis di-*

uini auxilio, vix tandem à Dæmone se vindicat. Quum vero iuuenem animo turbatum in domum recepisset, vt ab ipso dimitteretur, aut pallium relinqueretur, nequaquam potuit effici, tantus enim illum inuaserat horror, vt mente euicta sui non esset compos, quum illi perpetuò ob oculos versari videretur illa species. Vbi tandem ad se rediisset, rem omnem quo pacto habuerat, exposuit. Fuerat autem sceleratæ vitæ, contemptor Dei, & parentibus immorigerus, quos tunc obiurgârat, contumeliasq; & intoleranda probra in eos congesserat, vt ab illis consecratus diris execrationibus abierit.

THOMAS Monachus, homo minime malus, *cuius fidem probitatemq; in rebus non paucis expertus sum, inquit idem, seriò mihi retulit, quum in Monasterio & sacris ædibus, sitis in Lucanis montibus, cum pluribus altercatus fuisset, & post multa conuicia rixasq; animo perturbato solus secessisset per nemora, se speciem hominis vultu tetro, aspectu deformi sæuoq;, nigra barba, promissis tunicis, obuiam habuisse: Qui rogatus, quid solus per deuia oberraret loca? Respondit: Se equum, quo vehi solet, amisisse, & sua opinione in proximos excurrisse campos: cumq; per sinus inuios equum vnà quæsitum pergerent, ad riuulum, in cuius alueo gurgites latebant formidabiles, deuenerunt. Quare Monachum calceos exuentem in faciliorem transitum, magnopere vrgebat alter, vt in ipsius conscenderet humeros, transferendus ab eo, qui maior erat corpore. Ille acquiescens, collumq; amplexus alterius vada inquirentis, pedes ipsius non humana, sed tetra & deformi specie contuetur. Qua re animaduersa, terrore perculsus, diuinam implorat opem: atq; euestigiò Dæmo-*

nem

nem & simulachrum illud dirum, audita inuocatione diuina, murmure querulo, & turbine vsq; adeò valido profugisse asseuerat, vt imminentem quercum ingenti colliserit impetu, & infractis ramis radicitus euerterit: Se autem consternatum, & velut exanimem diu iacuisse, & nisi præuidisset, Diabolum in vortices & voragines fluuioli præaltas ipsum præcipitaturum fuisse, atq; interempturum, persuasum habet.

SED præ omnibus quæ audiuerim aut viderim, *res est admiratione digna, quam recenti memoria euenisse Romæ comperimus. Cum apud Gabios quidam infimæ sortis & obscuris natalibus adolescens, furiosus, corruptorum morum, & facinorosæ vitæ, parentem obiurgasset, conuitijsq; proscidisset, ijs agitatus furijs Dæmonem inuocat, cui se deuouerat, Romamq; meditatur, vt grauius aliquod flagitium in patrem moliretur. In itinere Dæmonem facie hominis truculenta, sordida barba & capillo, vesteq; obsoleta & squalida obuiam habuit: qui comitatus, tristiciæ & anxietatis causam ex iuuene percunctatur. Hic, sibi quid altercationis fuisse cum patre, & scelus aliquod in animo constituisse respondit. Cui Dæmon, sibi eandem obuenisse sortem ait, pergendumq; vt suas simul vlciscantur iniurias. Cumq; nocte appetente ad vrbem peruenissent, in proximo diuerterunt hospitio, vnaq; incubuerunt. Iuuenis vero somno oppressi iugulo manus inijcit pestilens ille comes, quod iam infregisset, nisi alter expergefactus Deo supplicasset. Vnde furiam illam teterrimam tanta vi, stridore & impetu cubiculum dicitur exeundo collisisse, vt tigna & tectum diruerit, tegulasq; penitus perfregerit. Hoc spectaculo perterritum & ferè mortuum adolescen-*

tem, vitiositatis & anteactæ vitæ pœnituit: qui alio afflatus spiritu, perosus scelera, boni exempli vitam procul à populari tumultu egit. Hæc ille.

ALEXANDER ab Alexandro Iureconsultus Neapolitanus, *cum Romæ ægra valetudine oppressus, iaceret in lectulo, speciem mulieris eleganti forma sibi plane vigilanti obuersatam vidit: quam cum inspiceret, diu cogitabundus & tacitus, reputans nunquid falsa imagine captus, aliter atq; res esset aspiceret. Cum suos sensus vigere, & figuram illam nusquam à se dilabi videret, quæ nam illa esset, interrogauit. At illa tum subridens, & ea quæ acceperat verba respondens, quasi eum planè derideret, cum diu ipsum fuisset intuita, discessit, libro 2. cap. 9.*

DAEMONES qui in domibus oberrare visuntur, *vel mites sunt, vel tetrici & truculenti. Mites videntur Lares dici posse, qui in domibus concubia potissimum nocte versantur, & aliquid se facere vario strepitu indicant, cum reuera nihil faciant. Scribit Vierus, in ædibus suorum parentum, se puero, Lares frequenter auditos, qui pridie quàm accederant mercatores lupulum empturi (è qua re pater ipsius quæstum facere consueuerat) saccorum per scalas deuolutorum strepitum imitari consueuerant, omine semper fausto & veraci. His similes, quos Germani Gutelos vocant, à bonitate, qui etiam aliquid operum faciunt, curam præsertim iumentorum habentes, hominibus alioqui rarò apparentes. Non diuersi ab istis, quos Trullas nuncupant, qui sexu tam mulieris quàm viri ementito, cum apud alias nationes, tum maximè apud Suionas in famulatu fuisse ferunt. Iam vero truculentos Lar-*

uarum

uarum appellatione dignari possumus, qui familiam quocunque modo vel turbant, vel terrent.

IN fodinis quoq; metallicis vtrumq; genus reperitur, *teste Georgio Agricola libro de Animantibus subterraneis. Et truculenti quidem vel solo aspectu terribiles, plerumq; metallicis infesti atq; inimici sunt. Talis fuit Annæbergius Dæmon, qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu, qui Corona rosacea appellatur, eo nomine relictus, quantumuis argento diues esset. Flatum verò emittebat ex rictu, cùm equi specie, habentis procerum collum, & truces oculos appareret. Eiusmodi etiam fuit Schneebergius Dæmon, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius concauitatis quondam feracis argenti collocauit, nō sine corporis attritu. Quæstuosam admodum fodinam deserere apud Turcas cogebatur Iudæus à Dæmone metallico, hominibus frequenter in forma capræ aurea cornua gerentis apparente. At sedatos illos Germanorum alij, vt etiam Græci, Cobalos vocant, quod hominum sunt imitatores: nam quasi lætitia gestientes rident, & multa videntur facere, interim nihil planè efficientes. Alij virunculos montanos nominant, quia plerumq; apparent nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse Seneciones, & vestiti more metallicorum, id est vitteto indusio, & corio circa lumbos dependente. Innoxij sunt hi metallicis, etsi interdum glareis operarios lacessunt, rarissimè tamen eos lædunt, nisi prius cachinno aut maledicto fuerint lacessiti. Potissimum opus facere videntur in his specubus, è quibus metalla iam effodiuntur, vel ea effodi posse spes est. Quocirca à laboribus non deterrentur metallici, sed omen*

inde

inde capientes, alacriori sunt animo, & vehementius laborant, eosq; exoptant.

THEODOSIVS Imperator, cum exhausto frequentibus bellis fisco, *tributum nouum vrbibus imposuisset, solus Antiochenus populus nouum vectigal non tulit, sed seditione mota, Placillæ quoq; Imperatricis statuam (quamuis iam mortuæ) fune pedibus adaptato per vrbem contumeliosè traxit. Quod flagitium tam grauiter Imperator tulit, vt nisi D. Flauiani Episcopi precibus, & D. Ambrosij autoritate (qui nihil eum in sontes statuere, priusquam trigesimus dies exactus esset, iureiurando adegerat) motus, cædem quoq; ibi magnam, sicut Thessalonicæ, perpetrasset. Nicephorus lib. 12. cap. 42. Ferunt ea nocte, quæ diem seditionis præcessit, fœminam sublimem in aëre conspectam, magnitudine ingenti, aspectu horrendo, quæ per vrbis plateas in aëre currens, flagello aërem diuerberauit, similem sonitum edens, qualem edere consueuerunt, qui in caueis ad furorem bestias excitant. Idem lib. 9. cap. 42.*

IN Pelignis oppidi cuiusdam dominus superbè *auareq; ciuibus imperitabat, ac trucibus dictis factisq; in subditos seruilem in modum animaduertere solebat, eosq;, licet imperata facerent, neq; segniter mandata exequerentur, ob leues plerumq; causas, pœnis & damno mulctabat. Forte autem cum homo quispiam alioqui bonus, sed tenui re familiari, inops atq; despectus, ipsius domini venaticum canem, cuius miro studio tenebatur, ita verbere affecisset, vt ob id perijsse putaretur. Cum id dominus resciuisset, vehementer offensus, eum truci & minaci vultu grauiter increpitum, in pessimum coniecit carcerem: ibiq; vinctus*

graui

graui custodia teneretur, post aliquot dies hi, quibus diligens ipsius mandata erat, clauso iam carcere, & tam foribus quàm omni aditu persepto, ne elabi posset, cum ad illum accederent, vt solebant, in eodem intus carcere nusquam inuenêre: qui diu conquisitus, quum non appareret, nullumq́ effugij vestigium extaret, rem ad dominum detulêre. Quod cum credi vix posset, ipseq́ mirum in modum obstupefieret, post tres fermè dies ijsdem foribus pessulo firmatis, idem ipse, qui modo carceri addictus fuerat, imprudentibus omnibus, & nomine conscio, rursus in eodem intus carcere intrusus apparuit, & attonito stupentiq́ similis, vt ad dominum quantocyus admitteretur, postulauit, habere quod illi propere nunciaret, magnum, nec differendum. Cumq́ ad eum protinus admissus esset, se ab inferis remissum enarrauit, si quidem cum diutius carceris squalorem ferre nequiret, seu desperatione victus, seu iudicium reformidans, inops consilij, malum Dæmonem, vt sibi præsto esset, seq́ ex tam tetro carcere relaxaret, aduocasse dixit. Nec multò post, Dæmonem fœdo aspectu, & terribili facie in eodem intus carcere aspexisse, & secum pactum fuisse, ab eodemq́ & ferreis claustris, non sine graui pressura extrusum, in loca deinde inferna, & profundas vastitates, ac fundum telluris intimæ actum esse præcipitem, singulaq́ lustrasse, impiorumq́ supplicia, & sedes conscelerat as, æternasq́ tenebras & ærumnas vidisse, ac loca fœda & formidolosa, regesq́ & summos duces in abrupto hiatu & profundo voraginis densa mersos caligine affligtari, & furiarum ardentibus facibus agitari: Pontificesq́ vidisse insulis & trabeis, purpura & auro distinctis, ac gemmis ornatos, aliasq́ miserabiles facies omnis generis

hominum, ætatum & ordinum, in cultu vario afflictos, & iacentes inter prealtas voragines, alios immenso limo haustos æternis supplicijs & nocte cruciari, ipsorumq́ damnata scelera sempiterno dolore puniri: inter quos plures, quos nouerat in vita, adnotauit, & præcipuè intimum familiarem, quem dum in vita ageret, æqualem sodalemq́ habuerat, allocutum dixit, adeò probè agnitus, & miti satis sermone requisitus fuit, quid rerum ageretur, & quid reliqui spei sibi foret. Ipseq́ cum patriam graui seruitio & crudeli dominatu vsq́ premi respondisset, illum mandasse, vt Domino enunciaret, caueret, ne quid tale ageret in posterum, néue graui tributo & iniquo vectigali subditos opprimeret, namq́ illi vacuam sedem, quàm prope cernebat, præstitutam esse prædixit. Et vt haud dubius promissi foret, fidemq́ vt dicto haberet, meminisse, inquit, illum debere secreti consilij & mutuæ pactionis, quam dum vna militarent, & in castris agerent, clam iniuissent, quorum nemo particeps aut conscius vnquam fuit. Quod consilium cum memoriter ille enunciasset, & non solum dicta conuentaq́, sed & singula verba sponsionesq́, quibus vterq́ astrictus erat, recensuisset, ipse Dominum ordine hæc audientem, animo serio & attentiore factum, mirum in modum obstupuisse, ingensq́ animo formido incussa fuit, consideranti quónam modo, quæ soli sibi credita, & nulli vnquam enunciata fuêre, homo ille hebes & tardus ingenio, quasi numine afflatus, explorata haberet, eaq́ vultu interrito enunciaret. Adijciunt miraculo, eundem interrogasse illum, cum quo tunc sermo erat apud inferos, qui nitido cultu vestituq́ apparato videbatur, nunquid aliquo cruciatu afflictarentur, qui insigni veste & auro conspicui forent?

illumque respondisse, perenni incendio, interque maximos cruciatus, & sempiterno dolore vsque premi & afflictari, idque totum quod auro & purpura fulgeret, ignem atque incendium esse. Et quum ipse id experiri volens, propius manum purpuræ admouisset, admonitum ab eo fuisse, ne tangeret, & tamen efficere nequisse, vt non ex caloris afflatu, palma sibi manus, quam tunc ostendebat, incendio, ipsi purpuræ admota, deflagraret. Erat enim pustulis liuentibus, & tetris vlceribus veluti tabe & igne sacro, maloque, quod latius serpere videbatur, ferè consumpta. Referunt præterea qui illum adiuêre, eum postquam ab inferis emersit, quasi mente consternata, hebetique aurium, oculorumque sensu affectus foret, semper cogitabundum, rarũ prodidîsse sermonem, vixque sæpius interrogatum colloquenti respondisse. Vultu verò tam tetro, & aspectu tam deformi, reuertisse, & qui dudum à coniuge & liberis probè agnitus foret, is posteaquam remeauit ab inferis, tam diro vultu, totiusque facie corporis dissimilis effectus est, vt vix eundem illum esse crederent, sæpiusque obortis lacrymis, ob faciei diritatem, & speciem hominis fœdissimè mutatam, notos affinesque ipsum allocutos fuisse, ægreque vt ante obitum, qui mox consecutus est, res suas dispensaret, ac liberis & posteritati consuleret, vitæ spacium habuisse. Alexand. libro 6. cap. 21. Genial. Dier.

HETRVSCO quodam arante in agro Tarquien*si, cum profundius adactus foret vomer, erupisse quendam Tagem narrant, puerili effigie, sapientia senili, & aratorem alloqui cœpisse, illum verò perterritum exclamasse. Ad cuius vocem finitimorum primò concursum factum esse, inde gradatim progressa rei fama, intra dies paucos in*

eum agrum uniuersam Hetruriam confluxisse. Puerum illum audientibus cunctis, multa dixisse, dicta eius obseruata & scriptis edita, ex quibus accedente longa rerum experientia, omnis aruspicina processerit, ita tamen, vt si ad alias serperet nationes, apud Thuscos præcipuum eius magisterium vigeret. Franciscus Petrarcha.

DRVSVS Consul factus, nomine Augusti Cæsaris *Germaniæ bellum inferens, eaq́ magna ex parte subacta, cum vlterius progredi statuisset, mulier ei natura humana maior obuia, dicere visa est, Quo nam properas Druse insatiabilis? Non in fatis est, vt ista omnia videas, verum abito, iam enim & vitæ & operum tibi finis instat. Inde rediens in morbum incidit, ex quo decessit. Zonaras.*

DVNSTANVS Anglus Glasconiensis Abbas, *cum ex scurrilibus Dæmonis cuiusdam ante se saltantis gesticulationibus Edmundi Anglorum Regis obitum cognouisset, ad aulam regiam incitato cursu contendit, & in medio itinere de obitu Regis certior factus est. Vincentius lib. 24. cap. 71.*

ADRIANVS PATRICIVS à Basilio Imperatore *contra Carthaginenses missus, in Peloponeso naues in statione habuit. Quadam nocte Pastores audiuêre Dæmonum ibi degentium vocem inter se colloquentium, & pridiè captas excisasq́ Syracusas narrantium. Is sermo ab aliis ad alios peruagatus, tandem etiam ad Adrianum pertigit. isq́ ad se vocatis pastoribus & examinatis, deprehendit, rumorem ad se perlatum ipsorum verbis confirmari, vt suis etiam auribus fidem rei probaret, perductus ad eum locum à pastoribus, Dæmonesq́ eorum opera percontatus, captas iam esse Syracusas audiuit. Cedrenus.*

POLYCRITVS quidam Aetolus à populo Aetolarcha creatus per trennium, virtutis ergò vxorem duxit Locridem, cum qua tres dormiuit noctes, quarta extremum vitæ diem morte confecit. Mulier domi vidua mansit. Et cum partus tempus appetijsset, infantem peperit binis pudendis, masculino ac fœminino, mirificè omnino monstrosum. Perterriti hoc casu propinqui, fœtum in forum protulerunt, aduocataq; concione, & coactis sacrificulis atq; monstrorum inspectoribus, de eo deliberârunt. Horum alij pronunciârunt, dissidium aliquod Aetolorum & Locrensium portendi, fœtum enim diuisum esse, matris Locridis, ac patris Aetoli. Alij censuerunt matrem cum fœtu extra fines Aetoliæ deportari ac cremari debere. Dum hæc consultantur, subitò Polycritus pridem mortuus, in concione existit prope infantem, atra amictus veste, is perterritos ciues eo spectro, affatus est, & sibi infantem suum precibus primò, mox etiam minis intermixtis, restitui petijt. Negantibus alijs, alijs consultationem differentibus, ira exardens Polycritus, arripuit infantem, & plerosq; ferocius abigens, discerpsit eum, ac vorauit. Clamorem multitudo sustulit, lapidibusq; eum coniectis arcere aggressa est. Verum ille nullis saxorum obnoxius ictibus, totum infantis corpus, dempto capite, absumpsit, subitoq; euanuit. Quod factum cum Aetoli ægre ferrent, & in anxietatem haud mediocrem venirent, Delphosq; mittere vellent, caput infantis in solo iacens loqui cœpit, & longa oratione ingentem cladem ciuibus impendere prædixit. Audito Aetoli oraculo, vxores, infantes, & senio prouectos exposuerunt, quò quisq; potuit: ipsi manserunt domi, & quid futurum esset, expectauerunt. Contigit autem, vt anno proxi-

mo inter Aetolos & Acarnanes bellum existeret, & vtrinque magna fieret clades. Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longæuis, ex Hierone.

BELLO Siculo, quod inter Octauium Cæsarem, *& Sex. Pompeium Magni F. gestum est, Gabienus Cæsaris classium fortissimus, à Pompeianis militibus captus, incisa ceruice & vix cohærente iacuit in littore diem totum, cumq́ue tenebræ fieri densiores inciperent, gemitu precibusq́ue congregato vulgarium cœtu, petijt vti ad se iuberent Pompeium quamprimum venire, se ab inferis remissum habere quod nunciaret. Misit ex familiaribus Pompeius quamplures, quibus Gabienus dixit, Inferis Dijs placere Pompeij causas, & partes pias, argumentum fore veritatis, quòd peractis mandatis protinus expiaturus esset: idq́ue ita euenit. Plinius lib. 7. cap. 52. Verum Satanæ ludibrium euentus ipse detexit. Cæsar cum Superis victor Pompeium ad inferos suos misit.*

VICTORIAM de Tarquinijs, qui socijs Latinis *arma mouerant, duo viri eximia & eminenti specie visi sunt, qui breui pòst recentes à castris nunciârunt. Hos Tyndaridas fratres coniecerunt fuisse. L. Domitius, qui primus eos appellauit pro fonte in foro reficientes equos, qui multo sudore manabant (Suetonius rure redeunti obuias factos iussisse ait victoriam nunciare) mirabatur victoriæ nuncium. Mox ferunt eos arridentes attrectasse manibus illius barbam, quam confestim in ruffam ex nigro versam, fidem nuncio, ac viro Aenobarbæ dedisse cognomen. Plutarchus in Aemylio.*

RATHBODO Duci Frisonum Diabolus apparuit *in Angelum transfiguratus, caput opertum diademate*

aureo cum gemmis, & veste auro intexta, inquiens: Virorum fortißime, quis ita te seduxit, vt à cultura Deorum velis recedere? noli hoc facere, sed mane in his quæ didicisti, & venies ad domos aureas, quas tibi æternaliter in proximo sum daturus. Cras ergo accipe Vulfrannum doctorem Christianorum, & ab eo quære, quænam sit illa mansio æternæ claritatis, quam tibi pollicetur. Quam dum demonstrare nequiuerit, vtriusq; partis mittantur legati, & ego ero Dux itineris, & demonstrabo illis domum auream, mansionemq; pulcherrimam, quam tibi promitto. Euigilans Rathbodus, narrauit cuncta suo Vulfranno. Qui dixit: Præstigias has esse Diaboli. Respondit Dux, se futurum Christianum, si illam pulchram mansionem sibi ostenderet. Mittitur statim quidam Friso ex parte Ducis, & quidam Diaconus ex parte S. Vulfranni: Qui cum paululum ab oppido processißent, obuium habuerunt quendam itineris comitem, qui dixit eis: Properate cito, nam monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Rathbodo Duci præparatam. Illi pergentes viam latißimam, & loca ignota, viderunt quandam viam diuersorum generibus marmorum polito opere decoratam, videruntq; à longe domum quasi auream, & peruenerunt ad plateã ante domũ auro & gemmis stratam. Intrantes in domum, miræ pulchritudinis & splendoris, viderunt in ea thronum miræ magnitudinis. Tum ductor itineris ait illis: Hæc est mansio præparata Rathbodo Duci. Ad hæc Diaconus obstupescens, ait: Si à Deo facta sunt ista, perpetuò maneant: si à Diabolo, citò dispereant. Et cũ signaret se signo sanctæ crucis, Ductor ille transijt in Diabolum, domus verò aurea in lutum. Remansitq; Diaconus & Friso, in loco palustri, & senticoso: triduoq; immensi

itineris conficientes iter, reuersi sunt ad oppidum, Ducemq; mortuũ inuenerunt, narrauerunt q; quæ viderant, S. Vulfranno, Anno 718. Vincentius libro 23. cap. 146. ex Ouone Presbytero. Sigebertus & Erphordiensis cap. 66.

VALENTINVS quidam Mediolanensis Ecclesiæ *Episcopus, Arianorum defensor, homo valde leuis, cum in Ecclesia beati Martyris Syri sepultus esset, noctu ibi exauditi sunt horrendi clamores. Duo custodes exciti, accurrunt, & duos cacodæmones vident Valentinum pedibus ligatum & vociferantem ex templo trahere. Mane cadauer Valentini extra templum in alio loco conditum viderunt. Gregorius Turonensis libr. 4. Dialog. cap. 53. Vixit sub Iustino Imperatore.*

CIRCA annum Domini 1096. propè VVormatiam, *multis diebus & noctibus maxima armatorum multitudo huc illuc discursitans apparuit: & in vicinum montem, vnde prodire consueuerant, subinde recurrit. Nocte quadam Monachus Limpurgensis, assumptis socijs quibusdam montem accedit, muniensq; se signaculo crucis, adiurat exeuntes, per virtutem sanctæ & indiuisæ Trinitatis, vt sua proderent nomina. Cui vnus de turma: Nos sumus phantasmata, nec militum viuentium turba, sed animæ hominum, principi terrenorum quondam in hoc mundo militantium, atq; ante paucos annos in hoc loco interfectorum: arma, habitus & equi, quæ nobis viuis erant instrumenta peccati, nunc in mortuis sunt indicia tormenti: omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Quærit porrò Monachus, vtrum iuuari ab hominibus poßint. Tum Spiritus illi: Ieiunijs, orationibus, &*

imprimis oblatione corporis & sanguinis Christi iuuari possumus: & hoc à vobis fieri rogamus. His dictis, tota caterua, quasi vna voce exclamat: Orate pro nobis, Orate pro nobis, Orate pro nobis. Et statim omnes in ignem resoluti videbantur, & mons ipse ardens ignem cum maximo fragore emisit. Chronicon Hirsaugiense.

CICERONIS nutrici spectrum aiunt se obtulisse, *ac prædixisse, ingens eam bonum omnibus Romanis nutrire. Hæc cum somnia esse, & vana alioquin viderentur, ipse breui ostendit certum fuisse oraculum. Eidem consulenti Apollinem Delphicum, qua potißimum ratione summam gloriam assequeretur? sortes data fuerunt, vt suum ipsius ingenium, non vulgi existimationem, ducem sequeretur vitæ. Plutarchus in Cicerone.*

PERTINAX paucis diebus antequam periret, *fertur dixisse, se cum in viuarium inspiceret, in aqua vmbram conspexisse, quæ stricto gladio mortem minabatur. Sabellic. lib. I. cap. 4. Et P. Annio Tacito Imp. mortis præsagia fuère, sponte patefactum parentis sepulchrum: Item, quod iam mortuæ matris vmbra ei apparuit: neque sine horrore, diuersa in specie locoque, fratris manes. Fulgosus lib. I. cap. 4.*

CONSTANTIVS Imperator à bello Persico *ad opprimendum in Gallia Iulianum conuersus, cum anceps hæreret, fortuna iam subsistente, & aduentante fato vitæ, sæpe nocturnis terrebatur vmbris. Et cum esset moturus exercitum, nocte quadam nondum penitus mersus in somnum, imaginem patris viderat obtulisse pulchrum infantem, eumque susceptum & locatum in gremio suo, excussam sibi proiecisse sphæram, quam ipse de-*

xtra manu gestabat. Quod plane permutationem temporum indicabat, licet interpretantes pro captu ingenij sui blanda responderent. Posthac confessus est familiaribus charioribus, se esse desertum à Genio suæ tutelæ ac salutis autore, qui familiarius olim secum multa commentatus, tum squalidus & horrendus sibi videretur, tanquam eum deserturus. Hæc illi apparuêre, cum ex Antiochia versus Tarsum veniret. Cuspinianus.

APAMEÆ templum Iouis fuit, & maximum, & *ornamentis varijs & præcipuis pulcherrimum, quod cum Præfectus Orientis cum duobus Tribunis vrbem ingressus, demoliri vellet, lapidumq́; & materiæ structuram solidam & firmam admodum esse cerneret, fieri non posse putauit, vt tanta compago soluta diruatur. Diuus autem Marcellus Episcopus, Præfectum sic laborem eum reformidantem cernens, illum quidem ad alias vrbes transire, iußit: Ipse autem Deum precatus est, vt rei tam difficili & desperatæ exitum aliquem daret. Breui post adijt quidam Episcopum, mercedemq́; stipulatus, sese igni fundamenta columnarum concussurum, templumq́; demoliturum pollicitus est. Verùm iniecto igni Dæmon quidam ater apparuit, naturalemq́; eius vim inhibuit. Quod vbi rescivit Marcellus, templum ingressus, ardentibus ad Deum fusis precibus, Dæmonem fugauit, nec mora flammam concipiente materia, fulcrisq́; columnarum euanescentibus, magno cum fragore tota structura ruinam traxit. Niceph. lib. 12. cap. 27.*

PILAPPII extremam Scandinauiæ Peninsulæ *partem ad mare glaciale inhabitant. Apud eos ingens est numerus, & ingens potentia spectrorum, quæ*

versan-

versantur, conuiuantur, & colloquuntur cum ipsis, neq; arceri aut abigi vlla ratione queunt. Cumq; præcipuè terreantur & exagitentur à manibus cognatorum post mortem, ne id fiat, prohibent cadaueribus defoßis & sepultis sub foco. Hac medicina sola contra Dæmonum sese vexationes & terriculamenta muniunt ac tutos præstant. Id enim si faciant, nulla in posterum illorum vmbra comparent amplius: Si negligant, obuersantium perpetuò cognatorum vmbris turbantur & infestantur. Hoc tempore minus est ibi incantationum, quàm fuit antea, quòd Sueciæ Rex, ne ijs amplius vtantur, seuerißimè prohibuit, & quantum potest, curat eos de Religione nostra rectè erudiri, &c. Caspar Peucerus, de Θεομαντείᾳ.

FERVNT in Bauaria virum nobili familia na*tum, extincta vxore tantum animo dolorem cepisse, vt omni exclusa consolatione, vitam ageret solitariam. Tandem vbi nullum finem lugendi faceret, vxorem eius noctu ei comparuisse excitatam à mortuis, ac dixisse, se quidem semel confecisse curriculum vitæ à natura datum, sed ipsius importunitate reuocatam nunc in vitam, atq; à Deo iussam vti eius consuetudine diutius, hac tamen conditione & lege, vt matrimonium morte solutum, denuo per Sacerdotem solenni ritu inauguraretur, atq; deinceps ipse abstineret blasphemis conuitiandi verbis, quibus vti consueuerat: se enim horum causa ei ademptam fuisse, atq; iterum excessuram è vita, cùm primum eiusmodi aliquod verbum edidisset. His actis illam curâsse rem domesticam, vt antea, & aliquot etiam peperisse liberos; semper tamen fuisse tristem & pallidam. Post multos verò annos maritum vesperi potum, & ancillæ iratum edidisse*

verba, quæ non debebat: Interea illam disparuisse è cubiculo, vnde allatura erat marito poma, ac reliquisse muliebrem vestitum sine corpore stantem ad cistam vbi poma seruabantur. Hæc audiui ex multis viris fide dignis, qui affirmabant Ducem Bauariæ eadem retulisse Duci Saxoniæ pro veris. Hæc Sabinus in decimum Metamorphoseos Ouidianæ.

Anno millesimo quadragesimo quinto, Bruno *Episcopus Herbipolensis, cum Heinrico tertio eius nominis secunda Danubij aqua, sed in diuersa naui Boiariam Orientalem petit. Est oppidum Austriæ, Greinon vocant, supra id præruptæ rupes surgunt, saxeæ moles cubant ac prominent, per quas Danubius vasto impetu, ingenti fremitu, qui procul auditur, spumandus fertur. Teutones hunc locum infamem, perniciosumq́ue nauigantibus Strudelon nuncupant. Cæsarem tum illac nauigantem Bruno VVurtzburgensis Episcopus (vt diximus) cognatus eius alia naue comitabatur, dumq́ue saxo cuidam eminentiori allabitur, atra Aethiopis imago, satis apertè, ferale (vt exitus probauit) signum: ibidem consistit, Brunonem appellat: Heus heus Episcope, malus sum, inquit, genius, & quouis gentium proficiscare, meus es, nihil quidem impræsentiarum agere aduersus te habeo, breui tamen iterum me videbis. Cunctis abominantibus, pestilens Spiritus ab Episcopo signo immortali appetitus, adiuratusq́ue carminibus sacris, sub oculis omnium euanuit. Atque hoc saxum adhuc monstrari solet, cui imposita turris lapidea absque tignis & tecto, cognomen ita sortita, adhuc retinet. Vnde ad decem millia passuum progreßi, in vico Bosenburg diuertunt. Ibidem Cæsarem Richlita vidua (cuius mari-*

tus Adalbero ab Eberſperg, primæ Boiariæ caſtelli, nunc templum eſt, Dynaſta, ſuperiore quadrageſima deceſſerat) magnificè hoſpitio & conuiuio excipit, oratq́; vt Boſenburg & prædia, quæ hiſce locis maritus precario poſſederit, VVelphoni tertio, nepoti ſuo ex fratre, tradat. Cæſar cœnaculum conſcendit, dum coram Brunone Epiſcopo, & Alemanno præſide Eberſpergenſi atq́; Richlita, extendens dexteram poſtulatis annuit, repente contignatio collabitur, ex qua ruina Bruno interijt. Auentinus lib. 5. Annal. Boiorum.

FERVNT in montanis Bohemiæ non rarò apparere *Monachum, quem nominant Rubezal, & perſæpe in thermis conſpicuum, iter per montanas ſyluas facturis ſeſe adiungere, eosq́; bono animo eſſe iubere, ſe enim ignaros itineris recto tramite per ſyluam deducturum, quos ſimul ac in nemore in auia deduxerit, vt quò ſe vertant, prorſus neſciant, eum protinus in arborem ſubſilire, tantumq́; cachinnum tollere, vt vaſtum inde nemus reſonet. Monachus iſte vel Rubezal eſt Satanas ipſe, qui aſſumpta Monachi ſpecie iſtas nugas agit.*

IN mari aliquando monſtrum captum fuit, per *omnia fœminæ ſimile, mirificæ venuſtatis & pulchritudinis: Quod cum in naui detineretur, tandem ex remigibus vnus vxorem ſibi illud duxit, adeoq́; prolem vnicam ex ea ſuſtulit. Exacto triennio, cum ad eundem locum, vbi monſtrum illud captum fuerat, reuerſi eſſent; fœmina iſta è naui in mare protinus deſilit, arrepto ſecum quem habebat infante. Infans in aquis perijt, ſed monſtrum ex oculis omnium euanuit. Perfacilè eſt, inquit Lutherus, Sa-*

thanæ,

thana, vel viri, vel mulieris formam assumere. Ex colloquijs Lutheri.

QVIDAM nobili clarus prosapia, Martinum Lu*therum, aliosq; viros eruditione celebres, VVitenberga in ædes suas ruri positas inuitârat, cumq; animi gratia venaturus lepores egressus esset, oblatus est ei lepus magnitudine insignis, & vulpes, festino cursu per campos properantes. Nobilis valido insidens equo, cum clamore eos insectatur, protinusq; equus collapsus, sub ipso extinctus est: lepus in aërem sublatus euanuit. Spectrum hoc verè fuit Satanicum.*

ANNO millesimo, quingentesimo, quadragesi*mo sexto, Islebiæ in cœna referebat Martinus Lutherus, In Thuringia circa montem, quem vocant Herselberg, iuuenes quosdam nobiles noctu leporum venationi & capturæ intentos, lepores circiter octo plagis inuolutos cepisse, quos cum domum reuersi suspendissent, mane eos offendisse capita caballorum, qualia in fœtentibus carnificinis reperiuntur. Colloq. Lutheri.*

ROTENBVRGI ad Tuberum honesti viri ædes *frequentare solebat quidam, & vestium splendore, & diuitiarum iactatione, nobilitate illustrem sese virum professus, duos sibi iunctos habebat comites, vestitu non minus precioso indutos. Adducebat tibicinem unà fidicine, conuiuia choreasq; instituebat, sub prætextu illius patrisfamiliâs ducendi honestam filiam. Se nobili stirpe natum esse affirmabat, diuitias immensas, arces, prædia, oppidula in longinquis terris sibi esse plurima, nec quicquam eorum, quæ in hoc mundo optari aut desiderati possint, deesse, præter vxorem decoris ornatam moribus. Displicuit*

Patri

Patrisfamiliâs hospitis eiusq; sociorum importunitas. Quæ res eum mouit, vt hospitibus istis aduentantibus illius loci verbi diuini ministrum quoq; ad cœnam vocaret, & pia cum eo ex verbo Dei inter cœnandum misceret colloquia. Vehementer hospitem eiusq; socios ista colloquia offenderunt. Quare aliam dicendi materiam quærentes, multas, inquiunt, facetias esse, quæ potius conuiuiis exhilarandis inseruiant, quàm diuini verbi interpretationem: se rogare, ne eis vlterius sacra Scriptura tædium & molestias creare velint. Ex quibus facile cognouit Paterfamiliâs, diabolicum conuiuarum istorum ingenium, & iam satis aduersus Diaboli insidias confirmatus: Apagite, inquit, vos scelerati nebulones, nihil vobis commertij est mecum & cum meis. Baptizati nos sumus, & precioso Christi sanguine redemti, is quoq; nos aduersus Diabolicas vestras insidias tutabitur. His dictis, magno protinus cum strepitu impostor ille tartareus cum suis socijs euanuit, relicto post se fœtore teterrimo, triumq; suspensorum hominum cadaueribus. Manlius in Collectaneis.

VIR quidam diuitijs abundans, tredecim mi*liaribus à Görlitz, cœna opipare instructa conuiuas inuitârat, qui cum aduenire recursarent, ira ille excandescens: proh, inquit, si venire isti recusant, adueniant ergo quotquot sunt Diaboli. Vota hæc non sunt irrita. Nam ingens protinus eorum numerus, quos cum execratione vocârat, ad ipsum aduentat. Quos ille primo aspectu non agnoscens, humaniter accepturus accedit. Verum cum illi loco manuum vngues protenderent, supra modum territus, quos domi sua iam haberet conuiuas facile intellexit. Trepidus itaq; cum vxore sua ex arce profugit, reli-*

cto in cunis infantulo & morione, qui in hypocausto cunis aßidebat. Sed cum infantulo morio iste è turba Dæmoniorum incolumis euasit. Iobus Fincelius de Miraculis.

DOCTI quidam viri in concilio Basiliensi *animi gratia in syluulam egreßi fuerant, vt amicè de controuersiis illius temporis conferrent. Inter eundem auiculam in modum luscinia dulcißimè canentem audiunt: admirantur vocis dulcedinem, cuius sit auis cantus dubitant. Ingreßi syluam, arbori insidentem auiculam conspicantur, eamq; citra remißionem quàm suauißimè canentem, attentis omnes & animis & auribus auscultant. Tandem is, qui cæteris cordatior videri volebat, alloquitur his verbis auiculam: Adiuro te in nomine Christi, vt indices nobis, quis sis? Respondit auicula: Se esse vnam ex damnatis animabus, & destinatam esse ad eum locũ, vsq; ad diem nouißimum, & tunc supplicium æternum subeundum esse. His dictis auolauit ex arbore, clamitans: O quam diuturna & immensa est æternitas. Iudico fuisse Diabolum, inquit Philippus Melanchthon, in illo loco habitantem. Omnes verò qui huic adiurationi interfuerunt, vehementer ægrotare cœperunt, & paulò post sunt mortui. In collectaneis Manlij.*

VIR quidam præpotens, & ætate grandis, *Diaboli adiurationibus erat deditus, suumq; hac in re studium tueri voluit dicto illo: Semen mulieris conteret caput serpentis, quasi homini data sit potestas in Diabolum, vt quandocunq; ipsi lubeat, eum accersere & eijcere poßit. Non inde animo meo, inquit Lutherus, ea accedit fiducia, vt Diabolorum vti commercio ausim. Et subiecit tandem, quid Domino Nicolao Ambsdorffio Episco-*

po Ci

po Cizensi, qui vt ipsemet retulit, & verè confessus est, aliquando in vrbe Magdeburgensi, cum ibi adhuc pastorem ageret, in diuersorio noctu dormiens, à duobus Nobilibus, iam pridem mortuis, quos duo praecedebant adolescentes, faculas manibus gestantes, excitatus est, & seposito omni metu, cum nihil ipsi periculi ingruat, iussus surgere. Dicto ille est audiens. Ibi viri isti nobiles literas, quas scriberet, ipsi dictârunt, & vt principi cuidam eas offerret, iusserunt. His peractis euanuerunt. Literas ille, cui offerre iussus erat, obtulit.

ANNO millesimo, quingentesimo, quadragesimo quinto, *Rotvvilae per vrbem Satanas vagatus est, saepe leporis, saepe etiam anseris, interdum quoque mustelae assumpta forma, claraque & diserta voce minatus est, se vrbem incensurum esse. Quae res non parum terroris hominibus incussit. Fincelius lib. 1.*

ANNO millesimo, quingentesimo, tricesimo quarto, *In vigilia Natiuitatis Christi, in ciuitate quadam Saxoniae, Diabolus humana specie assumpta, eius loci parochum Laurentium Donerum, cum eos, qui postridie sacram coenam accessuri, peccata sua confiterentur, audiret, confidenter accessit, petens suam quoque audiri confessionem. Admissus horrendas aduersus Christum filium Dei blasphemias euomuit. Verum cum virtute verbi Dei à Parocho victus esset, intolerabili post se relicto foetore abijt. Idem.*

FRIBVRGAE, quae est celebris vrbs in Misnia, vir *quidam & pietate & aetate venerandus, cum graui morbo decumberet, vltimusque dies iam instaret, Satanas pontificali veste amictus, cum solum forte relictum accessit,*

senem-

ſenemq́; in ipſo agone vehementer exagitans, ab eo poſtulauit, vt ſingula delicta, quæ in vita ſua commiſiſſet, ordine enarraret, eaq́; ille chartam & atramentum in promptu habens excepturus erat. Verùm cum Senex ex verbo Dei poſtulata Satanæ vehementer impugnaret, nec tamen ille à ſua importunitate deſiſteret, tandem ait Senex. Quandoquidem ergo omnino hoc vrges, vt ſigillatim delicta mea tibi enarrem: ſcribe itaq;, huiuſmodi primum facto exordio: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Quibus auditis, Satanas chartam atramentumq́; in terram proiecit, relictoq́; poſt ſe ingenti fœtore euanuit. Senex paulo pòſt in Chriſto placidè obdormiuit. Doctor VVellerus, & Manlius in collectaneis.

FVIT Heidelbergæ Doctor Theologiæ, fautor *Euangelicæ doctrinæ, cuius famulus ex inferiore Germania oriundus, cum viſitatis patrijs laribus Heidelbergam reuerteretur, nec procul ab vrbe eſſet, obuium habuit equitem prægrandi equo inſidentem, à quo vi in equũ raptus eſt, vbi cum equitem apprehenſurus eſſet, vt à ruina ſibi caueret, eques eueſtigio euanuit; ipſe verò ab equo in ſublimem aërem raptatus, hinc proxime vrbem iuxta pontem graui impetu deiectus eſt, vbi per aliquot horas omni ſenſu priuatus, quaſi exanimis iacuit: tandem vbi recollectis viribus, ſe prope vrbem eſſe intellexit, ſurrexit, hoſpitiumq́; ſuum ingreſſus, per ſemeſtre ſpacium antequam priſtinæ ſanitati reſtitueretur, decubuit.*

IN inferiore Germania monſtrum oberrâſſe fertur, *hominis quidem magnitudine, ſed ſpecie canis, id eos, qui morituri eſſent, quaſi odoratu afflauit, eſtq́; à multis, qui non afflati ab eo ſunt, nec eo anno mortui, viſum. Fu-*

neris indicem nominabant. Qui mortem sibi ingruentem metuebant, ij per Idololatricas Missas opem & salutem quærere festinabant. Eo modo ad Idololatriam hominem adduxit Satanas.

NON procul à Torga quidam nobili progna-*tus genere, animi gratia per campos obambulans, obuium habuit quendam equitis habitu amictum (erat autem Diabolus) eum salutatum, famulum sibi adsciscit, qualis esset, tum temporis ignorans, equorumq́ curam ei committit. Porrò nobilis iste, homo erat impius, ex rapinis potissimum viuens, ad quam rem seruum sibi idoneum adeptus fuerat. Aliquando cum discessurus esset, equum sibi præ reliquis charum ipsi commendabat. Seruus equum in præaltam turrim subducit. Herum domum reuertentem equus è turri agnoscit, clarumq́ edit hinnitum, capite è turris fenestra porrecto. Herus admirabundus, equum eò quis subduxerit, interrogat: Respondet frugi ille seruus, se heri sui mandata sedulò executum esse. Cogebantur deinde magno cum labore equum funibus constrictum è turri rursus demittere. Accidit præterea, vt nobilem insectarentur ij, quos spoliauerat, ibi seruus herum allocutus: Fugam, inquit, here capesse: moxq́ è sacco cum clangore depromit ferreos vngularum calces, quibus insectantium equos spoliauerat, eorumq́ cursum inhibuerat. Tandem in vincula coniectus, huius serui sui auxilium implorat. Respondet seruus, duris eum compedibus constrictnm teneri, nec liberari à se posse. Instat herus, donec seruo persuadet, vt suam operam hac in re sibi locaret. Ait itaq́ seruus: Eripiam te vinculis, sed ea conditione, vt manibus quietus sis, nec aliquibus signaculis te*

tueri velis. Hinc arreptum cum catenis & compedibus sublimem per aërem auehit. Territus ille, ô æterne Deus, exclamat, quo auehor? protinusq́ in palustrem locum Satanas eum deijcit. Domum inde properans vxori eius indicat, vt maritum suum in palude hærentem, compedibusq́ constrictum liberet.

MONACHI quidam cum suo Præfecto vel *Patre iter facientes, apud hospitem quendam diuerterunt, in cuius ædibus vnum è conclauibus Dæmonio erat infestum. Hospes de sanctorum Patrum aduentu sibi gratulatus, eos humaniter excipit, sperans eos facilè Dæmonium illud suis adiurationibus eijcere posse. Lectum itaq́ in isto conclaui ipsis sternit. Noctu somno iam obrutos Patres Dæmonium istud crinibus rasam caluitiem terminantibus subinde lacessit. Tandem Spiritum adiurat Guardianus, iubetq́ vt in Monasterium eorum abscedat. Paret Dæmonium, mutataq́ Colonia Monachos domum reuertentes anteuertit, cœnobium ingredientes salutat & excipit, suamq́ ipsis operam defert. Monachi eum recipiunt, angulum in culina ipsi occupandum monstrant, cucullam cum appenso tintinnabulo, vt agnosci posset, ipsi tradunt, eiusq́ opera frequenter afferendo cereuisiam, aliaq́ quibus indigerent, vtebantur. Volatus eius & verba audiebantur. Quoties afferret cereuisiam, mensura se fraudari minimè patiebatur, En, inquiens, bonam offero monetam, vos vicißim iustam date mensuram. Tandem coqui famulum, qui varijs eum molestijs onerabat, latibulum eius, iam feruida, iam immunda aqua conspurcando, transuerso corpore è trabe suspendit, sed vita eius nihil damni intulit. Monachi itaq́ veriti, ne tandem res tra-*

gicum sortiretur exitum, huic suo famulo officium resignarunt. Ex colloquijs Lutheri.

CRESCENTIVS Pontificis Legatus in Tridentino *concilio, anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo secundo, Martij die vigesimo quinto, scribendis literis ad Pontificem valde fuerat occupatus, & laborem ad noctem usq; continuauit. Ibi surgens, vt sese reficeret, ecce visus est illi canis quidam ater, inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demissis, ingredi, & ad ipsum rectà contendere, deinde sub mensam dilabi. Perculsus & obstupefactus, vbi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo, iubet afferri lumen, & inuestigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclaui, grauem concœpit cogitationem, & in morbum incidens decessit. Moribundus etiam, subinde suis acclamâsse fertur, vt canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Sleidanus lib. 23.*

HALBERSTADII quidam diuitijs affluens, *splendidè quotidie victitabat, genioq; & voluptatibus indulgens, Christianæ pietatis, æternaq; salutis negligens adeò factus est, vt dicere non dubitârit, si talem in terris vitam perpetem sibi liceret agere, se Deo cœlum suum nunquam inuidrere velle. Breui pòst præter suam expectationem mortuus est. Post mortem talia in ædibus eius magnificè extructis quotidie circa vesperam apparuêre spectra, vt ab omnibus desererentur: nemine eas incolere auso; Apparuit vir ille diues cum suis conuiuis in cœnaculo, quod delitijs & conuiuijs destinârat, astabant famuli, faces manibus tenentes, aureaq; pocula & crateras mensis*

imponentes, opipareq́ instructis ferculis mensas onerantes: fidicines præterea, tibicinesq́ astabant, nec quicquam deerat splendoris eius, quo dum in viuis erat, vir iste opulentus vsus fuerat. Deo permittente, ex Satanæ operatione spectra hæc oculis hominum obuersata fuêre, vt ab Epicureorum impietate reliqui deterrerentur. Fincelius lib. 2.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono, *in Marchia res miranda accidit, quam complures magni nominis viri, & fide dignissimi verè ita accidisse confirmârunt. Tempore messis, quo secari solet auena, subitò aliquot viri in campis apparuêre, primò quindecim, postremò duodecim, omnes inusitata magnitudine, & abominabili forma horrendi, primi, postremiq́ capitibus caruêre. Hi omnes falces gerentes messorias, certatim auenam messuêre, vt stridor ferri clarè exauditus fuerit, interim tamen nihil auenæ resectum fuit. Protinus huius portenti fama aulam adit, multiq́ tam ex aulicis, quàm ciuibus egressi, portentosæ huius rei spectatores fuêre. Multi etiam propius accedentes, ex ijs quæsiuêre, quinam, & cuiates essent, quidue sibi vellent? Ad quæ nihil illi responderunt, sed strenuè labori cœpto incubuerunt. Quidam etiam attrectare, & comprehendere eos ausi sunt, sed rapido cursu è manibus illorum euasêre, nec minus in ipso cursu falces suas per auenam strinxêre. Vnde palam fuit omnibus Dæmones eos fuisse: Illustrissimus quoq́ Marchiæ princeps, conuocatis Theologorum præcipuis, quidnam de isto portento iudicarent, ex ijs quæsiuit: Eorum autem plerorumq́ omnium fuit sententia, quod ingruens pestilentiæ pœna hoc signo esset præmonstrata. Fincelius lib. 3.*

ANNO millesimo, quingentesimo, tricesimo, Iulij decimo octauo, insequentibusq́ duabus noctibus, prope Spiram, ex elusione Satanæ, tale Spectrum visum est: Iulij decimo octauo tres Piscatores, cum Salmones capturi frustrà in Rheno laborâssent, abluentes tandem retia sua, ad somnum se composuerunt. Cum se quieti dedissent, accedens Monachus, vnum ex piscatoribus istis excitauit, sese in vlteriorem Rheni ripam vehi petens. Monacho piscator obsequitur, protinusq́ sex alij accessêre, vultu habituq́ Monachis similes, qui & ipsi nauim ingressi, Rhenum simul traiecêre: Quibus egressis, rapidissimo cursu nauis per Rhenum retroacta est, statimq́ alij Monachi eandem nauim ingressi, eodem quo priores modo Rhenum traiecêre. Piscator tandem in locum, vbi ad somnum capiendum se reclinârat, reuersus, breui post in morbum incidit. Altera nocte eodem modò è somno excitatur alter Piscator, vt Monachos Rhenum transuehat. Qui vbi ad nauem progressus est, Monachus nauim non omnium qui transuehendi sint capacem esse ait, aliam ampliorem quærendam esse. Cum ergo secundo Rheno descenderent, duodecim Monachi accessêre, partim candido, partim atro amictu induti, naribusq́ vncis deformes, nauimq́ ingressi transuecti sunt, quibus egressis, alij statim ingressi, Rhenum traiecêre. Quorsum autem Monachi delati sint, quorsum item nauis, aut quomodo ad locum quietis ipse reuersus sit, vector prorsus ignorauit. Et hic paulò pòst morbo oppressus est. Idem & tertio nocte tertia accidit. Cui excitato, Monachumq́ sequenti iniunctum, vt naui in transuehendis Monachis noua vteretur: Quæ vnde comparanda esset, cum nesciret, visus est sibi per loca salebrosa, asperosq́ scopulos in-

gredi, donec recens compactam carinam reperiret, in quam protinus complures Monachi, quidam parua, quidam magnæ statura, atris, candidis, cæruleisq; cucullis induti, conscenderunt, nullo edito verbo rectà per Rhenum transmeantes, cumq; ad locum inæqualem arboribusq; consitum delati essent, Monachi naue egredi recusârunt, vlterius nauim prouehi iubentes. Hinc Monachis egressis, nauis per se aduerso flumine prope vrbem Spiram, ad ripam dictam Kleebach, delata est. Piscator suiipsius nescius, in casam suam reuersus, nauis quoq; in suum restituta locum. Monachi, cum primum ex ijs quæsitum esset, quorsum tenderent? Responderunt, Augustam versus ad Concilium. Rem ita gestam quidam in Epistola describit, Suredabum Cancrinum se nominans, qui etiam quàm accuratissimè Spectrum hoc explicat.

DE EODEM SPECTRO EX ELEGIA GEORGII SABINI.

VRbs antiqua iacet celebri contermina Rheno,
Vangionum longè non ea distat humo.
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur,
Sunt ibi Francorum busta quaterna Ducum.
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Graium, Spira vocata, tenet.
Hîc humili modicis à stirpe parentibus ortus
Exiguæ quidam nauita puppis erat.
Qui calamo pisces linoq; madente solebat
Fallere, iam radios Sole tegente suos.

Is dum

Is dum forte leues hamos, ac retia tractat
Non procul à ripa lubrice Rhene tua.
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis
Obtulit ignoti se noua forma viri.
Atro tectus erat Monachum simulante cucullo
Vtq; solent, raso vertice tonsus erat.
Nauta propinquantem consueto more salutans,
Ecquid agis seræ tempore noctis? ait.
Ille sub hæc assum longinquis missus ab oris
Nuncius, ipse tuo me rogo lintre vehas.
Vt citò transmisso contingam flumine ripam:
Dixerat, assumptum nauita lintre tulit.
Iamq; ferè medios cursus nox atra tenebat,
Flexaq; lenta pigri plaustra Bootis erant:
Cum procul in viridi venientes margine ripæ,
Quinque cucculligeros rursus adesse videt.
Exoptatq; illis piscator, vt ante, salutem,
Quoq; velint media pergere nocte? rogat.
E quibus vnus ait, Nos magna pericula cogunt,
Obscura tutas carpere nocte vias.
Omnibus inuisi sumus, intentatq; nefandam
Sacrificis nobis turba profana necem.
At te si quis amor tangit, si cura piorum,
Transuehe nauigio corpora nostra tuo:
Vt tumidas lati superemus fluminis vndas,
Néue moraturis impediamur aquis.
Sic optata tuis fortuna laboribus aßit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit, & remo propellens nauita cymbam,
Mox iubet adducta scandere puppe ratem.

Sed mihi quis, dixit, soluet mercede laborem?
Alter ad hac, Nullas scis quod habemus opes:
Raraq́ percipimus discordi munera vulgo,
Non tamen ingratos nos habiturus eris.
Si nos in solido rursus fortuna locabit,
Præmia pro tali digna labore feres.
Soluerat extremo piscator margine nauem,
Iamq́ ferè medias illa secabat aquas:
Sidereas remouent subeuntia nubila stellas,
Præcipiti fertur puppis & icta Noto.
Incipiunt nigris horrescere fluctibus vndæ,
Sæuaq́ tempestas imbribus orta furit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta, Quid hæc, inquit, vult noua causa mali?
Nulla tamen pluuiæ venturæ signa notabam,
Sol vbi flagrantes æquore mersit equos.
Nulla lacus vsquam circumuolitabat hirundo,
Vlla nec est oculis ardea visa meis.
Tum neq́ Luna nigro surgebat pallida vultu,
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.
Talia iactanti, disturbant verba procellæ,
Impediuntq́ graues ora loquentis aquæ.
Penè procellosi subuersaq́ turbinis ictu
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.
Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,
A superis orans nauita poscit opem.
Quid facis? è Monachis ait vnus, & improbe, dixit,
Desine voce tua sollicitare Deum.
Moxq́ graui tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix quo prius vsus erat.

Illius hoc humeros pulsataq; terga fatigat,
Cæsus ad extremam dum fuit vsq; necem.
Proditus est tandem peruersi Dæmonis astus,
Detectusq; fuit, fraude patente, dolus.
Vana recesserunt in inanes corpore ventos,
Mansit & ingratus naue relictus odor.
Mox quoque purgato fugerunt nubila cœlo,
Et rediit pulsis aura serena Notis.
Territus hoc monstro, gelidum sine sanguine corpus
Tollit, & ad ripam nauita puppe redit.
Isthic in viridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eois Sol fuit ortus aquis.
Mane sub Oceanum pulsis Hyperione stellis
Ducitur à puero prætereunte domum:
Omnia commemorans præsentibus æger amicis,
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera cum croceis fulgens aurora quadrigis,
Protulerat roseas ore nitente genas,
Accidit & similis diuerso tempore casus,
Acta sed euentu res meliore fuit.
Summa procul radiis feriente cacumina Phœbo,
Carpebat solus mane viator iter.
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset,
Primus vbi positus distat ab vrbe lapis:
Aduentare nigro tectum velamine currum
Conspicit, hic Monachis currus onustus erat.
Ordine quem iuncti septem traxere iugales,
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quiq; manu flexas auriga tenebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.

Attonitus curru stat prætereunte viator
Nec Monachos illos, Spectra sed esse videt.
Euolat extemplò sublatus ab æthera currus,
Mistaq; cum fumo flamma secuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen
Horrida per nubes arma dedêre sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat, indicat vrbi,
Est ea res certa cognita vera fide.
Hæc igitur vobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti Dæmonis illa velint.
Effera Germanos agitat discordia Reges,
Proq; cuculligeris impia bella parant.
Hæc ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed Deus est nobis orandus, vt arma quiescant,
Ille precaturis mitia fata dabit,

MAGDALENA Crucia Hispana, Cordubæ pri*maria Bœticæ vrbe, in prima pueritia à parentibus obscuris, incertum pietatis an paupertatis causa, in cœnobium D. Claræ detrusa, (quod illa pòst ex collata stipe de fundamento nouum extruxisset) Dæmonis cuiusdam, sub Aethiopis specie sese offerentis, miris blanditijs, quibus ea ætas potißimum capitur, inescata, familiariter illo vti cœpit, seuera tamen interminatione interposita, ne quisquam mortalium hoc rescisceret. Illa interim cum Dæmonem in colloquium singulis penè diebus admitteret, supra ætatem sapere, & indolis causa omnibus admirationi esse cœpit, in-*

credibili

credibili sanctitatis opinione, quam morum elegantia, vitæque austeritas effingebant. Vix dum duodecimum ætatis annum attigerat, cum malus ille genius Magdalenæ in solidum possidendæ ansam captans, phaleratis verbis coniugij mentionem inijcit, facileque adeò, ex eius, quam iam degustauerat, sanctimoniæ successu, simplici & ambitiosæ puellæ persuasit. Dantur manus, fiunt sponsalia, concumbitur denique. Dotis loco Magdalena sui corporis vsumfructum, colloquendo, conuersando, concumbendo pollicetur. Aethiops vicissim contrà dotem splendidissimam offert, effecturum se, vti Magdalena per triginta & amplius annos, ea sanctimoniæ authoritate per vniuersam Hispaniam frueretur, qua omnes, qui eo laudis genere vnquam fuere celebres, vel æquaret, vel etiam superaret. Neque verò mendax ille Spiritus hac in parte falsus videri voluit, vt vniuersæ scilicet Hispaniæ per hanc suam Sponsam imponeret. Quandocunque furtiuis voluptatibus fruerentur, Sponsi famulus (nam maiestatis causa famulum quoque veterator ille Aethiops sibi adiunxerat) tanquam Sosia quidã supposititius, foris in templo & cœnobio Magdalenæ larua assumpta, illius vultum, gestus, incessum, cantando, orando, comedendo exactè imitabatur. Si quando verò secessus illius voluptuarij pertæsa hera in publicum prodiret, ne quid interea temporis ociosè periret, per orbem terrarum vagando, quæcunque memoratu digna acciderent, Magdalenæ renunciabat. Sic de Francisci I. Gallorum Regis captiuitate, sic de Romanæ vrbis direptione certior facta, diuinitus sibi hæc ab Angelo reuelata dictitans, in principum virorum dignationem summam peruenit, & Abbatissæ dignitatem, vltrò cedentibus tantæ

ſanctimoniæ reliquis Monialibus: maxima totius ordinis Seraphici cum lætitia, qui ad ſe quoq; tanquam ad Præceptores & inſtitutores partem gloriæ huius pertinere putabant. Miraculis intereà clarebat plurimis, ſed inanibus atq; ludicris. In ſolenni pompa feſtorum dierum, ad tres & amplius cubitos in ſublime efferebatur, ſæpe etiam imaginem Ieſu recens nati manibus geſtans, imbre lachrymarum profuſo, comam ad talos vſq; repentè enatam producebat, quæ ſenſim euaneſceret. Quotieſcunq; Monachæ ſtatis diebus communione ſacra vterentur, ſacrificulo ex dinumeratis prius diligenter myſtici panis orbiculis vnus ſemper deerat, quem Magdalena miniſterio Angelorum acceptum, ſe in ore habere palàm oſtendebat. Hinc tanta ei ſanctitatis fama accreuit, vt Pontifices, Imperatores, Reges per literas eius ſeſe precibus commendarent: atq; adeo Caroli V. vxor Philippum filium ijs faſcijs, quas Magdalena ſuis precibus conſecrâſſet, primum excipi curârit & inuolui. Exactis annis minus 30. in hoc Diabolico coniugio tandem ſub annum Sal. 1546. Dei optimi Max. benignitate, nullo ſuo merito, ad ſeipſam Magdalena redire, & Dæmonem deteſtari cœpit. Aegerrimè autem ferente Aethiope hanc apoſtaſiam, & multis modis illam vexante, viſitatoribus ordinis, quos vocant, præter omnem expectationem ſcelus ingenuè aperit, peccatum fatetur, auxilium implorat, carceri includitur. Neq; tamen intereà Dæmon loco excedere, ſed matutinis precibus, cum ſummo Monacharum ſtupore & terrore, ſub larua Magdalenæ intereſſe, ſæpè etiam alia obire munia. Monachæ laruatam Abbatiſſam, quam per 12. annos pertulerant, abhorrentes, multis vix tandem precibus impetrârunt, vt cognita ex integro cauſa,

Magdale-

Magdalena cœnobio excluderetur, vt sic demum præstigiæ cessarent. Neq; verò alia grauiore pœna, ob seriam resipiscentiam, & ingenuam confeßionem, in eam animaduersum est, vt quæ ficta atq; dæmoniaca sanctimonia plurimorum superstitionem auxerat, eadem vera, & Christiana pœnitentia diuinæ misericordiæ fontes nulli peccatori clausos esse, memorabili ostenderet exemplo. Hæc ex Cassiodori Renij V. O. & D. acroamatis.

ANNO secundo & tricesimo, supra mille quingentos *vni è rusticis, quos subditos sibi habebat, vir nobili prognatus genere, ex tyrannica malitia iußit, vt equo suo currui iuncto, prægrandem quercum è nemore domum aueheret, grauem minatus pœnam nisi mandata exequeretur. Rusticus heri sui mandatis satisfacere nequaquam sibi poßibile esse facile intelligens, non sine suspirijs & grauibus querelis nemus ingreditur. Accedit eum, humana assumpta specie, Diabolus, causam doloris ex eo quærit, cui rem omnem ordine recenset Rusticus. Diabolus eum bono animo esse iubet, domumq; reuerti, se enim ad heri eius ædes quercum, citra moram vllam vecturum. Rustico vix domum reuerso, Satan quercum prægrandem, densißimis ramis grauatam, ante ædes viri nobilis transuersam proijcit, aditumq;, arboris & ramorum densitate, intercludit, cumq; adamantinam duritiem quercus assumpsisset, nec vlla vi vel arte posset comminui, necesse fuit Nobili isti, ex alia parte ædium parietem effringere, nouumq; ædibus suis, non sine molestia, nec sine sumptu, adaptare ostium. Fincelius lib. 2.*

Honestæ cuidam matronæ viduæ, quæ Philippo *Melanchthoni fuit sanguine iuncta, cum sola in conclaui*

ſederet, apparuit maritus ſuus iam pridem mortuus, comitem habens proceræ ſtaturæ Monachum, maritus vxorem blandis verbis affatur: Bono, inquiens, eſto animo, mea vxor, maritus ego tuus ſum, grauesq́ cauſæ, vt te accederem, me impulerunt: hinc per integram fermè horam cum ipſa locutus, eam hortatus eſt, vt Miſſas pro ſe defuncto celebrari curet. Diſceſſurus, vt dextram ſibi porrigeret, ab ea contendit, quam apprehenſam atro carbonis colore infectam reddidit, eoq́ colore per omne vitæ eius tempus manus defœdata fuit. Fincelius lib. 2.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesi*mo quinto, Spectrum apparuit huiuſmodi. Brunſuigæ pagus eſt Gehern, duobus diſtans miliaribus à Blomenavv, Ibi Ruſticus quidam cum equis & curru lignatum exiturus in ſyluam, proſpexit ante ingreſſum ſyluæ aliquot equitum turmas, nigricanti ferro armatas. Quibus viſis, territus domum recurrit, in pago annunciat, magnam foris equitum turbam apparere. Seniores itaq; adiuncto ſibi verbi Diuini Miniſtro, propere egreſſi ſunt, quos centum fermè perſonæ, partim viri, partim fœminæ comitabantur, equites iſtos conſpexêre, eorumq́ turmas circiter quatuordecim numerârunt. Quæ protinus in duo ſeſe agmina partitæ ſunt, inſtructaq́ vtrinq; acie, agmen agmini ſtetit oppoſitum. Tandem ex vtroq; agmine vir procerus, atroq́ colore formidabilis prodijt, & vterq́ equo deſcendens, ſuum agmen accuratè perluſtrauit, quo facto, equos rurſus conſcendêre. Hinc inſtructa acie, agminibusq́ oppoſitis, equites omnes progreſſi ſunt, campumq́ vniuerſum compleuêre. Cuius eorum profectionis ſpectatores fuere Ruſtici, donec denſæ noctis tenebræ ingruerent. Cæterum cum*

nihil

nihil prorsus tum temporis vel de bello suscipiendo, vel de equitum aut peditum profectione constaret, omnium ea fuit sententia, Spectrum hoc fuisse Diabolicum, vel iræ Diuinæ signum. Fincelius lib. 1. de Miraculis.

ANNO millesimo, quingentesimo, sexagesimo *septimo, in Bohemiæ ciuitate Travvtenavv, Stephanus Hubener, in cumulandis diuitijs, ædificijsq́ splendidè extruendis, tantis fortunæ successibus vsus est, vt omnibus magnæ esset admirationi. Tandem in morbum incidens moritur, & honorificè admodum sepelitur. Cæterum breui post eius mortem & sepulturam, corpus eius (vel quod verisimilius, Satanas, qui pro Diabolica sua potentia corpus circumuexit) plurimos hominum arctis adeò complexibus compressit, vt multi rerum morerentur, multi etiam ex morbo reualescerent, qui omnes vno ore confessi sunt, se ab opulento isto viro, eo corporis habitu, quo viuum ipsum vidissent, compressos esse. Magistratus itaque loci illius, vt Satanicum illud Spectrum amoliretur, corpus viri istius effracto sepulchro effodi iubet, quod licet iam viginti hebdomades terræ defossum iacuisset, putrefactione tamen nulla adhuc corruptum, ea erat pinguedine, qua recentia & bene nutrita solent esse corpora. Carnifex corpus sibi traditum, ad locum, vbi de sontibus sumitur supplicium, auehit, securi caput resecat, hinc dissecto corpori cor exemptũ discidit, nec aliter cruor è corpore emanauit, quàm si viuus instar malefici meritas sustineret pœnas. Itaq; carnifex corpus flammis iniectum, capite intra pedes reposito cremauit, astante magna hominum turba.*

ANNIS ab hinc fermè ducentis, in Saxoniæ oppido *Hammel, Satanas humana assumpta specie, per vicos*

ciuitatis

ciuitatis circumuagatus, res ludicras exercens, multos tam pueros quàm puellas ad se pellexit, quos cum extra ciuitatis portas in montem proximum adduxisset, unà cum ijs disparuit. Quod cum per puellam, quæ à longinquo secuta fuerat, ciuibus significatum esset, magna cura in fluuiorum ostijs, portubus, totaq; regione liberos suos inquisiuêre, sed nemini vnquam scire licuit, quónam abducti fuissent. Quæ historia in Annalibus præmemoratæ ciuitatis annotata & descripta, à multis præclaris viris est lecta. Fincelius libro 1.

QVERITATVR etiam interdum Diabolus, *tanquam si grauissimo dolore premeretur, dicens se huius aut illius animam esse, vt in errore homines detineantur. Historiæ hoc argumento extant quàmplurimæ, & nos suprà quasdam recensuimus. Petrus Mamorius in Gallia narrat Consollenti ad Viennam fluuium historiam accidisse in Caplandi cuiusdam ædibus, anno 1458. Diabolum, qui animam defunctæ se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus, & querimonijs omnia compleuisse, monentem habendas preces, peregrinationesq; obeundas, & res veras plurimas reuelantem: sed dicente ei quodam, si tibi vis haberi fidem, Dic, Miserere mei Deus secundum magnam, &c. Respondisse, hoc à se fieri non posse. Tunc ludificantibus ipsum ijs qui astabant, fremebundum aufugisse.*

D. BARTHOLOMÆVS FAYVS libellorum supplicium *in Parlamento Præses scribit, cum Nicolaa Alberia Veruinensis ad aui sui sepulchrum haberet preces, emersisse è terra hominem inuolutum linteo, qui mulieri dixit, se auum ipsius esse, atq; vt à pœnis purgatorij liber*

esset,

esset, Missas cani plurimas, & profectionem in ædem virginis Mariæ à lætitia dicti suscipi oportere, tum seipsum retegens auus esse visus est: hunc ingentem Missarum numerum procurauisse, cum desinebatur ab earum celebratione, mulierem exagitatam fuisse grauissimè, sed eum dixisse tandem se Beelzebubum esse. Sed hæc historia, cum per totam Galliam innotuerit, nihil dicam amplius. Ecce autem recentiorem aliam, notam Parisiensibus necdum mandatam typis, quæ Lutetiæ ad insigne equi rubri in vico S. Honorati accidit. Quidam Metaxarius neptim suam, quam esse videbat orphanam, ad se receperat: hæc cum propter Geruasij ad sepulchrum patris haberet preces, Satanas se illi soli proceri hominis & atri figura obtulit, eamq́ prehendens manu dixit: Amica, ne timeto, pater tuus & mater bono loco sunt, verùm Missæ aliquot dicendæ sunt, eundum peregrinatione suscepta ad nostram dominam virtutum, sic in Paradisum rectà ituri sunt. Roganti puellæ, Quis esset? Respondit: Se Satanam esse, & ne consternaretur monuit. Puella imperatum fecit. Quo facto, eam iussit Satanas peregrinationem Compostellas ad S. Iacobum suscipere. Cui illa: Non possum, ait, tam longinquum iter conficere. Ex eo tempore non desiuit Satanas importunè vrgere illam, & vacantem operi, cum sola esset, familiariter compellauit dicendo, quàm crudelis es? nollet ista propter me forfices in sinum indere: quod illa cum effecisset, vt ei satisfaceret, atq́ ab eius importunitate expediret sese, rogabat ille, vt sibi aliquid daret, prouectusq́ tandem eò est, vt de capillis peteret illius, Illa crinem roganti dedit. Nonnunquam etiam tentauit persuadere, vt illa se in aquam daret præcipitem, nonnunquã etiam vt se

ſtrangularet, & ipſe indita in collum reſte eam fuit ſtrangulaturus, niſi exclamaſſet: & auunculus aliquando volens illam defendere, verberibus ita exceptus eſt, vt dies amplius 15. ægrotus decubuerit. Semel etiam tentauit Satanas cum ea concumbere, & vim afferre illius pudicitiæ, illa verò fortiter obſiſtens, ita fuit affecta plagis, vt ſanguis ex illius corpore manauerit. Inter eos qui viderunt puellam, quidam Epiſcopi Valentini Secretarius, nomine Choinius, puellæ dixit modum pellendo Dæmonio eſſe aptiſſimum, ne quid reſpondeatur ad dicta illius, quamuis Deum orari præciperet, quod nunquam niſi blaſphemans facit, aut ludificans nomen illius creatis rebus coaptatum. Videns itaq; Satanas nihil à puella ſibi reſponderi, causáue ſua fieri, prehenſam proſtrauit in terram: ab eo tempore non eſt puellæ oblatum viſum. Hæc Bodinus de Mag. Dæmonomaniæ lib. 3. cap. 6.

MICHAEL CVROPALATES Rancabes Imp. *habebat vernam quandam puellam, quæ ſub lunæ cum Sole coitu furore percita, ad Imperatorem clamabat: Deſcende, deſcende, cede alienis. Hoc ſæpenumerò factum, Imperatori metum iniecit. Itaq; conſilio communicato cum domeſtico ſuo Theodoto Michaëlis F. puellam furore iam correptam interrogauit, ad quémnam domus Palatina pertineat, quibusq́; is notis agnoſci queat. Puella cum fureret comprehenſa, & interrogata, Leonem Armenium nominatim indicauit, eiusq; notas & formam deſcripſit: Quin etiam Theodotum deſcendere ab arce iuſſit, ibi ei duos viros obuiam futuros, quorum alter mulo inſidens omnino ſit Imperio potiturus. Theodotus ad indicatum ſibi locum iuit, rei explorandæ cauſa, hominemq́; ibi ijs, quas*

puella docuerat, ex notis agnouit, eamq́ sen[...]t ex Diaboli, quo obsessa erat, inspiratione, minimè fal[...]m prædicere. Cedrenus & Zonaras tomo 3.

ERASMVS ROTERODAMVS in Oratione *quam pro laude Medicinæ conscripsit, vidisse se ait virum, nomine Phliarium Spoletanum, qui cum Italus esset, nec in Germania versatus vnquam, pulchrè tamen Germanorum lingua loquebatur, quasi Dæmone detentus. Quamobrem curabatur à Panaceo medico celebri: isq́ medicamento exhibito, magnum vermium numerum eduxit, soluitq́ hominem morbo, & linguæ Germanicæ vsu priuauit. Cardanus de Rer. Var. lib. 8. cap. 43.*

NORBERTVS apud Nigellam, puellam quandam *à Diabolo obsessam exorcizans, à Dæmone irridetur, qui Cantica canticorum per os puellæ ab initio vsq́ ad finem recitauit, eaq́ postea latinè & germanicè interpretatus est. Sed tandem acriter Episcopo instante, expellitur anno 1122. vt Sigeberti habet continuator.*

IN Italia virgo quædam à Diabolo obsessa, latinæ *linguæ prorsus ignara, à Lazaro Bonamico Professore Bononiensi interrogabatur, quinam optimus esset versus in Virgilio? Respondebat illa, vel potius ex ea Diabolus: Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos. Manlius libro 1. ex ore Philippi Melanchthonis.*

IN deserto Regionis Tangut audiuntur voces *Dæmonum, qui solitariè incedentes, vel à comitibus paululum digressos proprijs compellant nominibus, voces fingentes illorum, quos sibi comites per desertum iunxêre, & à recto itinere abductos, in perniciem deducunt. Audiuntur interdum in aëre concentus Musicorum instru-*

mentorum, sed frequentius sonitus tympanorum. Cosmograph. Munste. lib. 5.

ANTE annos aliquot Erphordiæ coruum domi *suæ aluit ciuis quidam, quem cum aliquando tacitum mœstumq́ videret, per iocum his eum verbis affatus est: Mi corue, quid mœres, quidúe animo cogitas? Ad quæ ille præter omnem expectationem respondens, disertè & clara voce versum Psalmi septuagesimi septimi protulit: Cogitaui dies antiquos & æternos in mente habui. Satanas ex coruo locutus est.* Caspar Goldwurm / *in libro de Miraculis.*

HIERONYMVS CARDANVS *refert parenti suo septem apparuisse Spiritus, qui de rebus varijs & mirificis cum eo disputarint, & ex scriptis Auerrois Medicorum principis, res abstrusas & ante hac incognitas enucleârint.*

SVB Traiani imperio, cornix, sed Dæmon potius *ex cornice, humana voce loqui cœpit, & è capitolio Græcis verbis vociferata est:* ἔσαι πάντα καλῶς. *Omnia belle se habebunt. Vnde Distichon illud incerti Authoris:*

Tarpeio quondam consedit culmine cornix,
Est benè, non potuit dicere, dixit, Erit.

CERTISSIMVM autem eorum quos Diabolus *obsidet argumentum est, quòd varijs linguis loquuntur, quas nunquam didicerint. Fuit, inquit Bodinus, ante annum puer, nomine Samuel, annos duodecim natus, in pago VVanteleti, ad Laodunum, filius nobilis viri Landarum Domini, qui post mensem à matris obitu occupatus à Spiritu, infestatus plurimum, colaphisq́ cæsus est, etiam in*

corpus

corpus illius ingrediebatur Spiritus, & si quis puerum volebat subducere, ille retrahebat violentia. Eum exorcizari pater noluit religionis quam profitetur nomine, an fuerit ab eo tempore liberatus nescio. Annus quoque duodecimus vel decimus tertius agitur, ex quo Veruinensis fœmina à maligno Spiritu possessa, hic Laodum exorcizata est, quam historiam, quia excusis compluribus libris fuit exposita, præteribo. Iis abundant Italia atque Hispania, quos numellis opus est constringi: atque hi Græcè, Latinè, & linguis aliis, quas non didicerunt vnquam, nouerunt loqui, ac potius Spiritus in ipsis loquitur: Nam si quando Veruinensis illa linguam valde protruderet, Spiritus diserte loquebatur. Mulierem Dæmoniacam Melanchthon scribit à se in Saxonia visam, nescientem legere aut scribere, quæ Græcè tamen & Latinè loquebatur, & sæuum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis: ἔςαι ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀρμὴ ἐν τῷ λάῳ τούτῳ. *Narrat Fernelius in libro de abditis rerum causis, se puerum vidisse Dæmoniacum loquentem Græcè, cum tamen literas nesciret. Hippocrates libro de morbo sacro comitialem morbum putauit esse: discrimen verò posteri optimè annotauerunt etiam in Græcia, cum obsessi auditi sunt varias linguas & diuinationes proloqui, quod in comitialibus non potest percipi.*

Tempore Romani Argyropoli Imp. in Thracen*si Prouincia, apud radices montis Cuzenæ, vox quædam exaudita est miserabilis, eiulatibus & lamentis permixta, neque hoc semel aut iterum, sed noctes diesque continuò, à mense Martio vsque ad Iunium. Cumque nonnulli accessissent speculatum locum, vnde vox edebatur, alio eiu-*

latus isti transiuerunt. Præmonstrabat autem, opinor, hoc portentum cladem Romanorum in Coelosyria acceptam. Cedrenus.

CALLIGRAPHVS quidam Alexandriæ, *venerabilis vir, ex matutina vigilia domum vadens, media nocte vidit statuas ex metallo æris abstractas, & voce grandi dicentes, interemptum Mauritium Imperatorem Constantinopoli, & filios ipsius apud Byzantium. Mane facto pergens, hæc Augustali retulit. Qui præcepit ei, nulli hæc manifesta faceret: scribensq; diem, præstolabatur exitum. Die nona nuncius venit, indicans Mauricij cædem. Tunc Augustalis Dæmonum vaticinium coram populo publicauit. Paulus Diacon. lib. 17. Rerum Rom. & Nicephorus lib. 18. cap. 41.*

HIRCANVS III. Iudæorum Dux & Pontifex, *cum filios Aristobulum & Antigonum obsidioni Samariæ præfecisset, & Samaritani Antiochi Cyziceni opem implorassent, fertur quòd illa ipsa die, qua eius filij conseruerunt cum Cyziceno prælium, pontifex ipse solus in templo odoramenta adolens, vocem audierit, nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam: Idq; mox progressus renunciauit multitudini, & paulò post certius comprobatum est eius Oraculum. Ioseph. lib. 13. cap. 18.*

ROMANI cum Tarquinijs ingenti prælio com*misso, L. Iunium Brutum consulem amiserant. Cæterum nocte, quæ proximè secuta est, tantus terror hostes cœpit, vt irrito incepto pro victis Tarquinienses Veientesq;, tacito agmine domum diuersi adierint. Fama est nocte illa, quæ pugnæ successit, ex proxima sylua (Liuius Arsiam vocat, & Dionysius Herois Horatij sacrum id nemus fuisse*

ait)

ait.)ingentem vocem redditam, siue huius fuerit, siue Fauni, Syluaníue, vno plus Hetruscorum prælio occubuisse, Romanos acie vincere: quo prodigio territi hostes, pro victis cesserunt. Sabellic. libr. 7. Ennead. 2. Valer. lib. 1. cap. 8.

QVO die ad Pharsalum Cæsar Pompeio dimicauit *in Thessalia, Patauij C. Cornelius augur, cum capturus auguria resedisset, primo conspectu ad suos repentè conuersus: Iam res ipsa conficitur, inquit, iam viri opus ineunt: mox repetito auspicio, lymphatica voce exilijt, clamitans, Vincis Cæsar. Ea res cum stuporem astantibus incussisset, detractam ille capiti coronam non prius repositurum iuratus est, quàm res arti fidem astipulata esset. Liuius & Plutarchus in Cæsare. Plinius peruenisse strepitum, ait, duarum acierum ex aduerso confligentium, ad auguris sensum in Patauinis montibus sedentis, ausiq; ob id affirmare, aut mundanam machinam breui solutum iri, aut Cæsarem cum Pompeio conflixisse. Sabellic. lib. 7. Ennead. 6. ex Gellij lib. 15. cap. 18.*

CVM à Domitiano Antonius desciuisset, atq; *ingens bellum in expectatione esset à Germania: vrbe consternata, repente & sine authore populus ex sese famam distulit victoriæ, ac sermo Romam peruagatus est, interfectum esse Antonium, exercitusq; eius strati nullam partem superesse. Fuit autem tam certa fides & flagrans, vt magna pars magistratuum sacrificaret. Cum verò author rumoris quæreretur, nec extaret vllus, sed ab alio ad alium reiectus refugeret sermo, & demersum deniq; in multitudinem immensam, velut in vastum pelagus ex nulla certa processisse origine apparuit. Hæc quidem fama*

properè effluxit vrbe. Cæterum educenti legiones ad bellum Domitiano, nuncius & literæ iam in itinere victoriam significantes, occurrêre. Huius trophæi & famæ vnus fuit dies, locis plus duo millia quingenta milliaria distantibus. Plutarchus in Aemylio.

SOSIPATRA ALEXANDRINA mulier, *quodam tempore coacto familiarium cœtu, disceptatione orta de anima, dum furore quodam incitata rapitur, repente, voce veluti rescissa, obmutuit, & mox cœpit exclamare: consobrinus meus Philometor curru inuectus, loco salebroso euersus est, cubitum oblasit, manusq; habet saucias, ferturq; sella, & quidem quiritans. Veritatem dicti res ipsa paulò pòst cognita confirmauit. Eunapius in Aedesio.*

THAMVS AEGYPTIVS nauclerus Romam *nauigans, propè Echinadas insulas in Ionio mari vocem incerti authoris nocte intempesta audiuit, se nominatim vocantis. Obstupefactis omnibus, qui in naui erant, tertiò vocatus respondit. Tum vox illa, vbi in proximam appuleris insulam, inquit, magna voce de prora nunciato, Pana magnum interijsse. Thamus attonitus, religione tamen tactus, iussa exequitur. Simul atq; mandata enunciauit, confestim tantus eiulatus, planctus, gemitus in aëre exauditus est, vt terrore omnes propè fuerint exanimati. Ea re celeriter Romæ diuulgata, Tiberius Cæsar ad cognoscendam rei veritatem Thamum accersiri iußit & examinari, consulturiq; Augures & Pontifices, Pana ex Mercurio & Penelope natum eum fortè esse responderunt. Plutarchus in libro de Oraculis, quæ obmutuerunt. Ex quo loco versutiam Satanæ licet agnoscere, Christi opt.*

maxim. mortem tali commento eludere, & in dubium reuocare satagentis. Nisi fortè etiam hominum animas penitus post mortem interire, fabuloso hoc panis interitu persuadere voluit.

MONOBAZVS ADIABENORVM Rex, *cognomine Bazeos, sororis Helenæ amore captus, eam in vxorem duxit, & ex ea primum Monobazum sustulit, & alios ex alijs vxoribus. Tandem cum vxore rursus prægnante cubans, & manum reclinatam habens in vxoris vterum, vocem quandam sibi audire visus est, iubentem vt manum à ventre tolleret, neue premeret fœtum, qui vt non sine diuina prouidentia inchoatus sit, ita finem habiturus esset fortunatissimum. Hac voce ille territus, mox rem vxori indicauit, & natum eo partu filium Izaten nominauit. Quem propter hoc præsagium pater regni hæredem reliquit. Atq; is cum matre Iudæorum religionem amplexus, Artabanum Parthorum Regem regno restituit, contra Arabes & Parthos feliciter dimicauit. Anno ætatis 55. Regni 24. fatis concessit, relicto Regno fratri Monobazo, &c. Iosephus lib. 20. cap. 2.*

NICEPHORVS PHOCAS Imp. palatium Con*stantinopolitanæ arcis munijt, in quo prædictum ei fuerat ipsum moriturum. Quo tempore verò murus Palatij condebatur, nocte quadam per mare subuectus aliquis, ita vociferatus est: O Imperator erigis muros, & tametsi vel ad cœlum eos deducas, intus cum sit malum, vrbs captu facilis est. Qui hæc dixit, diu multumq; est quæsitus, non tamen inuentus est. Muro autem absoluto, tunc perijt, ea ipsa die, cum ei claues is, cui id negotij commissum erat, in manus traderet. Cedrenus.*

CVM domi suæ Opicinus Cacia Nouariæ per *meridiem solus deambularet cogitabundus, vocari se nominatim, neminem videns, audiuit, & postea dici: Vellésne vt filius tuus moreretur? cui cum nulla ad cogitandum mora interiecta, Velle se dixisset: Deinde ad se reuersus, statim quod annuerat, negasset, ob prodigij atrocitatem, mœroris plenus erat. Itaq; intra triduum Iohannes Baptista eius filius, quem vnicum habebat, in aduersam incidit valetudinem, & biduo post decessit. Fulgosus lib. 1. cap. 4.*

ANTE Neronis mortem in Curia barbaricum *murmur cum multo risu, & tumultus in theatro cum magno fletu auditus est, cum ibi nemo hominum esset. In Albano sanguine pluit. Ambæ fores & Mauseoli (in quo Cæsarum erant sepulchra, ex quorum progenie vltimus erat Nero) & cubiculi sponte sua patuerunt, ex eoq; audita vox, Neronem ad se vocantis. Xiphilinus ex Dione.*

REFEREBAT M. Antonius Maioragius, Aprili *mense audiri in Eupilo lacu sonum seu vocem eiusmodi óh, óh, óh, óh, óh, sed longiusculum, ita vt extrema vox concisa esset: & his annis, neq; enim singulis auditur, prouentum vberiorem omnium sequi, vini, tritici, ac cæterorum. Cardanus de Rer. variet. lib. 15. cap. 85.*

HIRCANO III. Iudæorum Duci & Pontifici *cum aliquando spectrum apparuisset, rogauit de successore, sollicitus de Aristobulo & Antigone maioribus natu, quos præ cæteris diligebat fratribus. Sed cum Deus Alexandri natu minimi effigiem designasset, contristatus quod is in omnes fortunas esset successurus, in Galilæa eum educari voluit, ne quam Regni consequendi facultatem*

habe-

haberet. Sed oraculi fidem euentus approbauit. Potitus enim Regno post defunctum Aristobulum (qui Antigonum prius interfecerat) & alterum fratrem sibi insidiantem interfecit: alterum contemptum priuata & ociosa vita in honore habuit. Iosephus lib. 13. cap. 20.

ANTE Camilli exilium, M. Ceditius plebeius *homo renunciauit, superiore nocte ex via, quam nouam vocant, cum à quopiam alta voce appellaretur, respexisse se, nec vidisse tamen quenquam: audiuisse autem humana maiorem vocem, qua sibi hoc diceret: Age M. Cediti, tribunis militaribus nuncia summo mane, intra pauces dies Gallos expectent. Tribuni hac relata spreuerunt, & habuerunt pro ludo. Paulò pòst insecuta est Camilli calamitas, & Gallorum irruptio. Plutarchus in Camillo, & Sabellicus lib. 9. Enneade 3.*

LYCVRGVS cum casu Olympia venisset, & esset *spectator, vocem ibi à tergo velut hominis ei accidisse narrant, increpantis eum & mirantis, cur ciues suos ad celebrandum illud solenne non excitaret? Conuersus vbi nusquam comparuit, qui fuerat locutus, diuinam vocem esse ratus, ad Iphitum se aggregauit, sociusq; concinnandi festi, clarius id & solidius effecit. Plutarchus in Lycurgo.*

CASSIVS CHÆREA Tribunus militum, cum a*lijs quibusdam contra Caligulam conspirauit. Eo ingrediente Curiam, vox cuiusdam è turba audita est, iubens eum, Dijs iuuantibus, destinata perficere. Primò suspicatus, rem ab aliquo è coniuratis proditam: tandem intellexit incitari se, aut à quopiam conscio, aut voce Dei. Itaq; tertio die Circensium Caium interfecerunt. Iosephus lib. 19. cap. 1.*

PERTHARIS, ARITHPERTI Regis filius, à Grimoaldo pulsi, dum exul in Britanniam traÿceret, incerta voce admonetur, vt mortuo Grimoaldo ex phlebotomia, regnum paternum repetat. Qua quidem voce permotus, licet in certus haberetur autor, in Italiam rediens tertio mense post Grimoaldi mortem, regno Longobardorum sine contentione potitus est. Platina in Dono.

C. HOSTILIVS MANCINVS Consul, in Hispaniam profecturus, cum ab Herculis portu, quo pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis vox sine vllo autore ad aures eius peruenit: Mancine mane. Qua territus, cum itinere conuerso Genuam petisset, & ibi in scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus è conspectu abÿt. A Numantibus victus, turpem deditionem fecit. Valer. Max. lib. 1. cap 6.

CELEBRABAT festum Pentecostes Moguntiæ Heinricus III. Imper. Ibi inter famulos Archiepiscopi Moguntini & Abbatis Fuldensis exorta est contentio, de locatione. Res à verbis ad verbera processit: ac sine mora gladÿs congredientes, templum humano sanguine fœdârunt. Episcopi accurrentes, prælium cruentum diremerunt, ac templum rursus expiârunt. Postea sedato tumultu, cum caneretur, Hunc diem gloriosum fecisti: Vox Diaboli clara per templum auditur. Hunc diem ego bellicosum feci. Imperator territus hoc portento, largitionibus eleemosynarum Diabolum conatus est pellere, epulasq́; suæ dulæ paratas ipsemet cum proceribus distribuit pauperibus. Nauclerus Volumine 2. Generatione 36.

CONSTANS Imp. cum Roma spoliata, sex annis in Sicilia fuisset, conspiratione domesticorum facta,

perijt Syracusis in balneo, cui Daphne nomen. Quidam enim Andreas balneum unà ingressus, Imperatorem, dum is se tergere incipit, cado grauiter capiti inflicto necat. De morte Constantis, ea ipsa qua extinctus est die, in urbe cognitum est, voce ex aëre delata. Zonaras & Cedrenus.

Ex Constantino (inquit Bodinus) qui inter peritissimos *Pyrotechniæ & artis metallicæ in Gallia numeratur, estq́ in toto Regno celeberrimus, audiui socios ipsius, cum perdiu flantibus, nulla spes speciesúe boni ostenderetur, consilium à Diabolo petiuisse, rectène facerent, & rem optatam confecturi essent: Illum verò unico verbo respondisse, trauaillez, laborate: hoc exhilaratos flatores perrexisse, & flauisse adeò strenuè, ut omnia in nihilum multiplicauerint, etiamq́ porrò flaturos fuisse, nisi Constantinus dixisset ipsis, hunc esse morem Sathanæ, ut ambigua responsa edat: Illud autem verbum, laborate, innuere abijciendam esse Alchymiam, & in laborem aliquem, ac honestam artem vtilis ad vitam scientiæ incumbendum: hominis purè dementis esse, si quis cogitauerit tam breui temporis spacio aurum effingere, in quo efficiendo natura annos amplius mille solet consumere.*

Miles Romaricus consanguineo suo equum *tradidit, ut se mortuo venderet, & pecuniam pauperibus daret. Sed ille equum vendidit, & sibi pecuniam retinuit. Post dies autem triginta, anima eius reuersa (Diabolus fuit) inquit, Triginta diebus fui in pœnis Tartari: sed tu, qui non pauperibus quod iusseram dedisti, hodie eò venies, me in paradisum translato. Eodem die Dæmones illum rapuerunt, & in altissimo monte post 12. dies cadauer illius est repertum. Vincentius lib. 24. cap. 8.*

NARRAT Hector Boëthius lib. 8. histor. Scot. in *Gareothæ Regionis vico quodam, quatuordecim vix passuum millibus ab Aberdonia disſito, eximiæ formæ adolescentem coram Aberdonensi Antistite questum esse palàm, sese à Dæmone succuba (vt dicunt) gratissima omnium quas vidisset forma, multos iam menses infestari, tandemq́ occlusis foribus noctu ad se ingredi, & blanditÿs in suos compellere amplexus: dubia luce eam penè sine strepitu abire, nec vllo se modo, cum plurifariam tentasset, à tanta tamq́ turpi vesania liberari. Iubet continuò circumspectus & pius Episcopus, adolescentem aliò se conferre, & vt secundum Christianam religionem magis laudatis ieiunÿs & orationibus solito attentius accommodaret animam, hinc fore arbitrabatur, vt pÿs operibus intento, victus cacodæmon tandem terga daret. Nec felix defuit successus salubri consilio: Quod adolescens religiosè executus, paucos post dies omninò ab illis vindicatur ludibrÿs. Sic incubum Dæmonem non amplius infestasse Nauetis mulierem, post confeßionem & sacram communionem, quæ ieiunia & preces comitari solent, legitur in vita Diui Bernhardi. Vierus libr. 4. cap. 27.*

PVELLA quædam in Burgo Melancholica, se *Vergilÿ spiritu obseßam esse fatebatur, diu coniurata: quod creditum est facilius, quia puella simplex, admodum pia, & quæ semper domi latuerat, Hetrusca affectaret, exprimeretq́ Mantuanum, hoc est, Longobardicum idioma, vt subinde latinum aliquid sonaret. Cum nihil proficerent coniuratores, medicus ex arte adhibitis melanogogis primum, & deinde alÿs roborantibus illam restituit. Vierus lib. 4. cap. 23. de præstigÿs Dæmonum.*

PHILIPPVS VVESSELICH Coloniensis, *Monachus Abbatiæ, Knechtenstein, integer & simplex, à Spiritu referente Abbatem macilentum, ante multos annos mortuum, exagitabatur miserè & multifariam, circa annum Sal. 1550. interdum auehebatur sub tectum, aliâs per ligna transuersa coniunctiora supra campanam intrudebatur, plerumq; per murum transferebatur inopinatò. Inuentus quandoq; est corpore super piscinam proiecto, capite autem in terram reclinante. Tandem sese prodit Spiritus, diutinæ & multiplicis vexationis causam explicans: se nimirum esse illum Abbatem Matthiam Durensem, tot annis sepultum, ac eo torqueri, quòd suspensam D. Virginis effigiem exquisitè depingi curârit: nec satis fuisse factum pictoris Nouesiani laboribus & impensis, qui inde iacturam senserit, ac sibi ipsi vim fecerit, verum id fuit. Subnectebat hinc solutionis modum, expiari scilicet hoc delictum non posse, aut vlla se liberari ratione, nisi religionis ergò apud Treueros & Aquisgranum peregrinaretur hic Philippus (quem ob simplicitatem accommodatum suis ludibrijs organum ratus est Diabolus) & tres missæ, de Trinitate scilicet, de Dominica, & de tempore, in eius assertionem recitarentur. Vt huius Spiritus voto satisfieret, consuluerunt Theologi Colonienses, & id reliqui postulabant quoq; Monachi, à suo Abbate Gerardo Strailgen Morsensi, qui saniari institutione, atq; acri increpatione in aliam potius sententiam Philippum existimauit traducendum, vt videlicet fide viua omnis miserationis Deo patri, & Christo assertori nostro vnico confisus, Dæmonis imposturas animo negligeret forti: redeuntiq; Spiritui obijceret, se non esse sui iuris, at sub aliorum*

dege-

degere imperio, propterea nec posse ob rerum penuriam à se obediri eius votis. Quo facto, Spiritus respondit: Dic Suppriori, de eo enim confirmandi sui instituti spem conceperat. Quare Abbas, vbi Dæmonem perseuerare, nec Monachum illius illusionibus satis confidenter resistere animaduertit, ipsum denuo rectius instituit, studiose hortatus vt resipisceret, nec tam pronas offerret Sathanæ technis aures: si verò manes, vti hactenus, audire pergeret, se illum flagris, & quidem capitulariter casurum, seuerissimè comminatus est. Hinc irritos suos Spiritus videns conatus, ob Abbatis constantiam, & animum Philippi magis erectum fiducia in Deum, aduersus fraudulenta exitialiaq; Dæmonij studia, nunquam redijt, alioq; migrauit. Vierus lib. 4. cap. 29.

ANTONIVS SVCQVETVS, eques auratus, *in aula Brabantica consiliarius, filium reliquit nothum, qui Brugis duxerat vxorem. Hæc paulò post nuptias à malo genio cœpit vexari miserè, ita vt vbicunq; locorum esset, etiam corona honestarum matronarum cincta, è cœtu eriperetur, perq; cubicula traheretur, ac sæpenumero conijceretur, modò in hunc angulum, modo in alterum, etiam reluctantibus, omniq; vi illam retinere conantibus, qui huic aderant: id tamen accidit sine magna admodum læsione corporis. Persuasum omnibus erat, hoc malefica arte fieri à pellice illi inuidente maritum, cuius amore deuincta tenebatur, erat enim iuuenis forma non ineleganti. Cœpit interea gestare vterum, at nihilo minus aut lenius vexabatur. Tempore partus instante, cum vna tantum adesset mulier, ea famulum ablegante, vt obstetricem accerseret, visa est illi intrare pellex, quæ ei obstetricis officium præ-*

buit.

buit. Ipsa præ angustia in mentis concidit deliquium: vbi ad se rediÿt, liberatam se sensit ab onere: at puer nusquam apparebat, mirantibus id omnibus supra modum. Accidit autem postridie, vt dum ex somno expergisceretur, reperiret infantem iuxta se in lecto, fasciÿs inuolutum, cui & vbera semel atq; iterum præbuit. Atqui non ita multò pòst, rursus illa dormiente, à latere infans abripitur, nec postea inuentus est. Aiebant nescio quas schedas cum magicis notis in ostiÿ sera repertas. Historiam recenset Vierus libro 2. cap. 48. de præstig. Dæmon.

VIRGO sacra Iuditha nomine, haud ita pridem *Busciducis in collegio iuxta ædem D. Ioanni Baptistæ dicatam, crudelissimis intorquebatur à Satana conuulsionibus, eiusq; fauces, ne cibum admitterent, comprimebantur, lingua item inhibebatur quandoq;, ne proloqui posset: voces interim reddebat & ridiculas & horrendas. Idem lib. 3. cap. 13.*

QVIDAM pastoris munere fungens in pago Dur-*vveis, circa Esvveiler, puellam nomine Helenam Diaboli obsidione pressam in Loën pago, prope Aldenhouiam sito, in Iuliæ ducatu, suis execrationibus se liberare velle, elato supercilio promittebat, conuocatis ad huius miraculi spectaculum solenne aliquot ecclesiasticis vicinis. Exorcistæ huic aliquamdiu suis deierationibus frustra sudanti in exturbando Dæmone, hic tandē ait se mansurum, propterea quod circa vitrum loco illi illustrando applicatum versarentur multi eius collegæ, qui ipsum confirmarent. Miser ille pastor mendaciorum authori confisus, ad eos per vitrum expellendos conuertitur, atq; vbi se operam ludere videret, indignabundus tandem in hæc erupit verba:*

Si vllam habes potestatem transmigrandi in Christianum, transmigra ex illa in me. Cui incunctanter respondit Diabolus: Quem pleno iure in postremo die possidebo, quid opus est illum tentare? Postea Dæmonis testimonium de Missa cognoscere cupiens, Iohannes Sartorius Parochus in Loen, materna lingua rogabat Dæmonium, quare puella mox ad sonum campanæ, indicantem Missæ actionem celebrandam, semper ab eo cogeretur ad templum, num Missa tam esset, aut mala? Ad hanc quæstionem se non respondere posse, sed deliberaturum inquit. Actus hic celebratus anno 1559. circiter 17. Augusti. Vierus libro 4. cap. 21. de præstigijs Dæmonum.

MONIALES VENTETI occlusæ in comitatu *Hornensi, diris modis à Dæmone sunt vexatæ. Paupercula fœmina in quadragesima salis libras tres mutuo à virginibus acceperat, fereq́ duplum circa Pascha solennitatem restituerat. Hinc in dormitorio inueniebantur sphærulæ candidæ, velut incrustata saccaro semina, at gustu salsæ. Eodem in loco obseruabatur incessus spectri ingemiscentis, audiebatur item quandoq; vox pleraq́ virgines vt surgerent, & ad ignem secum accederent, se ægrotam esse commonefaciens. Si quando in arrepta matula meiere tentarent, ea violenter erepta, lotio conspurcabant lectum. Aliquoties pedibus è lecto ad passus aliquot subtrahebantur, atq; adeò sub plantis titillabantur, vt præ nimio risu modò non morerentur. Quibusdam carnis particula euellebantur, plerisq; in aduersam partem prorsus intorquebantur tibiæ, brachia, & facies. Quædam sic excarnificatæ, licet ad dies quinquaginta duos nihil præter raparum ius citra panem sorpsissent, attamen atri liquoris,*

vel

vel atramenti scriptorij multa vomitu reijciebatur copia, tam acris, vt etiam pelliculam ex ore abraderet. Aliquæ supra hominis caput euehebantur, & mox deijciebantur. Cum ægrotas recreaturi circiter tredecim numero amici venissent, illæ è mensa deorsum citra vocem & intellectum dilabebantur, nonnullæ inuersis tibijs & brachijs tanquam mortuæ iacebant. Vna in altum sustollebatur, & quanquam manibus iniectis obluctarentur aßistentes, tamen supra eorum caput abrepta, denuo præcipitabatur. Nonnullæ incedebant tibiarum extremitatibus innixæ, velut ἄποδες, *citra pedum vsum, qui videbantur trahi tanquam ligamentis nimium laxatis in sacculo penduli. Arbores quoque conscendebant vt feles, ab ijsque proserpebant, nulla corporis immutatione. Contigit item, vt cœnobij præfectæ (quam matrem vocant) in eius ambitu colloquenti cum Margaretha comitissa Burensi, ex fremore erueretur caro. Vulnus partim liuebat, partim nigricabat, sed curabatur. Durauit ea carnificina ad annos tres manifesta, quam postea celârunt. Vide Vierum lib. 3. cap. 9.*

HAVD dissimilia Coloniæ passæ sunt virgines *religiosæ in Nazareth monasterio occlusæ: quibus hoc tamen acceßit, quod licet annis aliquot antea varie & multifariam à Diabolo vexarentur, torquerentur, conuellerenturque, tamen anno sexagesimo quarto supra sesquimillesimum, præter aliud spectaculum horribili modo frequenter editum, prosternebantur sæpenumero deorsum, infima corporis parte succussata ad eum modum, qui Veneri solet ascribi, oculis interim clausis, qui postea cum pudore aperiebantur, cum velut à multo labore respirarent. Ansam autem huic malo dederat quædam Gertrudis, anno*

ætatis suæ decimo quarto Monasterio inclusa, quæ ludibria hæc sæpius dissoluto Cachinno patiebatur in lecto, licet amasium singulis noctibus ferè congredientem stola consecrata abigere conaretur. Quam velitationem cum altera virgo in secundo decumbens lecto (hoc nomine adiuncta socia, vt tutior esset ab amasij insultu) audire videretur, tota exhorruit, ac tandem quoq; Diaboli hospitium facta, miris conuulsionem generibus distrahebatur: In paroxismo quandoq; cæcutiebat, ac licet mente appareret constare, varia tamen inconstanter nimis, & quæ desperationem spectarent, proferebat. Itidem & aliæ multæ. Ita pestis hæc velut contagio proserpsit, maximè cùm primùm ad legitima non confugeretur consilia. Dicta verò amasia suo proco horrendas scripsit literas, postea inuentas in inquisitione à Iohanne Viero in eodem collegio facta. anno 1562. 25. Maij, Vierus libr. 3. cap. 11. de præstig. Dæmonum.

VIRGO nobili nata loco, cum feruentissimè *adamati iuuenis, sed ignobilioris, coniugio potiri non posset, reluctantibus parentibus, mœrore confecta, Dæmonem sub specie amasij obuiam habuit. A quo persuasa, D. Brigidæ cœnobium non procul à Xanctis ingreditur. Ibi furore correpta, exiliebat, balabat, mugiebat, in sublime rapiebatur, strangulabatur. Id malum quodam veluti contagio in reliquas deriuatum moniales. Ex eo deinde alio auecta prolem bis sustulit carceris custos, quoad ad se rediijt. Vierus lib. 3. cap. 9.*

MONIALES in Hesimonte Neomagi, Dæ*monium aliquot annis infestauit? Dormitorium noctu velut cum turbine ingressum, testudine citharaq; vide-*

batur

batur ludere ſuauiſſimè, vt ad choreas induci poſſent virgines. Inde canis inſtar in vnius lectum inſiliebat, in quam muti peccati, quod vocant, cadebat ſuſpicio. Vierus ibidem.

NOVI aliud non ignobile collegium in Coloniensis *prouinciæ limitibus, vbi ante annos octo Dæmon canis ſpecie interdiu procurrens, conſcendensq́; ſub interiori religioſarum virginum indumento, ſpurcæ velitationis indicia, exteriore veſtium motu oſtendere videbatur. Idem lib. 3. cap. 9.*

VIRGINES in Cœnobio Kentorpio propè *veterem Marcam, in Marchiæ comitatu iuxta Hammonem, incluſæ, monſtroſis conuulſionibus fuerunt exagitatæ. Fœdiſſimum illæ halitum ore ſpirabant, in ipſo, & paulò poſt ipſum paroxyſmum: qui aliàs ſemel interdiu, aliquando ſæpius inuadebat, aliquoties in horas aliquot multas protrahebatur. In acceſſione mali quædam conuulſæ intelligentes erant, audiebant, aſtantes etiam internoſcere ſe pleraq; poſtea affirmabant: at propter linguæ conuulſiones loqui minus poterant. Torquebantur aliæ alijs mitius. Sed hoc commune propè omnibus erat, vt cum ex ijs vna agitaretur, cæteræ quoq; in ſeiunctis etiam cubiculis correptæ, ſolum tumultuantis ſtrepitum audientes, ſimili miſerrimo modo vexarentur. Prima ſic affligi cœpit Anna Lemgavv, quum primum ex ſiniſtro doleret hypochondrio, epilepſiaq; correpta putaretur. Ad ariolum itum eſt, is opinionem ingeſſit, ab Elſa Kamenſi coqua (quæ poſtea cum matre viua exuſta eſt) cunctas maleficio læſas eſſe. Hinc neruum ſortitus Diabolus, non ſolum eas multifarijs conuulſionum generibus torquere incipit, ſed incitare quoq;, vt ſe mutuo & alios morderent, caderentq́;, ſub-*

ueherentur item & deÿcerentur citra noxam, sicut plumæ sibi visæ, vnde etiam non suæ potestatis se esse sentirent. Si autem à percußione, vel quacunq; alia violentia inhiberentur, cor afficiebatur grauiter: at suæ libertati relictæ, etiamsi seipsas lædere, concutere, aut mordere viderentur, nihil inde sentiebant mali: at in proprium sæuire corpus necessarium esse imaginabantur. Si quando Anna in paroxysmo loqueretur, fiebat id quasi altero inspirante, & expirante: ipsa interim seipsam dum loqueretur intelligebat, sed finito sermone penitus menti exciderant prolata verba. Nequit vlli rei vel bonæ vel malæ seriò attendere, tanquam mente stupida, sine sensu, discretione & iudicio. Si pius aliquis eam alloqueretur, tum quasi à Diabolo puniri videbatur. Si quando autem huic loquerentur aliæ fœminæ de rebus suis ludicris, mirè ÿs afficiebatur, leuabaturq;. Quum exorcizarentur, incredibilem sanguinis copiam videbatur fundere per os. Omnibus verò illis virginibus, ita à Dæmonio affectis, is erat cum dolore inæqualiter serpente sensus sub pedum plantis, quasi aqua illas calida combußisset. Quanquam etiam variè torquerentur, cunctis tamen æquè vigebat appetitus & nutritio. Ex iunioribus mentis impotibus frequenter & multum loquebatur Dæmon, quibus se etiam forma nigra obÿciebat in specie felis nigræ, vel Elsæ Kamensis, aut eius matris vel fratris, vt ab ÿs omnibus tam crudeliter exerceri crederetur perperam. Vbi postremò Anna firmiter animo constituisset, non redire in Monasterium, vnde parentum ductu cesserat, desÿt calamitas: si verò solummodo à collegÿ Præfecta ad eam epistola mitteretur, toto horrebat corpore, quasi relapsura. Postea autem viro nu-

psit, citra vllum eiusmodi noxa sensum. Vierus libro 3. cap. 10. de Præstig. Dæmon.

NARRAT Iohannes Fernelius de abditis rerum *causis libro secundo, quod cum non iter dudum quidam per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens, potu non inuento obuium malum fortè prehendit: id mandens, fauces sibi quasi manu præcludi, strangularique sensit: simulque à subeunte Dæmonio iam obsessus, visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerrimoque cane vorari, quæ postea, restitutus integra mente, ordine recensuit. Hunc non pauci ex pulsu, ex calore & scabricie linguæ febricitare, ex vigilijs & mentis perturbatione simpliciter delirare iudicabant. Tradit idem, Iuuenem alium equestris familiæ, paucis antè annis, corporis concussione, & quasi conuulsione ex temporum interuallis laborasse: qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum vnicum, aliàs crus alterum, aliàs vtrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vt vix à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum iacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri, vel in conuulsionis ferocia. Decies vt minimum quotidie corripiebatur: in interuallis sanus, sed labore confractus. Vera Epilepsia iudicari poterat, si mentis sensuumque læsio accessisset. Peritissimi quique adhibiti medici, conuulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoque vapore, spinæ dorsi impacto censuerunt, è quo vapor in eos neruos emanaret, qui à spina in artus quoquouersum, non autem in cerebrum disseminantur. Hæc credita causa vt summoueretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ insigun-*

tur neruorum initijs, fotus, vnctiones, emplastra primùm quæ discuterent, dein quæ roborarent, venenatamq́ malignitatem obtererent. His parum proficientibus, sudores proliciuntur balneis, æstuarijs, & Guaiacina hebeni decocto, quæ nihilomagis profuerunt, quoniam omnes longè aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primum deprehensus Dæmon quidam totius mali author, voce insuetisq́ verbis ac sententijs tum Latinis tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa Medicorum secreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumuenisset, quodq́ irritis pharmacis corpus hoc penè iugulassent. Quoties laborantem pater inuisebat, is procul à conspectu inclamabat, Appetentem hunc arcete, & ab ingressione propulsate, aut torquem è ceruice detrahite: ex hoc enim, vt Gallorum torquatis equitibus in more est, Diui Michaëlis imago propendebat. Simulabat astutus Dæmon, se Diui Michaëlis imaginem vereri, vt astantes falleret euidentius: quasi verò hic vllius exhorrescat simulachrum, qui ne quidem ipsum Christum, expressam Dei imaginem timuit, quem aggredi, assumere atq; tentare ausus est. Interrogatus porrò, quis esset, aut quomodo, & qua hæc potestate moliretur? Dixit, multa intus esse domicilia, in quibus se recondat, & in quiete ad alios commigrare: Se in hoc corpus coniectum à quodam, cuius nomen non efferret: à pedibus ingressum in Regia, & à pedibus egressurum, cum præstitutus dies aduentârit. Vierus lib. 3. cap. 14.

OPPIDVM Germaniæ Schiltach, 4. Idus Aprilis, *qui dies erat Iouis ante Pascha, Anno à Christo 1533. conflagrauit, à venefica incensum, vti Erasmus Roteroda-*

mus ex Heinrici Glareani narratione refert, & Cardanus lib. 19. de Subtilitate repetit: Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans esse furem, ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et hoc conscendit caupo, furem persequens: Cum nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarij. Illico tetigit cauponis animum, esse dæmoniacum quiddam, iubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt Sacerdotes duo, adhibitus exorcismus: Respondit, se esse Dæmonem. Rogatus quid illic ageret? ait, se velle exurere oppidum. Minantibus sacrificis, respondit, se pro nihilo ducere illorum minas, quod alter esset Scortator, vterq; fur. Aliquantò pòst mulierculam, qui cum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cum interim illa quotannis & confiteretur & acciperet Eucharistiam, eoq; etiam die communicârat, sustulit in aërem, imposuitq; fumarij fastigio, tradidit ollam, iussit vt inuerteret, & intra horam totum oppidum exustum est.

VRBANVS REGIVS Sermone, quem VVitembergæ *anno 1538. de bonis malisq; Angelis habuit, puellæ cuiusdam meminit à Satana obsessæ, pro qua cum precibus apud Deum in templo intercedendum esset, Satanas quiescit, seq; è puella iam exijsse simulat, vt per hanc simulationem, antequam publicæ preces haberentur, eam perderet: Nam cum diligentior cura iam remitteretur, puella manus ablutura riuum ædes præterfluentem aquæ gurgitem adigit, ibiq; dicto citius suffocat.*

ANNO millesimo, quingentesimo, tricesimo *sexto, Francofordiæ ad Viadrum ancilla quædam, Marci*

Piscatoris filia, capitis doloribus, & quadam Phrenitidæ correpta fuit, quam misericordia motus, ciuis Georgius à Kulisch in suas ædes recepit: tandem autem eò res cum ipsa rediÿt, vt à Dæmone obsessa, res prosus mirandas agitaret. Quicquid attrectaret, cuiuscunq; etiam vestem, thoracem, barbam, caput, inde monetam in ea regione vsitatam arripiebat, quam protinus ori ingestam mandit & deglutiÿt. Eamq; pecuniam sæpe manibus eius extortam admirationis ergò aliÿs obtulêre. Nonnunquam ipsamet vltrò aliÿs eam porrexit, sæpe acus correptas deuorauit, & contra vernaculæ suæ linguæ proprietatem superioris Germaniæ dialecto, cui assueta non fuerat, locuta est. Nec facile fuerit, quicquid prodigiosè per eam gestum sit, verbis aut scripto breui complecti. Quamobrem quid in tali puellæ statu agendum esset, ex ipso quoq; Doctore Luthero quæsiuêre. Qui respondit, ad sacras conciones puellam adducendam esse, ibiq; assiduis ardentissimisq; precibus ad Deum fusis, pro ea intercedendum. Cui Lutheri consilio obtemperârunt. Adducta ad conciones concionantem verbi ministrum persæpè publicè redarguit. Tandem ex diuina gratia, exauditis Ecclesiæ precibus, à Satana liberata, sanitatiq; restituta est. Nec quicquam tum de furore & morbo ipsi constitit, liberaq; deinceps à Satanæ insultu, & tam corpore quàm animo sana, fideliter Francofordiæ apud ciues famulata est. Rem verè ita gestam prudentissimus eius Reipub. Senatus publicari iussit. Anno 1538.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo *nono, non procul à Ioachimicis vallibus Fabri cuiusdam filia, pudicitiæ & honestatis laude excellens, omnibusq; pietatis exerciitÿs sedulò vacans, ex permissu Dei à Satana*

circa Quadragesimam obsessa fuit. Sæpè eam Satanas arreptam humo allisit, non secus ac si comitiali morbo infestaretur. Quæ res mouit parentes, vt apud eos, qui ex pythonico Spiritu incognita perspicere, & futura creduntur, consilium quærerent. Per quod parentum facinus, potentiam suam & confirmatam & auctam esse Satanas postea gloriatus est. Circa festum Paschatos, humana voce loqui ex virgine cœpit Diabolus, persæpe etiam in specie cuculi, corui, crabronum, aliarumq; auium apparuit, earumq; vocem per omnia expressit. Varia eaq; stupenda ex virgine locutus est, quæ omnia perscribere operosum nimis fuerit, vnde magnus ad virginem hanc factus est concursus, plurimiq; ex peregrinis quoq; locis quotidie aduentabant, rem stupendam visuri, Satanamq; loquentem ex virgine audituri, quorum complures ex pio sanctoq; Zelo & verbis eum prouocârunt, & respondentem intrepidè audiuerunt. Virgo interim patienti animo crucem hanc pertulit, suas quoq; preces persæpe cum reliquorum precibus coniunxit: quotiescunq; autem Christi nomen inuocaret, & liberationem à malo, quo premebatur, peteret, nouo protinus furore in ipsa Dæmon sæuijt, protuberantes oculi ei intumuerunt, lingua instar viminis contorti ex ore, quanta palmi longitudo protendebatur, capiteq; intorto & in tergum reflexo, tristi & horrendo modo Satanas eam affligebat. Facta paululum remissione, si ex ea quæreretur, quomodo res ipsius se haberent, respondit: eam obuersari sensibus afflictionem, vt videatur sibi in profundo amni iam iam suffocanda hærere, piorumq; hominum aduentu è morte subinde eripi. Omnes eius viciniæ Sacerdotes, verbiq; diuini præcones eò frequenter aduenêre, quibus cum virgine

collo-

colloquia miſcentibus, magno cum ludibrio Satanas reſpondit, & quoties Chriſti incideret mentio, ad turpem inanemq́ deflexit ille fabulam. Interrogatus, quomodo in eam ingreſſus fuiſſet? Reſpondit, in hauſtu cereuiſia, ſub ſpecie muſcæ. Nam integrum biennium ſeſe illi inſidiatum, antequam voti ſui compos factus ſit, parentibusq́ eius Pythoniſſam conſultum abeuntibus, pleniorem ſibi in eam poteſtatem factam. Quidam pietate inſigni in ea regione Helias Hirſch, ſingulas fermè noctes apud virginem inſomnes duxit, precibusq́ ſuis aduerſus Satanam pugnauit, in quem ille acribus conuitijs ſæuijt, & quotieſcunq́ è domo ſua progrederetur, id Spiritus iſte prædixit: En, inquiens, ſacrilegus iſte Helias iterum me afflicturus aduenit. Vir iſte & ſanctus & pius, virtute verbi Dei eum oppugnauit, frequenterq́ nomine Ieſu Chriſti vſus, tantum non ad nouam inſaniam Spiritum adegit, vt furor ſæuientis procul quoq́ exaudiretur. Aliquando Heliam allocutus Dæmon, ait: Ohe choream mecum ducito, & vt lubet vel præcede, vel ſequere. Ad quæ ille: chorea tua ducat te in abyſſum tartari. Reſpondit Dæmon: Abi, iam choreas aſpicies. His dictis, tibias inflantis ſonum edidit, protinusq́ hypocauſtum ingreſſus felis, & ſub menſa canis apparuit, hi mirabili geſtu & ſaltu chorea ducta, tandem diſparuêre. Huius generis præſtigias plures inſtituit. Biduò ante Dominicam Trinitatis rurſus aggreſſi Dæmonem pij Sacerdotes, ex eo quæſiuerunt, ex cuius ibi ſedem ſibi legerit? Ex iuſſu, inquit ille, Dei, à quo miſſus ſum vt corpus affligerem, ſed animæ nihil poſſum afferre damni, tum vt hominibus ſignificarem, vt à faſtu, fœneratione, crapula, alijsq́ id genus peccatis abſiſtant, & licet meo ingenio aduerſum ſit hæc

denun-

denunciare, attamen à Deo iussus id facere cogor. In extremo autem die, plures scio me habiturum animas, quam Deum ipsum. Ad quæ verbi Minister Schlackevvaldensis, Mentiris, inquit, Sacrilege, Peccatores siquidem pœnitentiam agent, salutemq; consequentur: te autem tuosq; complices æternus Deus in extremo iudicio in gehennam ignis deturbabit. Cur cœlo exulas, cum præluſtrem te Angelum Deus creârit. Non satis firma, inquit ille, sedes mihi istic erat. Tu sanè huic tuo labori rectius parceres. Haud me latet, te pro crassa hac Margreta (sic virginem nominabat, cuius nomen erat Anna) sollicitum in festo Pentecostes è suggestu preces ad Deum publicè fudisse. Et feci, respondet verbi Minister, & facere id non desistam, donec te precibus nostris hinc in abyssum tartari præcipitemus. Et hæc dicens, quærebat ab eo: Num tu quoq; in affligendo Iobo occupatus fuisti? Quid ni, inquit ille, ô si modò similis facta mihi potestas esset, & papulas ardentes, & pestes hinc inde disseminarem. Hæc colluctatio per duas fermè horas durauit. Inter alia quoq; dicebat Minister: En, qui creaturarum quondam fuisti pulcherrimus, iam vel in immundi porci, vel alterius fœdæ bestiæ forma lates. O mi sacerdos, respondet Dæmon, persæpè in leporem mutor, magnatibus cibus sum gratissimus. Quorsum hinc exiturus, quærit Sacerdos, discedes? In fluxos, inquit ille, dilatatosq; caligarum sinus. Sum enim hic ego centesimus. Elapsis aliquot diebus, pij aliquot Sacerdotes puellam deduci curârunt, ibi in magna populi frequentia ardentibus Deum precibus inuocârunt, Hymnisq; & Psalmis laudârunt, & quoties Iesus Christus nominabatur, tanto mugitu, stridoreq; Satan sæuijt, vt omnia ruinam

minari

minari viderentur. Hac vice re infecta abière. Cum è templo virgo reduceretur, castrensis tympani sonitum Dæmon edidit, Parum, inquens, abfuit, quin loco me mouissent, profecto octo ex meis socijs iam hinc migrârant. Tandem verbi Minister Schlackenvvaldensis eò cum decem alijs Ministris denuò accersitus est. E vallibus duos Diaconos eôdem misit Iohannes Matthesius, à prima hora diei vsq; ad meridiem ingens omnium in orando, canendo, legendo fuit feruor & studium, sed re adhuc infecta prandium sumptum. A prandio aduenit Schlackenvvaldensis verbi Minister, adducens secum arcis Pragensis præfectum. Adfuit autem ingens turba hominum vnanimiter Iesum Christum inuocantium Hymnisq; laudantium, tantoq; Spiritu preces ad Deum fundentium, vt exaudirentur, eiectusq; Diabolus instar examinis muscarum per fenestram exierit. Antequam exiret, à puella petijt vnicum saltem corporis membrum, in quo moraretur, sibi communicari, hinc vnguiculum digiti, tandem vnicum pilum, sed id omne ipsi denegatum. Ait præterea iam exiturus: Omnes verbi & Ministerij, Sacramentorumq; contemptores, omnes item crapulæ, vsurisq; addicti, & corpore & anima mei sunt, & nominatim Schlackenvvaldensem Parochum monuit, vt suæ Ecclesiæ ciues ad pœnitentiam vocaret. Nempè Deus vnicè nostram salutem sitit, ideoq; Diabolus vel inuitus pœnitentiam hominibus annunciare cogitur. Eiecto Satana, virgo in parentis sui ædes deportata est, & in refrigerium animæ, corpore & sanguine Christi refecta, sanoq; vsa judicio, licet corpore debilitata, obnixè concionatorum, qui præstò erant, Ecclesiæq; publicis sese commendauit precibus. Fincelius lib. 3. de Miraculis.

ANNO millesimo, quingentesimo, sexagesimo *septimo, in Bohemiæ ciuitate Travvtenavv, quidam in cumulandis diuitijs, ædificijsq́; splendide extruendis, tantis fortunæ successibus vsus est, vt omnibus magnæ esset admirationi. Tandem in morbum incidens moritur, & honorificè admodum sepelitur. Cæterum breui post eius mortem & sepulturam, corpus eius (imò Satanas, qui pro Diabolica sua potentia corpus circumuexit) plurimos hominum arctis adeo complexibus compreßit, vt multi eorum morerentur, multi etiam ex morbo reualescerent, qui omnes vno ore confeßi sunt, se ab opulento isto viro, eo corporis habitu, quo viuum ipsum vidissent, compressos esse. Magistratus itaq; illius loci, vt Satanicum illud Spectrum amoliretur, corpus viri istius effracto sepulchro effodi iubet, quod licet iam viginti hebdomadas terræ defossum iacuisset, putrefactione tamen nulla adhuc corruptum, ea erat pinguedine, qua recentia & bene nutrita solent esse corpora. Carnifex corpus sibi traditum, ad locum, vbi de sontibus sumitur supplicium, auehit, securi caput resecat, hinc dissecto corpori cor exemptum discidit, nec aliter cruor è corpore emanauit, quàm si viuus instar malefici meritas sustineret pœnas. Itaq; Carnifex corpus flammis iniectum, capite intra pedes reposito, cremauit, astante magna hominum turba.*

SCRIBIT in Dialogo Cæsarius Coloniensis, *Sacerdotis filiam, ab incubo Spiritu maligno agitatam, ex phrenesi laborasse, monitum autem Patrem illius effecisse, vt filia trans Rhenum deportata migraret: Sic Diabolum à filia discessisse, verum parentem adeò contudisse, vt post triduum vitam amitteret.*

DAEMONIACI, inquit Bodinus, inueniuntur *quàm plurimi in Hispania, Italia, & Germania maximè, qui decem aut viginti annos sic à Dæmonibus poßidentur, vt arceri nequeant. Sic Amsterodami pueri Dæmoniaci triginta anno 1556. comperti sunt, à quibus nullo exorcismo Dæmones potuere propulsari: Id autem sordibus & maleficijs contigisse indicium fuit, quia ferramenta, vitrea fragmenta, capillos, acus, pannos, & similia excernebant, quæ solent ex sortilegijs homines affecti eijcere. Puellas Dæmoniacas & mulieres 80. scribunt Romæ à Benedictino Monacho, quem Cardinalis Gondius Parisiensis Episcopus eò adduxerat, exorcizatas fuisse anno 1554. sed nihil opera illius totis sex mensibus fuisse confectum. Huic percontanti à Satana, cur miseras istas puellas occupasset? Respondit: Se fuisse à Iudæis missum indignè ferentibus, quòd istæ, quarum pars maxima ad Iudæam gentem pertinebat, fuerint baptizatæ: quod à Satana credebatur dici, quia Theatinum Papam cogitabat procuraturum Iudæorum necem, quibus erat infensißimus.*

IOHANNES VIERUS narrat lib. 5. cap. 14. *Puellam Dæmoniacam à se in Germania visam, & roganti Exorcistæ Satanam respondisse, fore opus, vt puella Marcodurum Germaniæ oppidum religionis ergo petat, terno quoq; passu in genua procidens, & Missam in altari. S. Annæ celebrari curet, sic futurum, vt puella liberetur: adeóq; signum liberationis sub finem Missæ venturum prædixisse. Hoc facto, sub finem Missæ Puella & Sacrificulus albam quandam viderunt imaginem, & illa Dæmone soluta est.*

EST Menilij ad Dammartinum mulier, Domina *Rossa nomine, quæ inde ab octauo suæ ætatis anno, à ma-*

ligno

ligno Spiritu ligari cœpit ad arborem, ad pedem lecti, ad præsepe stabuli, aut altera manu alteri imposita, fune, vimine, seta equinæ caudæ, cannabe, idq́ tanta celeritate, vt facto Diabolus velocissimum quemq́ oculorum iactum anteuerteret. Sic puellam Parisios ductam anno 1552. viderunt Doctor Picardus aliiq́ Theologi, omnesq́ artes suas ad liberandam ipsam consumpserunt, sed nihil effectum. Hos Medicus Hollerius ridens, dicebat primum morbum esse melancholicum, postea verò quàm oculis suis in frequente corona vidit miraculum, puellam inter duas tresúe mulieres stantem exclamare, & illico sic vinciri ambabus manibus, vt solui non posset vinculum, ac secari opus esset, malignum Spiritum confessus est. Nemini apparebat quicquam, sola puella albam videbat nubem, cum Spiritus vincturus accederet. Syluula mirabilium historiarum, de Magicis & Diabolicis incantationibus, & variis eiusmodi Satanæ præstigiis, &c.

APOLLONIVS in India apud Philosophos Brachmanes *mira se vidisse asserebat, quos arbitratu suo pluuias inducere & serenitates dicebat: conuiuia quoq́ vasis epulisq́ apparatissima struere, id quod in sua præsentia ab eis factum affirmabat, cum tamen qui apparando conuiuio, ferendis mutandisq́ ferculis ministrarent, nulli conspicerentur: Quin etiam terram ipsorum arbitrio ingenti motu tremere, aiebat. Idem quoq́ vidisse se Gymnosophistas in Aethiopia affirmabat, qui arbores vt ad humum se inclinarent, loquerenturq́, efficerent. Fulgosius ex Philostrato.*

IN Africa reperiuntur familiæ, quæ sola voce ef*fascinant, si quid impensius laudauerint. Plinius libro 7.*

cap. 2. ex Isigone & Nymphodoro. Hinc etiam apud nos consuetudo inoleuit (quod Aristot. 20. sect. Problem. 34. testatur) vt aliquid laudaturi, præfemur, ne verba nostra nobis obsint, vt Deus id conseruet. Gellius libro 9. cap. 4. Esse eiusdem generis in Triballis & Illyrijs, adijcit Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque, quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, idque malum facilius sentire puberes. Notabilius esse, quòd pupillas binas in oculis singulis habeant. Huius generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bithyæ, prodit Apollonides. Et in Ponto Thibiorum genus, multosque alios eiusdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem: eosdem præterea non posse mergi, ne veste quidem degrauatos. Haud dissimile ijs genus Pharnacum in Aethiopia prodit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat. Fœminas quidem omnes vbique visu nocere, quæ duplices pupillas habeant, Cicero quoque autor est. Plinius lib. 7. cap. 2. Neuri populi Scythiæ, incantatores maximi, vt qui ex hominibus in lupos se verterent. Herodotus lib. 4.

RHODVS prius dicta est Ophiusa, postea Telchinis, *eò quod Telchines insulam incolerent, quos nonnulli fascinatores & maleficos dicunt, quòd Stygiam aquam animalibus & stirpibus perniciei gratia inspergerent, ac (vt Diodorus ait lib. 5. cap. 12.) nubes, imbres, grandinem, niuem inducerent, ac mutarent proprias formas, cum vellent, &c. Strabo lib. 14.*

EPHESIAE literæ. Dictum videtur de ijs, qui *mira felicitate, tanquam diuina virgula, quicquid optarent, assequerentur. Aiunt enim Ephesijs notulas quas-*

dam,

dam & voces magicas fuisse, quibus vtentes in omni negocio victores euaderent. Autor Diogenianus. Eustathius tradit, his literis vsum Crœsum in rogo. Fuisse autem verba quædam obscura, ænigmatibus simillima, neutiquam cohærentia, descripta in pedibus, Zona, & corona Dianæ. Suidas addit, In Olympijs Milesium quempiam cum Ephesio palæstra commissum, nihil potuisse in conflictu, quòd is Ephesius in talo Ephesias haberet literas: Quod simul ac animaduersum esset, ademptis literis, Ephesium qui iam triginta defatigârat succubuisse. Erasmus in Adagijs. Cæterum Ephesi olim plurimos fuisse Magos, ex eo potest colligi, quòd Pauli Apostoli concionibus conuersi, libros magicos innumeri precij exusserint: Erat enim ibi potentia Satanæ, propter Idolum Dianæ, maxima. Actor. 19.

QVVM Gothi è Scandinauia profecti Scythiam *attigissent, Philimerum eorum Regem magas quasdam fœminas in castris deprehendisse, Iordanis Gothus in historia scribit. Quod genus mulierum, cum perniciosissimum Rex ille reputasset, edicto suo in solitudines abegit, ne milites venenis inficerent, aut eorum robora labefactarent. Abactæ, per syluas aliquandiu vagatæ, cacodæmonum se amplexibus incestârunt: hinc peperisse feruntur Vnnos dirum genus hominum, quod non humana lingua, sed quadam locutionis imagine vteretur. Bonfinius lib. 2. Dec. 1.*

BOTHNICI Septentrionales, Lappi & Finnones *magi excellentissimi, Biarmi itidem, qui sub Polo habitant, quamcunque volunt, figuram assumunt, item quæ in alio gerantur orbe ab amicis vel inimicis, lineæ vestis aut arcus precio dato, explorant. Olaus lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 18.*

ZOROASTRES Bactrianorum Rex, artes magi-

cos inueniße, & de iis centum millia versuum scripsisse traditur, teste Plinio. Hunc quidam Mizraim Chami filium esse volunt, alij verò diuersum, floruisse annis plus octingentis ante bellum Troianum, tempore Abrahami. Is autem, vt in Clementis Itinerario legimus, volens videri Deus, & astris multum intentus, velut scintillas quasdam ex stellis eliciebat, vt rudes in stuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipso Dæmone, quem importunius frequentabat, succensus, splendido discipulorum commento, tanquam amicus Dei, vehiculo fulminis ad cœlum leuatus abijt. Quamobrem nomen post mortem sortitus est Zoroastres, quasi viuens astrum. Vixit Nini Regis temporibus, cum quo bella gessit. Prædixit moriens, si cineres suos seruarent, Regnum eorum non interiturum. Suidas.

FAMA est Persen & Aetam fratres, vno tempore, *hunc in Ponto, in Taurica illum regnasse, immiti vtrumque trucique ingenio. Hecate ex Perse orta est, sæuitia & feritate paterna nihil inferior: quæ cum virgo adhuc esset, sagittis, quos libitum fuisset, transfigere sit solita. Sed maius adhuc illi studium in venenis conficiendis. Aconiti inuentum ad eam referunt quidam, vim naturamque veneni in hospitibus experiri consuetam. Mox patrem his artibus aggressa, vita spoliauit, cuius morte Regnum adepta, Tauricæ erexit templum Dianæ, ad cuius aram, vt hospites, siue terra siue mari adessent, crudeliter mactarentur, instituit: futurum rata, vt suum per hæc nomen in plures gentes fama diffunderetur. Nupsit hæc deinceps patruo, cui Circen, Medeam, & Aegialeum enixa est.* CIRCE *maternis artibus imbuta, & ipsa herbariam, venenaque tractauit, addidit etiam per se aliqua. Nupsit virgo Sarmatarum Regi, eoque*

veneficijs sublato, regno potitus est. Quo cum aliquandiu male esset vsa, crudeliterque nimis tractaret subiectas gentes, Regno pulsa, modico mulierum comitatu, desertam in Oceano insulam tenuisse dicitur. Sed maior omninò fama est, in Italiam eam venisse, consedisseque in Latij promontorio: Tum verò insula fuit, ab eoque incolatu Circeiorum nomen adepta. MEDEA *domesticas artes & ipsa haud quidem aspernata, medicis herbarũ viribus, magicorumque carminum ambagibus operam dedit: Sed ingenio multò mitior quàm mater aut soror (quarum vtraque feritate truculentiaque fuit insigni) cum arte multa, tum gratia qua plurimum apud patrem valebat, hospites eripiebat cædi destinatos. Tandem patri suspecta, ad Solis templum in littore situm confugit. Argonautæ à Taurica in Pontum noctu delati, aduentus sui causam Medeæ indicarunt: Illa imminens à patre periculum, crudelitatemque in hospites vt cauerent, admonuit. Communicato consilio, Medea se adiutricem ad perficiendum certamẽ propositum pollicita est. Iason iureiurando data fide, vxorem sibi illam, quoad vita superstes esset, futuram spopondit. Tum noctu Argonautæ, relictis templo custodibus, cum Medea ad vellus aureum profecti sunt. Cum ijsdem reuersa in Græciam, Aesonem patrem Iasonis iam senio confectum, suis artibus reduxit ad iuuentutem. Peliam Iasonis patruum à filiabus necari curauit, & cum Iasone per decennium Corinthi vixit. At vbi Glaucen siue Creusam Creontis Regis Corinthiorum filiam sibi præferri vidit, nouæ nuptæ, dissimulato odio, pallam venenis infectam muneri misit. Quam cum illa induisset, subito flagrauit incendio, parique exitio perierunt Creon & eius Regia. Filios ex Iasone susceptos laniauit palàm*

Extincta præ mœrore Iasone, Thebas fugiens, Herculem ab insania liberauit. Inde à Draconibus in aërem subleuata Athenas deuolauit, nupsit Aegeo, &c. Hæc ex Diodor. libro 4. cap. 3. & Ouid. 7. Metamor. & Sabellico.

PASETIS semiobolus, prouerbio circumfertur. *Pases mollis natura, omnes mortales magia superauit, adeò & ex incantationibus eius, & cœnæ sumptuosæ apparerent, & ministrantes quidam. Habuit autem semiobulum ex mina à se factum, quem cum vendentibus, à quibus emere aliquid volebat, daret, cum volebat, ad eum redibat. Suidas. Meminit eius etiam Appion Grammaticus.*

PYTHAGORAM magum fuisse, & in Diabolicis *artibus eruditum, plurimi arbitrantur. Cum superuolantem susurraminibus magicis excantâsset aquilam, ita deduxit, vt mitem redderet, ac prorsus cicurem. Pythagoras, inquit Ammonius, fœmur suum apud Olympiã auream ostentauit: & cum aquila colloquebatur subinde.*

SIMON Samaritanus (quemadmodum Ambrosius *in Hexamerone, atq; Clemens Pontifex in Itinerario testãtur) præter eius artis mira permulta, quibus cum Apostolo Petro contendit, dum vt aliud pro alio appareret, persæpè effecit, pennis per sublime haud paruum spaciũ in volantis speciem vectus est. Itaq; magicis artibus, & ope Dæmonum suffultus, egregiè adeò Romanos lusit & fascinauit, vt plerisq; fecerit se numẽ, meruerítq; inter duos pontes statuam, hoc titulo: Simoni Deo sancto. Pueri incorrupti & violenter necati animam adiuramentis ineffabilibus à se euocatam aßistere sibi, & per eam omne quod iuberet fieri, iactabat. Nimirum familiaris illi erat Diabolus, quem pueri animam esse prædicabat, vt diuinitatem suam mentiretur cautius. Vierus lib. 1. cap. 16. ex Clem. lib. 2. Recognit.*

FVIT in Galeotide quidam, qui & morbos verbis propulsare, *& anni temporum intemperiem & sterilitatem, & penurias profligare sacrificijs quibusdam poterat: & mutationes excogitare atque efficere, & demonstrare bonas parandarum opum rationes. Hunc in Cretam muneribus à Minoe pellectum ferunt, vt celebrem illum Glauci interitum inuestigaret. Suidas.*

APOLLONIVS TYANEVS Philosophus, Apollonij *filius. Mater grauida Dæmonem astantem vidit, qui diceret, se eum esse, quem illa gestaret in vtero, Proteum scilicet Aegyptium. Hinc Protei filius est habitus. Floruit sub Claudio, Caio, & Nerone, vsque ad Neruam, sub quo decessit. More Pythagorico tacuit quinquennium: post in Aegyptum abijt, inde Babylonem ad Magos, inde ad Arabes, & ex omnibus illis locis celebres præstigias collegit. Suidas. Vitam eius descripsit Philostratus. Voluit sanè astutissimus Dæmon nebulonis huius præstigijs, Christi opt. max. miracula in dubium reuocare, eidemque veluti antagonistam opponere. De eo magnus Anastasius Theopolis Episcopus ita scribit: Quibusdam in locis ad hunc vsque diem Apollonij opera stant, & suum habent efficacitatem: alia quadrupedibus ac volucribus damnosis auertendis, alia ad inordinatos animum excursus inhibendos, alia alijs rebus, quæ hominibus detrimentum afferrent, arcendis. Neque eo tantum viuo Dæmones per ipsum tot ac talia egerunt, sed ipso etiam mortuo, ad monumentum eius perseuerauerunt, atque ipsius nomine miracula quædam ediderunt, ad decipiendum miseros homines, qui facilè huiusmodi rebus se à Diabolo in fraudem induci patiuntur. Quid enim dicam de Manethonis magicis operibus?*

qui tantus fuit istarum imposturarum artifex, vt semper palam Apollonium irriserit, vt non perfecta eius doctrina peritia instructum: Oportebat enim (aiebat) eum, sicuti ego soleo, solis verbis perficere quæ vellet, non operum effectionibus ad ea vti. Cedrenus in Hist. compendio.

SEDECHIAS IVDÆVS Medicus ludos coram *Ludouico Imperatore & alijs principibus magicos fecit: Homines armatos cum equis & armis deuorauit, vehiculum fœni cum equis & auriga absorpsit. Capita & pedes hominibus præcidebat, & cum sanguine in peluim ponebat. Volabat per aërem, venaticos clamores excitabat, & similes ludificationes multas. Chronicon Hirsaugiense. Hic tandem Carolum Caluum Regem veneno sustulit.*

FERVNT in comitum Andegauensium familia, *vnde Heinricus II. Anglorum Rex ortus est, principem quandam fuisse fœminam triueneficam, maleficamq́ue, & eam compulsam ad extremum colere & venerari Eucharistiam, subitò è templo per fenestram à conspectu hominum auolasse, nec comparuisse vnquam. Polydor. lib. 13.*

MEDIOLANENSIS quædam prope portam Comensem *puerum strangulauit & deuorauit. Cum super sceleris immanitate torqueretur, ab ipsis Dijs inferis sibi persuasum aiebat, si trimum vel quadrimum puerum immolasset, omnia quæcunque vellet, consecuturam. Proinde grauissimum de ea supplicium sumptum est, rotarumq́ue radijs cancellatim inflexam, ægreq́ue collisis ossibus defractam, mors lenta sæuaq́ue confecit. Artunus Hist. Mediol. sect. 1. suo tempore hoc accidisse scribit.*

QVENDAM se vidisse Iohannes Fernelius scri

bit, libr. 1. de abditis rerum causis, vt verborum spectra varia in speculum deriuare, quæ illic, quæcunque imperaret, mox aut scripto, aut veris imaginibus ita dilucide exprimerent, vt promtè & facile ab assidentibus omnia internoscerentur. Audiebantur quidem verba sacra, sed obscœnis nominibus spurcè contaminata, cuiusmodi sunt elementorum potestates, horrenda quædam & inaudita principum nomina, qui Orientis, Occidentis, Austri, Aquilonisque Regionibus imperent. Vierus lib. 2. cap. 7. de præstigijs Dæmon.

FACIVS CARDANVS, HIERONYMI CARDA*ni pater, Dæmonem æthereum, vt ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quamdiu coniuratione vsus est, vera illi dabat responsa: cum autem illam excussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis viginti octo cum coniuratione, solutum autem circiter quinque. Dum astrictus esset, commodum se satis exhibebat. Neque solus semper, licet plerumque, sed aliquando cum socijs etiam veniebat. Cardanus de Rerum varietate libro 16. cap. 93.*

IACOBVS IODOCI DE ROSA, Cortricensis, *annulum circumgestabat, in quo exorcismis colligatum putabat Dæmonem, quem singulis quinque diebus, vt minimum, alloquebatur, & de rebus nouis, de morbis & curandi modis consulebat. Tandem in vincula coniectus est Arnhemiæ Geldrorum, & exilio mulctatus, cum prius annulus ille publico loco, multis spectantibus, à Cancellario ferrei mallei ictibus contusus fuisset & perfractus. Actum Arnhemiæ, 14. Iulij, anno 1548. Vierus libro 5. cap. 1. de præstigijs Dæmonum.*

Anno salut. 1546. Iohannis Vlmeri ciuis Eslingensis filia, Margarita nomine, ex ventris doloribus ita intumuit, vt ventris moles totam faciem obtegere, ac in circumferentia decem palmas excedere videretur. Dicebat autem, se diuersi generis animalia alere in ventre, cum interim odoribus tantum & delicatioribus conditis se recreari fingeret. Audiebantur à circumstantibus lectum, in quo defixa erat, gallorum cantus, gallinarum Cocyzationes, anserum strepitus, latratus canum, ouium balatus, porcorum grunnitus, boum mugitus, hinnitus equorum: Eduxit miræ magnitudinis vermes atque serpentes ex latere circiter centum quinquaginta, quo miraculo fidem faceret. Consulti sunt Medici atque Chirurgi multi, inter eos quoque Leonhartus Fuchsius Tubingensis archiatrus, demum Caroli V. Imperatoris ac Ferdinandi Romanorum ac Hungariæ Regis Medici accessêre, aliquot Nobilibus comitati, nec quicquam fucatum inuenêre. Cùm penè quadriennium morbus durasset, ac dolores magis magisque incrudescere viderentur, Magistratus Eslingensis Medicum cum Chirurgis tribus ac obstetrice misit, vt puellæ aluum sectione aperirent. Reluctanti detrahunt tegimina, & ventrem magno artificio manibus fabricatum inueniunt, puluinaribus suffultum, cum varijs arcubus, quibus ventris rotunditas exprimebatur: Virginem interim nudam, optimè compacto, ac supra quam dici possit formoso corpore. Venter in curiam delatus, & anathematis loco adseruatus. Mater filiæ venefica tormentis examinata, Satanæ instinctu, lucri gratia hæc à se perpetrata fatetur, & fracto prius collo, publicè exuritur. Filia perforatis ignito ferro genis, perpetuis carceribus intra

duos parietes damnata est. Lycosthenes in prodigijs.

IN Creta Moses quispiam integro anno circuiuit, *Iudæos excitans, sese ipsos per mare, non aliter quam Moses olim factitârat, traducturum. Iudæi conuocant suos omnes, quoscunque poterant. Die præfinita miseros homines, comitante mulierum & liberorum multitudine, pseudopropheta in præruptum locum eduxit, ibique eis prominentem in mari rupem commonstrat, ac suadet, vt in mare insilientes, tantum ad eam natent, postea ipsos tutum iter habituros. Insiliunt plurimi, fascinati eius largis promißionibus, sed alij merguntur & pereunt in aquis, alij à piscatoribus casu interuenientibus ex vndis extrahuntur. Ac plures secuti fuissent, nisi qui vix liberati fuerant, reuertentes ad reliquam multitudinem, periculum & interitum aliorum exposuissent. Interea dum ista geruntur, propheta euanuit. Itaque non absre iudicatum est, fuisse cacodæmonem, qui permissu Dei miseram illam turbam ludificaretur, & multos morti traderet. Socrat. lib. 7. cap. 38.*

IARCHAS Indorum sapientum Princeps, di*uinitus Apollonio, nomen eius, parentes, mores, & quæcunque ipsi contigerant, dixit, perinde ac si omnibus interfuisset. Philostratus.*

CVM peterent Antiocheni ab Apollonio An*tiocheno, vt terræmotus, quibus affligebantur, auerteret, ingemiscens, in tabulis ita scripsit: Væ tibi misera vrbs, quoniam terræmotibus multis, incendijsque prosterneris, teque Orontes ad ripas suas delebit. Cedrenus.*

IAMBLICHVS à sacris in vrbem redibat cum *discipulis confabulando. Et mox defixis aliquantum in*

terram oculis, Alia via ingrediamur, inquit, quòd cadauer non procul hinc elatum est. Discipulorum quidam eum insecuti sunt: Alij verò, inter quos Aedesius, iter cæptum peragentes, vespillones, qui mortuum sepelierant, obuias habuêre. Eunapius.

GOVARVS Noruegiæ Rex adeò peritus diuinandi erat, *vt quicquid in Saxonia contra se tentaretur, præuideret in Noruegia, vltra centum milliaria Germanica. Olaus Magnus lib. 3. cap. 13.*

TRADVNT Magos nulla lege, sed nouo commento *adulteria vindicare, vt surculus per ranæ viscera ad os transfixus, in menstruis vxoris defigatur à marito. Tunc enim vxorem fastidire adulteria, & illorum tædio affici, pro certo opinati sunt. Cui haud absimile est, quod Aristoteles prodit, in Phasi flumine apud Colchos arbusculam nasci, cuius ramus excerptus à viro, & in vxoris thalamum immissus, efficit, ne vxor alium virum appetat. Alexander lib. 4. cap. 1.*

SOSIPATRAM viduam Eustathij, formosissimam *& sapientissimam mulierem, Philometor consobrinus amare cœpit, & vt ea potiretur, magicis vtebatur carminibus. Maximus Sophista, sacris operatus, Sosipatram ab hoc furore, ne manus daret amori, liberauit. Eunapius in Aedesio.*

CRACA REGNERI pugilis Dani vxor, venefica, *epulum ex trium colubrorum tabo innoxium corpori, animo saluberrimum confecerat, & partem quidem ferculi albam, ex albo serpente paratam Erico priuigno, nigram verò croceis distinctam notis, ex duobus acris confectam, Rollero filio proposuit. Ericus degustato ferculo ex vtraq;*

parte,

parte, bono suo fato, vt erat Vrbanus, catinum inuertit: Sic, inquiens, æstuante mari puppis in proram ferri solet. Comedit deinde, omniumq́ rerum cognitionem admirando modo consecutus est, ita vt ferarum quoq́ & auium voces intelligeret, Craca errore cognito, cum ineuitabilem fati prouidentiam videret, Erico filium suum Rollerum vnicè commendare cæpit, vt felicitatis per edulium partæ fructum in fratrem redundare pateretur. Hic est Ericus ille, qui diserti nomen meruit, & tandem ad Regnum peruenit. Io. Saxo Grammaticus libr. 5. histor. Danorum.

SCLERVS SETHVS, sub Manuele Comneno *Imperatore, virginem malo Persico per Lenam misso, in sui amorem pertraxit. Nicetas lib. 4. Historiarum.*

CAIANVS filius Simeonis, qui Bulgaribus do*minabatur, in arte magica adeò valebat, vt quoties vellet, lupus, vel qualibet fera videretur. Sigebertus in Chronico.*

ITALÆ quædam mulieres, oblatis cibis qui*busdam, humanas mentes ita perstringebant, vt illis ea, quæ non erant, esse viderentur. Hoc à Præstantio se audiuisse, Diuus Augustinus scriptum reliquit. Narrasse enim Præstantium dicit, ipsius patrem, eiusmodi maleficis cibis per has mulieres fortè correptum, statim graui somno indormiuisse, ac post multos dies, quorum spacio expergisci nullis remediјs vnquam potuerat, narrasse se per id tempus equi habuisse speciem, ac semper frumenta tulisse: addebat etiam portandi tempus, locumq́, & quomodo tulisset. Quarum rerum cum postea veritas inquireretur, aiebat inuentum esse, quòd equus, eius speciei, qua Præstantiј pa-*

ter dixerat, eo tempore, eo loco, frumenta ijs tulerat, quibus ille dicebat. Res mira, profecto, fœminas tantum magica arte, datis cibis potuisse, vt alteri in somnijs, alteri in vigilia, id viderentur agere, quod proculdubio nullo modo erat. Vnde meo quidem iudicio, in ijs quæ die Strigilibus mulieribus dicuntur, haud aliud esse dixerim, quàm fantasticum magarum somnium, quanquam ipsis aliter esse videatur. Fortasse etiam ijs dißimiles non fuerunt, quæ à Circe fieri dicebantur, transformationes: etsi allegorici sensus eis aliam præbeant rationem. Idem in puella Aegyptia ostensum fuit, cum parentes in equam mutatam, ad diuum Hilarionem duxissent, quam is breui in pristinam humanam speciem restituit. Cui etiam similis dici potest fuisse iuuenis ille, qui per magas fœminas in asinam conuersus videbatur, de quo cum coram Leone Pontifice Petrus Damianus accuratè disputasset, magicæ artis effectum, & nō figmentum esse asseruit. Fulgosus lib. 8. cap. 11.

IN Prussia, Liuonia, & Lituania veneficorum *maximus est numerus, qui festo Natiuitatis Christi sub noctem, deposita in certo loco hominis forma, lupi assumunt faciem, & in sylua rusticorum ædes aggrediuntur, expugnant, cereuisiæ dolia ebibunt, pecora iugulant. Locum illum deinceps incolæ diuinum arbitrantur, tali diuinationis genere, vt si alicui in eo quid aduersi contigerit, & is veluti vehiculum obuertatur, atq; niuibus inijciatur, persuasum habent, eum illo anno moriturum, quemadmodum id à multis temporibus per experientiam explorârunt. Intra Lituaniam, Samogetiam ac Curionem est paries quidam, ex quodam castello diruto reliquus. Ad hunc certo anni tempore aliquot millia luporum conue-*

niunt,

niunt, ac vniuscuiusq; agilitatem in saltando explorant, qui hunc parietem transilire nequiuerint, vti pinguioribus ferè euenit, flagellis ab eorum Præfectis caduntur. Deniq; constanter asseritur, inter hanc multitudinem etiam magnates, atq; ex prima nobilitate viros versari. Illustrat id ipsum exemplis Olaus lib. 18. cap. 45. & sequentibus, asserens Ducem Prussiæ tali veneficio parum fidei adhibentem, quendam huius maleficij expertum, vinculis clausum coëgisse, vt in lupum se transformaret, eumq; mox igni exussisse.

VRATISLAVS Lucensis Dux, Vratislauiæ conditor, *bellum contra Grezomislaum Bohemiæ Ducem, nepotem suum susceperat. Ibi mulierem fuisse tradunt, quæ priuigno bellum petituro, Vratislaum in pugna casurum, maioremq; populi partem cum eo interituram prædixit: posse tamen euadere iuuenem, si sibi parêret. Adolescenti imperata facturum respondenti, iussit vt primum qui obuius fieret, occideret, atq; vtrasq; aures abscissas in pera reconderet, mox gladio inter priores equi pedes cruce in terram facta, & deosculata, equum ascendens fugam maturaret. Pugnam in campo, cui Thusco nomen est, commissa, cæso Vratislao, adolescens, qui nouercæ paruerat, domum incolumis effugit, sed vxorem, quam vnice amabat, interemptam reperit, carentem auribus, pectusq; confossam. Sic quas hosti amputauerat aures, coniugis suæ fuisse stupens tristisq; cognouit. Aeneas Syl. in Histor. Bohem.*

APOLLONIVS TYANEVS, cæcos, claudos, atq; *ab immundis spiritibus vexatos sanauit. Ephesi vrbem graui pestilentia laborantem liberauit, ostenso eis mendi-*

co sene, quem à populo lapidari iußit: qui postea lapidum congerie detracta, canis effigiem habere inuentus est, quem ipse Dæmonem esse affirmauit.

EXEMPLA quædam eorum, qui magicis carminibus *in tormentis constantes perstitêre, recitat Vierus lib. 4. cap. 10. de Dæmonum præstigijs.*

DVFFVS Scotorum Rex incognito morbo affectus, *noctu in sudorem immensum soluebatur, interdiu dolore leuatus, quieti se dabat. Corpus lenta conficiebatur tabe, effœto simillimum. Pulsus constabat, constabat quoq; sensus, & cibi appetitus. Medici de salute Regis desperabant. Obortus est interea sub id tempus, incerto autore, rumor, Regem veneficarum mulierum arte contabescere, easq; apud Forres Morauiæ oppidum, magicam & sortilegam artem in Regis perniciem exercere. Missi nuncij velut ineundæ pacis gratia inter Duffum Regem & coniuratos Morauos, Forres adiêre, noctuq; in arcem admißi commodum à milite quodam, qui hoc ipsum à suo scorto, cuius mater venefica erat, expiscatus fuerat, de toto negotio admonentur. Ergò in sortilegarum ædes irrumpentes, sagarum vnam cereum simulachrum, ad Regis Duffi imaginem Dæmoniaca arte confectum, ligneo affixum veru ante ignem torrentem: alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem sensim supra statuam inuenerunt. Coniecta in vincula, rogataq; de scelere, responderunt, dum simulachrum igni adhibitum torreretur, Duffum Regem in sudorem solui: carminibus verò recitatis, perpetua teneri vigilia, & ad liquescentem ceram macie confici: consumpta autem cera, Regis mortem continuò subsecuturam. Ad facinus exequendum,*

mecede à Morauorum primoribus conductas fuisse. Exustis mulierculis, Duffus sudare desijt, & sanitati restitutus est. Hector Boëthus lib. 11. historia Scotorum.

HELSINGORVM Princeps Vitolfus, quos voluit *ita videndi officio spoliauit, vt propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigijs indagare, adeò luminum vsum nubilo quodam errore obtundere callebat. Olaus lib. 3. cap. 17. Septentrional.*

LAPPONES & FINNI Septentrionales faciunt *de plumbo iacula magica breuia, ad modum digiti: ea mittunt per quædam dissita loca in eos, de quibus vindictam expetunt. Hi oborto carcinomate in crure vel brachio, intra triduum vehementia doloris exanimantur. Idem Ibidem.*

CVM Isabella Alfonsi II. Arragonij Regis filia *ad maritum Iohannem Galeacium Ducem Mediolanensem est adducta, Ludouicus Sfortia ea conspecta subitò sic exarsit, vt eam sibi coniugem à patre dari concupierit: atq; in hunc finem magicis artibus effecit, vt Iohannes Galeacius per multos menses impos fuerit ad coniugij arcana peragenda. Guicciardinus lib. 1.*

PYTHAGORAS CROTONE & METAPONTI *eadem die atq; hora aliquando visus est. Apollonius in Mirabil. historijs.*

APOLLONIVS TYANEVS, cum in Palatio pu*blicè custodiretur, apud Domitianum accusatus, ab eius conspectu euanuit, atq; Puteolis eo die inuentus est, quo comitem suum præmiserat, atq; vt illic se expectaret, mandarat. Idem cùm in Tigillam manu libellus esset, in quo sua accusatio tenebatur, prodigiosè effecit, vt apertus li-*

ber, nulla in parte ſcriptus inueniretur. Philoſtratus.

IAMBLICHVS SYRVS Philoſophus, inter *fundendum preces, ab humo plus quàm decem cubitos ſublimis attollebatur: corpus & veſtimentum in aureolum colorem migrabat. Finitus precibus, in priſtinam redibat ſpeciem, & ad terram deſcendebat. Magicæ nimirum contemplationis hæc erant ludibria. Eunapius in eius vita.*

ODDONEM DANICVM Piratam maximum, tradit *Olaus in hiſtoria Septentrionalium, abſq; carina altum pererrâſſe mare, & hoſtilia ſæpe nauigia, concitatis carmine procellis, euertiſſe: ac poſtremò peritiore hoſte circumuentum, gurgite ſubmerſum eſſe, qui marinos vortices præſtigioſis carminibus olim calcare conſueuerat.*

OTHINVS MAGVS, Hadingum Daniæ *Regem, magicis præſtigijs turpiter illuſum, atq; longius à ſuis familiarib. auulſum, cum equo per vaſta maris ſpacia ad propria reduxit. Hadingus per amiculi eius rimas, ſub quo trepidus deliteſcebat, animaduertit equinis freta patere veſtigijs. Olaus lib. 3. cap. 19.*

THESPETION GYMNOSOPHISTARVM in Aethiopia *Dux, ſuis incantationibus præcepit arbori vlmo, vt Apollonium ſalutaret: Illa ſalutauit, diſtincta quidem voce, ſed fœminea. Philoſtratus in vita Apollonij, & Volaterranus lib. 13. cap. 8. Anthropol.*

THEOTECNVS MAGVS ANTIOCHIÆ ſub Maximino, *ſimulachrum Iouis oracula edere vi magica effecit, quibus ciues contra Chriſtianos excitarentur, & Imperator ad illos perſequendos efferaretur. Tandem Licinius, fraudibus illius cognitis, digno ſupplicio affecit. Euſebius lib. 9. cap. 3. & 11.*

APPION GRAMMATICVS Cynocephalæa herba (*quæ in Aegypto Osirites vocatur, & contra omnia veneficia pollet, ille tamen qui eam eruerit, moritur) vmbras Homeri euocauit, vt sciret, qua patria, quibusque parentibus genitus esset. Non tamen ausus fuit profiteri, quid sibi respondisset. Plinius lib. 30. cap. 2.*

APOLLONIVS TYANEVS veniens ad tumulum *Achillis, obtestatus est Achillis manes, vt sibi antiquam suam imaginem demonstrarent. Leuiter itaque tumulus intremuit. Mox iuuenis quidam apparuit, primò statura cubitorum quinque, paulò post duodecim, pulchrior quàm dici possit. Interrogauit autem quædam friuola. Videns ergo adolescentem nimium lasciuientem, cognouit eum à Dæmone occupatum esse. Compulit itaque Dæmonem corpus eius relinquere. Quo discedente, in rei huius signum statua quædam proxima cecidit. Philostratus.*

IAMBLICHVS Philosophus cum discipulis suis *accesserat Gadara, thermas in Syria, secundus à Baijs in Romano Imperio obtinentes, quibus nullæ balneæ comparari possunt. Isthic cum lauaret, nata de balneis disceptatione, renidens Iamblichus, iussit discipulos sciscitari ab indigenis, quibus iam olim nominibus donati fuissent duo è calidis fontibus minores, sed cæteris elegantiores venustioresque. Illi negârunt se posse causam nominum rescire, vni tamen Amori nomen esse, alteri Anteroti, Deo amantium iniuriæ vindici. Confestim ipse contacta manu aqua, (sedebat enim fortè in crepidine fontis, vbi depletur ac superfunditur alucus) paucis admurmuratis verbulis, de fontis imo pusionem exciuit, candidum, commoda statura, capillitio in fuluum aurum tincto, dorsi cute*

nitida, qui totus lauanti aut loto aßimilis erat. Attonitis rei nouitate comitibus, ad proximum fonticulum transiens, ibiq́; eadem quæ prius peragens, alterum Amorem euocauit, prioris per omnia similem, extra comas nigrantes huic magis, & rutilas, per collum sparsas. Ambo Pusiones circumfusi, arctis complexibus Iamblicho velut naturali patri inhærebant. Quos ille in proprias suas sedes e vestigio restituit, lotusq́; excessit. Eunapius in eius vita.

CVM Basilio Imper. maior natu filius Constantinus *mortem obijsset, adeò eius desiderio tenebatur, vt post omnino viuum cuperet videre. Erat Monachus quidam Theodorus, cognomento Santabarinus, in metropoli Enchaitarum præpositus, qui summa erat iunctus familiaritate Regi, vtpote quem & obseruabat vt virum religiosum, & diligebat vt veritatis amatorem. Hic se Regi filium monstraturum viuentem inter frondosa virgulta equo insidentem promiserat. Stultus pater credidit, & visionem videns, quam fallax monachus Diaboli minister fabrefecerat, arbitratus est filium se amplexum, nihilq́; non perfido Monacho credidit: vt etiam filium Leonem, quem pater diademate ornauerat, & regem creauerat, patri adeò suspectum reddiderit, vt illum carceri incluserit, quo longo tempore innocens Rex est maceratus. Cuspinianus ex Zonara.*

PVER quidam Lotharingus, honesto loco natus, *æqualium probitate corruptus, cœpit in caupona perpotare, inscio Gilberto Cognato Nozereno, cuius fidei concreditus erat. Accidit vt adolescens ignotus (quem Cacodæmonem fuisse postea compertum est.) puerum à combibonibus seduceret, & artem parandæ pecuniæ facili car-*

mine

mine conceptis verbis se communicaturum promitteret, si modò Cauponi suo nomine symbolam numeraret, & ex animo, quæ in codicillo sacro à se exarato scripta esse crederet, neq; vnquam libellum sacrum explicaret. Puero omnia se facturum pollicente, specimen artis edit, & charta sinistro apprehensa pugno, dextræ manus indice & medio compressa, & carmine admurmurato (lingua Gallica, Orichalcum natat, aurum salit) LX. coronatos, quot optauerat, à digitis excutit. Puer Præceptorem imitatus pari successu, lætus cum charta abit, & curiositate ductus, eam aperit, vt consimilem aliam conficeret. In medio sphæricus erat circulus, tanquam orbis, duabus lineis rectis per diametrum intersectus, crucis figura: suprà facies depicta, imminens circulo, horrifica, cornuta, & tanquam cacodæmonis. Ad dextram, binæ cruces inter se cohærentes. Ad læuam obscœna pars mulierum, eiq; aduersum, & tanquam infestum pudendum viri membrum. Statim vt obscœnas illas imagines vidit, oculi nigrescere cœperunt, vertigine rapi caput. Neq; soli sibi se iam credebat, quocunq; iret, subinde respectans, tanquam à tergo insequentem quempiam videret. Iam contubernalis adolescens quidam animaduerterat nouum ali monstrum, expiscatur. Præceptoris iussu puer omnem rem aperit. Persuasus, chartam sacram in ignem conijcit. Ea semihora medijs in flammis durauit inusta, cum nulla magis materia ignem rapiat, adeò vt puer ipse admirans, exhorresceret. Cognatus lib. 8. Narrationum.

Svb Anastasio Imper. Bulgari, gens prius ignota, in Illyricum & Thraciam incursiones fecêre. Contra quos aliquot Romani Duces cum exercitu profecti sunt.

Cumque illi excantationibus & magicis rebus usi essent, turpissimè Romani omnes, præter pauculos, victi & cæsi sunt. Cuspinianus.

SIGEBERTUS Francorum Rex, ab Hunnis, qui *magicis artibus instructi, ei phantasmata obijciebant, vincitur, exercitus eius profligatur, & ipse capitur. Gregor. Turon. lib.4. cap. 28.*

HAQUINUS Noruegiæ Princeps, contra Danos *pugnaturus, imbris maleficio ita hostium vertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit, ut eorum oculi veluti quibusdam membrorum spiculis lacessiti, prospiciendique penitus facultate defecti, grauiorem ab elementis pugnam, quàm ab hoste sentirent. Biarmenses polo Arctico viciniores, in Septentrione contra potentissimum Regem Regnerum pugnaturi, carminibus horrendam tempestatem Danis immiserunt, eosdemque mox feruentissimo calore torruerunt. Ita anceps geminæ intemperantiæ malum, hostes vita & victoria spoliauit. Olaus lib. 3. cap. 19.*

ARNGRIMUS Sueticus pugil, Finnos syluestres *bello prosequebatur. Qui cum infeliciter dimicando fuga dilaberentur, tribus lapillis post tergum coniectis, totidem montium instar hostibus apparere fecerunt. Igitur Arngrimus ludificari visus, errore perstrictus, ab insectando hoste exercitum reuocauit, magnarum se rupium interiectu coërcitum putans. Iidem postera die congressi, victique, coniecta in terram niue, ingentis fluuij speciem indiderunt. Ita victore vanam aquarum imaginem formidante, fuga elapsi sunt Finni. Tertia tandem die videntes suas inclinari acies, potestati se permisêre victoris. Olaus lib. 5. cap. 15.*

MAGI-

Magicum indusium, Necessitatis nuncupatum, *Germanis* Nothhembt / *à veteribus celebratum, quo induebantur, vt in bellis à quocunque telorum vel sphærularum bombardicarum ictu & armorum iniurijs liberi perdurarent, & quoduis aliud corporis incommodum declinarent securi. Eo quoque vsæ sunt parturientes, vt citius tutiusque fœtum deponerent. Hinc nomen sortitum est, quòd in necessitate vsurparetur. Huius conficiendi hæc erat ratio: Nocte Natalis Christi, filum ex lino in nomine Diaboli notæ castitatis puellæ nebant, texebant, consuebant. In pectore duo assuebantur capita, in quorum dextro longa propendebat barba, & velut galea erat imposita, sinistrum autem horridum, & corona ornatum, instar Dæmonis. Latus vtriusque muniebatur cruce. Longitudine à collo medium hominem contegit indusium cum manicis. Id apud eximiæ nobilitatis virum se vidisse, cui à milite patruo milite strenuo cesserat, scribit Vierus lib. 4. cap. 15. de præstigijs Dæmonum, eoque olim frequenter Cæsares & Principes vsos esse.*

Poloni Tartaros anno Christi 1240, ad Legniciam *commisso prælio grauiter vrgebant, & fugientibus instabant. Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia signa vexillum insigne cuius pictura X literæ figuram præferebat, in cuspide verò imago erat tetra nigraque capitis humani barbati. Illud vexillum cum signifer vehementius quateret, fumum atque nebulam densissimam & fœdissimam exhalabat. Ea nebula non modò aspectum Barbarorum Polonis adimebat, verum etiam odore teterrimo eos enecabat. Incantationibus id quibusdam Tartari effecerant, quibus iuxta, ac ariolationibus, atque diuinationibus cæte-*

ris, cùm aliàs tum in bello plurimum vtuntur, ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare soliti. Barbari vbi Polonos trepidare senserunt, cohortati se inuicem, impreßionem in eos faciunt, perturbatisq; ordinibus, magnam cædem faciunt: in qua Pompo magister Cruciferorum cum fortißimis quibusq; suorum occubuit. Tantus eo prælio interfectorum Christianorum numerus fuit, vt singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisæ, nouem ingentes saccos explerent. Cromerus lib. 8.

GRASSANTE crudeli bello inter Reges Daniæ *& Sueciæ anno 1563. ex castris Danicis scriptum est, Sueciæ Regem inter suas copias circumducere quatuor vetulas Lamias, quæ carmine omnem Dano præpedirent victoriam, vt nullum posse hosti facere damnum: & si qui à Sueciæ Rege cingerentur obsidione, redderentur imbelles, atq; in deditionem proni. Ac licet famæ huic prius nulla fuisset data fides, postea tamen vnam ex his Lamijs captam fuisse à milite generosi Comitis à Schvvartzenburg Guntheri, Ducis exercitus, quæ ea confiteretur, scripto addebatur: deinde circa vias in puteis & locis aquosis limosisq; inuenta fuisse extracta longa fila, quibus ligneæ cruces multæ, aliíq; characteres appendebant. Grauiter inquit Vierus, vtrinq; delictum est, contra manifestum Dei mandatum: à Suecis, quòd vetitam opem accierint: à Danis verò, quòd sibi à Magicis illis præstigijs & Dæmonum ludibrijs timuerint, libro 2. cap. 33. de præstig. Dæmon.*

EMPEDOCLES Agrigentinus Magus, de seipso *hæc scribit:*

Medicamenta quæ & mala & senectutem propulsant,
Audies: tibi enim soli ego ista omnia conficiam,

Et

Et sedabis indefessorum ventorum vires, qui in terram
Ruentes flatibus rura corrumpunt.
Et vicissim si voles, reduces ventos adduces,
Et efficies ex imbre nigro tempestiuam siccitatem
Hominibus, & efficies ex æstiua siccitate
Flumina fœcunda, quæque in æstate spirant,
Et reduces ex Orco defuncti animam viri.

Cum aliquando Etesiæ ita vehementer flarent, vt fruges læderent, iussit asinos excoriari, & vtres fieri, eosque in Promontorijs extendi, vt ventum exciperent. Quo sopito, appellatus fuit κωλυσανέμας, quasi prohibitorem ventorum dicas. Suidas.

SVNT in Lydis, qui Persici cognomine vocantur, *vrbes, Hierocæsarea, & Hippæpæ: in templo vtriusque vrbis amplissimo cellæ cum aris, super his cinis alio longe colore à vulgari cinere. Huc ingressus Magus, vbi foco lignis impositis tiara caput velârit, implorat cognomen Dei, quicunque ille sit (ex libro enim carmen recitat barbaricum) vbi perorauit, sponte sua è lignis, nullo igne admoto, purissima emicat flamma. Pausanias lib. 5. se hoc vidisse testatur.*

TESTATVR Herodotus libro 7. de præfectis *Xerxis, quòd ij triduana tempestate 400. naues amisêre, donec quarto die Magi, Thety & Nereidibus sacrificando, tempestatem compescuerunt.*

CASTABALIS est Dianæ Persicæ fanum, vbi *dicunt sacras mulieres illæsas nudis pedibus super prunas ingredi. Strabo libro 12. Sub monte quoque Soracte vrbs est Feronia, quo nomine & Dea quædam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore. Eodem in loco ipsius tem-*

plum est, mirificum ſacri genus habens. Nam qui eius numine afflantur, nudis pedibus prunas calcant. Eò ingens mortalium multitudo conuenit, & celebritatis ipſius, quæ quotannis celebratur, gratia, pariter & ſpectaculi. Idem lib. 5.

TVLLVS HOSTILIVS Romanorum Rex, *Numæ Pompilij imitatione dum Iouem Elicium elicere conatur, fulmine ictus, cum Regia conflagrauit. Tuccia virgo Veſtalis, inceſti crimine rea Romæ, cum precatione certa aquam cribro hauſit, anno vrbis 609. Plinius libro 28. capite 2.*

ARNVPHIS magus Aegyptius, in eo bello *quod Romani cum Quadis geſſerunt, cum fieret acerrimus conflictus, atq; victoria in vtramq; ex æquo partem mutare videretur: Mercurium illum qui eſt in aëre, aliosq; Dæmonas, quibuſdam artibus magicis inuocauit, & impetrata ab his horrenda pluuia Quados deterruit, atq; Romanis victoriam peperit. Dion Nicæus in Antonino. & Suidas. Nonnulli hoc Iuliano Chaldæo tribuunt.*

FINNI olim Septentrionales populi olim mer*catoribus ventos venales exhibebant, tres nodos magica arte ſacratos eis offerentes, quorum primo ſoluto, placidos ventos, ſecundo vehementiores, tertio ſæuiſsimos eſſent habituri. Olaus lib. 3. cap. 16. ex Sax. Grammat.*

ANNO Salutis 1462. Ferdinandus Neapolita*norum Rex, Marcos oppidum, arci Montis Draconis, ad Maſsicorum montium exitum ſitæ, ſubiectum, Andegauenſium factioni fauens, arcta obſidione premebat, & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat, cùm impij Sacerdotes magicis artibus imbres elicere auſi ſunt. In-*

uenti enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui nocturnis in tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes, furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam prius, ac diro prosecuti carmine, pòst in mare execrabundi immiserint, cœlo, mari, terrisque tempestatem imprecati. Quo etiam tempore Sacerdotes quidam mortalium omnium sceleſtissimi, dum satisfacere profanis militum artibus student, ritum nefarium secuti, quo (vt dictum est) in huiusmodi elici imbres putantur, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinêre funestum carmen. Pòst diuina Eucharistia in illius os palatumque iniecta, conclamatum asinum funereis cantibus, viuum tandem ibidem pro templi foribus humauêre. Hîc verò vix dum perfecto sacro obnubescere aër, ac mare agitari ventis cum cœpisset, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micari ignibus, nunc lux omnino eriperetur, tonitru cœlum, terræque horrescerent, volarent euulsæ ventis arbores, discissaque fulminibus saxa complerent auras fragoribus, prorupit tanta è nimbis pluuia, imbresque tam validi, vt non cisternæ modò colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa, rupesque exustæ solibus, torrentes vndequaque prolapsos diffunderent. Ita Rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sauonem vetera in castra rediit. Pontanus lib. 5. belli Neapolitani.

PROPE Elten Pagum, miliare medium ab Em*brica, in Ducatu Cliuensi dissitum, circa viam Regiam ante annos circiter quadraginta duos, Dæmonium viatores miris variisque exercebat modis, cædens, vel ab equis deiiciens, vel vehicula subuertens: nec aliud vnquam videba-*

tur, quam manus effigies. Eckercken huic nomen indebatur. Vicini ad Lamiæ maleficium referunt id facinus. Quare manus mulieri Sibyllæ Duiscops nomine, seruitutis iure Comiti Montensi mancipatæ inijcitur, eaq́ tandem exusta, desijt vexatio. Vierus lib. 5. cap. 12. de præstig. Dæm.

PELOPS in curriculo Olympico defodiens magicum *quiddam, ab Amphione acceptum, fecit, vt eò loci equi semper insolito terrore turbarentur. Pausan. lib. 6.*

PYTHAGORAS Vrsam quampiam feritate *conspicuam, magnitudine inusitata, quæ visentibus modò horrorem incuteret, accersitam demulctamq́ apud se aluit. Mox demissurus, veluti conceptis verbis, iureiurando, vt sic dicam, adegit, nulli animantium cunctarum, damno oblæsioniúe futuram. Abiens illa in syluas se coniecit suas, summaq́ fide, quod inter homines quoq́ perrarum est, in quod adiurata recesserat, præstitit. Hinc forte Pythogoricam necromantiam per literarum numeros & lunam solitam exerceri, recensuit Augustinus. Narratur certè idem Pythagoras, bouem vbi propè Tarentum conspexisset, fabaciam segetem morsicatim corrumpentem, tum etiam proterentem pedibus, bubulco insinuâsse. Bouem moneret, frugibus parceret. Ridens busequa, Ego, inquit, bouatim non didici, tu qui videre scholarum id genus experiens, obeas vicem meam. Euestigiò Pythagoras auribus sese admouens, sui artificij quæpiam immurmurauit. Res additur mira: Obedientissimus bos, vt ab eo qui amplius saperet, edoctus, lacerare mox segetem destitit: quin etiam in futurum eiusmodi pabulo abstinuit: sed & bubulum desijt obsequium, factusq́ de rurestri colono, ambulator vrbanus. Tarenti placidè consenuit, de manibus homi-*

num

num victitans. Cælius lib. 19. cap. 7. A. L. Plutarchus in vita Numæ. Idem Pythagoras, vt ait Aristoteles, in Etruria serpentem, qui morsu necabat, morsu interfecit. Apollonius in Mirabil. historijs.

APOLLONIVS TYANEVS Roma Byzantium *profectus, rogatu ciuium, ea vrbe multitudinem anguium ac scorpionum expulit, ne cui porrò homini nocerent. Equorum etiam in conuentibus Principum confusè ferocientium intemperiem refrenauit. Idem ab eo Antiochiæ, cum eò venisset, efflagitatum est. Cum enim Antiochenses à scorpijs & culicibus diuexarentur, æreum ipse scorpium conflauit, supraq; eum in terra depositum parua erecta columna, populo iussit, vt calamos gestarent, perq; vrbem circuirent, & calamos concutientes inclamarent, Vacet vrbs culicibus. Eo modo & scorpij & culices ea ex vrbe profligati sunt. Cedrenus.*

IN maiori India est prouincia, Maabas dicta, ve*natione margaritarum celebris. Cum autem mare illud belluis infestum sit, Abrachimini Magi illorum (qui olim Brachmanes) incantationibus diurnis cetos maximos ita effascinant, vt nemini nocere poßint: noctu verò eosdem relaxant, ne furibus latrocinandi detur occasio. M. Paulus Venetus lib. 3. cap. 23. rer. Oriental.*

APVD Hollandos in oppidis maritimis, Rotero*damo & Scheidamo, ex piscium captura maximè viuitur. Horum incolæ cum haleces piscaturi enauigassent, & piscium copia onustas reducerent Roterodami, retia lapidibus onerata Scheidami retraxerunt. Quod insperatum infortunium maleficio confestim imputabatur. Quocirca mulieri inijcitur manus, quæ incunctanter fatetur, male-*

ficis

ficis suis artibus id accidisse, & se per vitri foramen (quod ostendebat eius magnitudinis, ægrè vt digitum transmitteret) dum piscibus illi insidiarentur, transuolasse, & in mytuli testa (Mosselscop nostratibus dicitur) se mari commisisse, illudq; traiecisse vsq; ad halecum stationem, & ibi incantamentis haleces fugasse, & eorum loco subiecisse lapides. Lata hinc potissimum sententia, flammis illa fuit addicta. Vierus lib. 5. cap. 8.

TRADVNT Pasetem quendam præstigiarum & *magiæ peritia primum nomen meruisse. Is incantamentis quibusdam efficiebat, vt repente conuiuium omnibus instructum partibus adesse videretur: rursum vbi libuisset, omnia protinus euanescebant. Suidas. Brachmanes conuiuia omni genere ferculorum instructa apponunt, nullo ministrorum conspecto. Philostratus.*

FERTVR Numa Rom. Rex aliquando frequentes *ciues inuitâsse ad epulum, sordidaq; vasa, & cœnam planè frugalem plebeiamq; apposuisse. Cœpta cœna intulisse sermonem, deam sibi familiarem adesse, ac repente domum ostendisse poculis instructissimam preciosissimis, mensasq; epulis varijs atq; apparatu magnifico affluentes. Plutar. in Numa.*

GVLIELMVS Comes Hollandiæ, instinctu Pontificis *contra Fridericum II. & Conradum eius F. Aquisgrani Rex Rom. coronatus, rediens coloniam lautissimum instituit principibus conuiuium. In quo, vt fertur, mirabili opera Alberti Magni Philosophi, arbores media hyeme effloruerunt, & herbæ germinârunt. Quod Scriptores eius ætatis, & qui se vidisse commemorant, tradunt. Ob id factum fratribus eius Ordinis in Traiecto prædium ingens*

cum reditibus dicitur donasse, atque monasterium construxisse. Cuspinianus.

PYTHAGORAM, Pythagum, hoc est, ludicrum per *speculum factitâsse aiunt, vt quæ collibuisset, sanguine perscriberet in speculo, moxque literis ad lunã orbis pleni obuersis, stanti à tergo, vt in luna exaratas disco, commonstraret. Cæl. lib. 9. c. 23. Antiq. Lect. & Suid. in voce* Θετταλὴ γυνή.

APVLEIVS lib. I. de Asino aureo hæc refert: A*thenis, inquit, proxime & ante Pœcilem porticum, isto gemino obtutu circulatorem aspexi equestrem, spatham præacutam mucrone infesto deuorasse, ac mox eundem inuitamento exiguæ stipis venatoriam lanceam, qua parte minatur exitium, in ima viscera condidisse: & ecce pone lanceæ ferrum, qua bacillum inuersi teli ad occipitium per inguem subit, puer in mollitiem decorus insurgit, inque flexibus tortuosis, eneruam & exossam saltationem explicat, cum omnium qui aderant admiratione.*

PHILVMENA, Apellis hæretici scortum, in angu*stissimi oris ampullam panem maximum immittebat & eximebat. D. Augustin. Sedecias Iudæus, milites cum equis & armis, vehiculum fœni deuorauit, & volabat per aërem.*

ANDRONICI senioris Imp. & Andronici eius *nepotis tempore, præstigiatores quidam ex Aegypto Byzantium venerunt, artem suam ostentantes. Nauis onerariæ malos binos vel ternos funibus hinc inde in solo quopiam firmabant, ne in alteram partem inclinarent. Deinde funem alium ex vnius mali cacumine in alterius cacumen extendebant, prætereaque alium funem à solo ad cacumen circumplicantes, gradus aliquot, quibus ascenderent, faciebant, per quos vnus ex eis cùm euasisset, nudo cacumini*

mali

mali insistebat, nunc alterum pedem, nunc ambos versus cœlum extendens, caput verò deorsum versus mali cacumen inclinans: Postea subitò saltu facto, vnaq; manu fune fortiter comprehenso, inde pendebat, & ita sæpe sese rotabat & circumagebat, sursum versus cœlum, & infrà versus terrã paulo momento & continenter trochi in morem. Deinde inflexo crure manus vice fune prehenso, supinus dependebat, atq; ita rursus eodem modo sese circumagebat & rotabat. Mox rectus in medio fune stans, arrepto arcu & sagittis, ad scopum eminus positum collineabat, adeò solerter, vt qui humi consisteret, melius non posset. Deinde clausis oculis, accepto in humeros puero, in sublimi fune ambulabat, ab altero fune ad alterum, & hæc vnus agebat.

ALIVS verò equo insidens, ad cursum illum ex*timulabat, eoq; currente, nunc erectus in sella stabat, nunc in equi iuba, in fronte, nunc in clunibus, pedibus semper dextrè implexis, & velut auis in morem volitans. Nunc ex equo currente descendens, eiusq; cauda prehensa insiliens, rursus in sella sedens conspiciebatur, & inde rursus ex altera sellæ parte se demittens, & circum equi ventrem se circumagens, facile ex altera parte ascendebat, ac rursus in ea vehebatur. Quibus rebus cum occuparetur, ne id quidem negligebat, vt equum flagello ad cursum incitaret. Et hæc alter è præstigiatoribus illis faciebat. Alius verò claua cubiti magnitudine capiti imposita, in eaq; vase humore pleno collocato, ita circuibat, vt vas diu non agitaretur. Alius & ipse longam hastam in capite suo statuebat, tribus orgyis non breuiorem, fune infernè versus apicem circumplicato graduum instar, quos puer manibus &*

pedibus

pedibus ascendebat paulùm alternantibus, vsque ad hastæ cacumen, & rursus inde descendebat: at qui hastam in capite gerebat, continenter obambulabat. Alius vitreum globum in altum iactabat, & relabentem nunc extremo manus vngue excipiebat, nunc posteriore cubiti parte, nunc aliter atque aliter. Sed ne ipsi quidem periculorum expertes fuerunt, sed præcipitati aliqui perierunt. Nam cum amplius XL. patria excessissent, pauciores XX. Byzantium peruenerunt. Magnam tamen pecuniam à spectatoribus colligendo, quouis terrarum proficiscebantur, partim lucri faciendi causa, partim ostentandi gratia. Gregoras lib. 8.

MICHAEL SICIDITES Magus, imperante *Manuele Comneno, earum rerum conspectum eripiebat, quas oculi intuebantur, & totas Dæmonum cohortes immittebat ijs, quos volebat exterritos. Cum ex editiore Palatij loco nauiculam vidisset, qua ollæ & patinæ vehebantur, magico carmine effecit, vt nauta exurgeret, & vasa non prius ferire desisteret, quàm in puluerem redegisset. At paulò pòst barba prehensa lamentari, amotaque caligine, se vt ira numinis agitatum deplorare. Rogatus, cur merces suas ita tractasset? Cum dolore narrabat, se remis intentum, horribilem serpentem supra vasa porrectum, oculis inconniuentibus in se conuersum instar deuoraturi vidisse, qui prius volutari non destiterit, quàm fictilia confracta essent, inde subitò ex oculis euanuisse. Fecit & aliud non dissimile. In balneo lauans rixari cum quibusdam cœpit, mox egressus est: Paulò pòst & cæteri anhelantes præ metu ac festinatione inuicem conculcantes procurrerunt, cum ex canali calidæ aquæ viros pice nigriores exilijsse dicerent, à quibus nates ipsorum plantis pedum*

ferientibus, balneo exacti essent. Nicetas libro 4.

GREGORIUS VII. vt Cardinalis Benno refert, *quando volebat, manicas discutiebat suas, vnde ignis in scintillarum modum dissilijt, ijs miraculis velut sanctitatis signo simplicium oculos ludificans.*

APUD Ostrogothos lacus est maximus, Veter *dictus, amœnam sed oblongam insulam in vmbilico suo habens, duas tenentem Ecclesias parochiales, sub quarum altera specus cauernoso longoq́ introitu, & exitu immensæ profunditatis reperitur: in quam non nisi vanæ ostentationis & curiositatis homines cereis accensis, filisq́ glomeratis: repetendi regressus causa, descendunt: vt quendam Gilbertum nomine, Magum insignem conueniant, qui illic iam olim per proprium præceptorem Catillum, cui insultare præsumpserat, superatus atq; ligatus est. Nam exiguo fuste certis characteribus Gothicis seu Ruthenicis insculpto, à præceptore proiecto, & manibus apprehenso; Gilbertus immobilis mansit. Multi olim ad has præstigias videndas descendēre summo cum periculo. Deinceps legibus cautum, ne qui vel descenderent, vel descensum alijs suaderent, ijsdem pœnis abnoxij essent, quibus illi, qui mortem sibi ipsis inferrent. Os praterea specus saxis obstructum est. Olaus Magnus lib. 3. cap. 20.*

ANTONINUS HELIOGABALUS arte magica *ac suis incantationibus cùm aliorum multorum, tum potissimum Seueri parentis sui, atq; Commodi animas ab inferis euocauit, qui futura ei prædicent. Apollonium Tyaneum Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude & honore affecit, eiq́ monumentum faciendum curauit, eò quod præstigiator summus fuisset. Dion & Xiphil.*

VALENS

VALENS Imperator Arianus, cum ex magicis *vanitatibus intellexisset, post se regnaturum, cuius nomen à litera Θ. inchoaret, omnes interfici iussit, qui hanc literam suo nomine gerebant, Theodoros, Theodotos, Theodulos, & quendam virum fortem ex Hispania Theodosium, patrem eius qui pòst regnauit Theodosij. Quare territi plures, sua nomina inuerterunt. Fertur autem ea diuinatio facta esse per Libanium Sophistam, & Procli discipulum Iamblichum. Cum plures essent interfecti, iussit tandem Valens diuinationis huius authores inquirere. Veritus principis crudelitatem Iamblichus, sumpta veneni potione vitam exuit. Socrates lib. 4. cap. 19. Sozomenus libro 6. cap. 35.*

ANDRONICVS COMNENVS Tyramus Sethum *Magum, oculis à Manuele Imperatore priuatum, consulit de successore & insidiatore. Sub initium Septembris Dæmon in turbidis aquis literam Sigma, deinde Iota ostendit. Andronicus hisce Isaurum denotari putauit, Isaacium scilicet Comnenum, Manuelis Imperatoris nepotem, Manuelis nepotem ex fratre, qui ex Isauria veniens Cyprum tyrannide oppresserat. Facta etiam de tempore quæstione, Spiritus cum strepitu in aquam illapsus, intra exaltationem crucis, respondit. Ergo vanum, inquit Andronicus, est istud Oraculum. Quî enim Isaacius intra tam paucos dies Cypro aduenire, meq́ imperio exuere poterit? Proinde vaticinium penitus neglexit. Cum autem quidam dixisset: Isaacium Angelum è medio tollendum, ne fortè oraculo ad illum perueniente, ipsi longinqua imaginarentur, ijs, quæ ante pedes essent, neglectis: ne sic quidem diuinationi assensus est: Isaacium Angelum, vt mollem & ignauum ho-*

minem contemnens. A quo tamen paulò pòst, & imperio & vita priuatus est. Nicetas lib. 2.

EVPHROSYNA Alexij Angeli Imp. Byzantini *uxor, cum futura cognoscere vellet, in nefarias diuinationes incumbebat, & multa illicita peragebat. Itaq; aenei apri Calydonij rostrum praecidit, qui setis horrentibus & exertis dentibus leonem in Hippico inuadere conspiciebatur: & inclytum Herculem, pulcherrimũ Lysimachi opus, qui leoninae pelli incumbens, capite in manum inclinato, suas fortunas deplorabat, multis verberibus affecit. Neq; hoc contenta, aliarum quoque statuarum partes aliquas mutilabat, nonnullis capita malleis contundebat. Vnde quidam ex circumforaneis, aues humanarum vocum imitatrices sedulò edocuerunt, vt in triuijs & angiportis vulgari voce canerent, politicam iusticiam.* πολιτικὴ τὸ δίκαιον. *Nicetas.*

SVB Galerio Maximino Christianorum persecutore *erat Athenis Theotecnus quidam, incantator, & Christianorum hostis infensissimus. Is omnem tum mouit lapidem, vt Christiani apud Imperatorem deferrentur, & accusarentur. In quam fraudem Idolum Iouis, incantationibus, ac praestigijs suis haec verba sonare facit: Edicere Iouem, vt Christiani in exilium extra ciuitatem ac ciuitatis agros, tanquam sibi inimici, expellantur. Impij Magi astus sub impio Principe effectum suum facilè obtinuit. Eusebius libro 8.*

IASON Aesonis filius, nepos Peliae Thessalorum *Regis, aliquid agere optans memoria dignum, Persei & aliorum praeclara facta imitari voluit. Pelias eius desiderio assensit, non vt adolescentis gloriam augeret, sed sperans*

illum

illum citius in belli expeditione periturum. Fratrem enim Aesonem timebat, ne quando filij ope, sibi regnoq́; insidiaretur. Pollicitus interim belli auxilia, si expeditionem pararet in Colchos, ad vellus aureum rapiendum. Habitabatur tunc Pontus à barbaris ac efferis nationibus, infensisq́; hospitib. cum omnes aduenas eò nauigantes interficerent. Iason ergo iuxta Pelium montem nauem ædificauit magnitudine atq; apparatu longè maiori, quàm quæ ad eam diem fieri consueuerant. Erat enim antea paruarum nauicularum vsus. Diffusa per Græciam eius rei fama, multos egregios adolescentes vltrò ad certamen, & eius belli communionem allexit. Iason optimos eorum qui secum ire appetebant, elegit, numero quatuor & quinquaginta. Ex his clarissimi erant, Castor & Pollux, Hercules, Telamon, Orpheus, Atalanta Schœnei, præterea Thespij filij, & ipse nauigij autor Iason. Nauis Argo dicta est, ab Argo eius architecto, qui etiam inter nauigandum eius resarciendæ curam ceperat, vel ab eius præcipua velocitate, quoniam antiqui velox argon appellabant. Ducem sibi præfecerunt Herculem, fortitudine & virtute præstantissimum. Diuulgata fama, omnes qui cum Iasone in Pontum nauigârant, occidione occisos: Pelias primò Iasonis patrem sanguinem tauri bibere compulit. Fratrem Promachum adhuc puerum occidit. Alcimede mater morti destinata, virili animo rem ausa memoratu dignam, cum ad interiora Regiæ confugisset, orans Deos, vt tantæ impietati merita præmia darent, ense pectus transfixit. Iason in Thessaliam reuersus, Argonautis suam operam ad tantum scelus vlciscendum pollicentibus, vrbem oppugnare volebat. Medea pollicita est suis se Peliam necaturam dolis, regiamq́; se illis sine peri-

culo tradituram, simul quæ actura esset, singulatim cum prædixisset, à regia maritimæ speculæ custodibus signum perfectæ rei se daturam asseruit, fumum die, noctu ignem. Parata igitur caua Dianæ imagine, varia venenorum genera in ea abscondit. Deinde capillos suos quibusdam medicamentis canos reddens, ita faciem corpusq; rugosum effecit, vt aspicientibus anus videretur. Sumpta deinde Dianæ statua, in vrbē profecta, omnes ad superstitionem commouit, tanquam ab Hyperboreis venisset, & Regis & ciuitatis bono. Cum singuli Deam sacris venerarētur, vniuersus tanquam debacchatus populus, Medeam in Regiam deduxit. Hæc res & Peliæ superstitionem iniecit, & filiæ in eum stuporem Medeæ præstigijs deductæ sunt, vt persuaderentur, præsentem Deam felicitatem Regiæ præbituram. Asserebat enim, Dianam à Draconibus per aërem delatam, magnam orbis partem circumisse: vt autem perpetuò coleretur, elegisse omnium Regum pijssimum. Mandasse insuper sibi Deam, vt senectam Peliæ quibusdam pharmacis ablatam, in adolescentiam verteret, multorumq; annorum vitam beatam dijsq; acceptam præberet. Ad quæ verba cum Rex obstupesceret, iussit Medeam in seipsa, vt fides ei haberetur, quod dixerat, experiri. Illa petens, vt pura ab vna ex filiabus afferretur aqua, cum se in thalamo inclusisset, vnxisset corpus, herbarum viribus in priorem ætatem restituta est. Fecisse quoq; asserunt eam quibusdam incantationibus, vt Draconum specie Dea per aërem ab Hyperboreis vecta, apud Peliam diuertere videretur. Pelias plurimi Medeam faciens, diligenter filias obsequi eidem imperauit, quicquid circa sui corporis curam mandaret. Sequente nocte cum Pelias dormitum isset, aiunt

dixisse

dixisse Medeam, necesse esse ut Peliæ corpus in vase æneo coqueretur. Quod cum acturæ essent virgines, una experimento aliquo fidem verbis suis fieri postulauit. Aries aderat, multis annis domi nutritus, quem virginibus pollicita est, si illum prius decoxisset, in integrum se postea restituturam. Cum virgines annuissent, ferunt Medeam arietis decoxisse corpus, in frustra diuisum, ac medicamentis quibusdam ex lebete agni speciem eduxisse. Quo facto, fide Medeæ habita, reliquæ omnes patrem pulsando occiderunt. Sola Alcestis, ob insignem pietatem, à genitore abstinuit. Tum Medeam dicunt, ne Peliæ corpus aut inciderent aut coquerent, edixisse. Simulans verò prius votum Lunæ esse faciendum, virgines super culmen Regiæ cum lampadibus ascendere secum iussit. Ibi Colchorum lingua longa ad terendum tempus oratione habita, signum dedit Argonautis, rei conficiundæ tempus adesse. Illi igne è specula conspecto, existimantes Regem defunctum, cursu urbem petentes, mœniaque ingressi, strictis ensibus ad Regiam profecti sunt, vigilibus qui obstiterant interfectis, &c. Diodorus lib. 4. cap. 3.

IOHANNES TEVTONICVS magni nominis *olim, patre natus presbytero, eruditionis opinione ad Halberstatensem Canonicatum, ad quem alioqui non nisi nobiles, & loco nati legitimo admittuntur, conscendit: Cæterum quia à collegis ob generis ignobilitatem spernebatur, conuiuio excepit illos splendido, & captata occasione Vellént ne singuli suos videre patres? interrogauit. Id cum illi se vehementer cupere dicerent, arte magica umbras excitauit deformes, coqui, stabularij, morionis, rustici*

personam gestantes, quarum facies in paternis ædibus aliquando se vidisse fatebantur. Ad extremum Teutonicus suum quoq; patrem exciuit, habitu Canonici aqualiculo pingui. Dimissis vmbris, Eccuius tandem patrem nobiliorem esse iudicarent? conuiuas interrogauit. Illi metu territi, pudore suffusi, suas quisq; domos repetiuère, & Iohanni porrò, si non natalium, at virtutis tamen commendatione claro, molesti esse desière. Iohannes Agricola in Prouerb. German.

REFERT Nicolaus Venetus in Indica Historia, *Nauclerum Indum cum cessassent venti, inuocato, vt ipse appellabat, Deo Muthian, tandem in Arabum quendam illum descendisse, correptumq; hominē exclamasse, per nauimq; currentem ad tabulam, quæ hac de causa malo apposita erat, accessisse: Carbones quoq; qui ibi aderant deuorasse, & galli sanguinem petijsse, quem protinus iugulato gallo exuxit. Inde rogasse, quidnam peterent? Respondente Nauclero, Ventos. Et qua ex parte? Ex Occidente. Illos intra triduum daturum se pollicitus est. Admonuit quoq; eos, vt in occasionem parati essent. Soluta coniuratione, Arabs nullius eorum quæ vel prædixerat vel passus fuisset, memor erat: Tempore tamen constituto, omnia ex sententia successerunt. Cardanus de subtilitate, libro de Dæmonibus.*

D. HIERONYMVS in vita Hilarionis eremitæ scribit: *Gazensis emporij oppido, virginem Dei vicinus iuuenis deperibat. Qui cum frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent morituræ virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, vt confesso vulnere suo, magicis artibus rediret ar-*

matus ad virginem. Igitur post annum, doctus ab Aesculapij vatibus, subter limen domus puellæ tormenta quædam verborum, & portentosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Illicò insanire virgo, & amictu capitis abiecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis: magnitudo quippe amoris eam in furorem verterat. Perducta à parentibus ad Monasterium, seni traditur, vlulante statim & confitente Dæmone: Vim sustinui, inuitus sum abductus, quam benè Memphis somnijs homines deludebam? O cruces, ô tormenta quæ patior. Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tum senex: Grandis ait, fortitudo tua, qui licia & lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellam Dei? vt seruarem, inquit, eam virginem. Tu seruares, proditor castitatis? Cur non potius in eum qui te mittebat, es ingressus? vt quid respondit, intrarem in eum, qui habebat collegam meum, amoris Dæmonem. Noluit autem sanctus signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse Dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem, asserens, fallaces esse Dæmones & ad simulandum esse callidos. Seuerè autem reddita sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia, per quæ Dæmon intrare potuisset? Hæc Hieronymus.

CVM seueris legibus Pontifici Hadriano VI. *minime pestilentia coërcenda videretur, contactu ægrorum ita exarsit, vt multa funera in compitis viserentur, appareretq́; vastari vrbem haud multo dierum spacio: nisi Græculus quidam, nomine Demetrius Spartanus, sedandæ pestilentiæ, fauente ei turba hominum, negotium susce-*

pisset, nemine superstitionem vetare ausa: Nam ferum taurum, cui dimidium cornu dissecârat, magico carmine dextram in aurem prolato, repentè ita mansuefactum reddidit, vt iniecto tenui filo ad integrum cornu, quò vellet perducens, pestilentiæ placando numini ad amphitheacum immolauit. Nec credulæ multitudinis spem ex toto fefellit, cum ab ea inanis sacrificij prospera litatione, mitescere morbus cœpisset. Iouius libro 21. Histor. De ea re, & obseruatione & animaduersione digna, sic scribit Cognatus: Anno Christi 1522. grauißima pestilentia Romam inuaserat. Ibi tum Græcus quidam promissa barba, aspectu tetrico, ἀλεξίκακον se fore professus est, si XXX. aurei nummi sibi pôsterisq; in singulos menses constituerentur. Romani conditionem acceptant. Is nigrum taurum adduci, fontem in suburbio nouum reperire iubet. Nocte intempesta ad radices Marij montis profectus, quo in loco & taurum paratum & fontem inuenerat, funem texere aggressus est, texendoq; nunc alta voce, nunc submissa nescio quid græcè immurmurabat, sonitum vocis multis qui spectatum conuenerant, audientibus. Posthac coniecta in ceruicem tauri fune, ferunt illum repente mansuefactum ter circa fontem perduxisse. Deinde prostratum nulla vi ter dextro pede calcasse, atq; illi demum minimè reluctanti cornua abscidisse. Quibus peractis, taurum per septem vrbis portas, & per septem celebres vias à pastoribus deduci iußit, postea dimitti, vt in campos & ad pascua nota regrederetur. Aiunt qui interfuerunt, qua ille hora attollens in cœlum oculos, nescio quid insusurrabat, visa fuisse decidentia sidera, & innumerabiles canum, luporum, atq; id genus animalium imagines paßim volitare, &c. His in hunc mo-

dum confectis, magus in vrbem reuersus, egit cum Romanis Magistratibus, vt publico edicto caueretur, ne quis in triduum quadrupedem bestiam mactaret. Antistites, qui tum vrbe aberant, Graecum impostorem comprehendi, & in carcerem duci iubent. Aegrè populi minis dimissus, sed aeterno multatus exilio: Liber magicus, quo vtebatur, publicè exustus est. Gilbertus Cognatus lib. 8. Narrationum.

ANTONIVS BENEVEMVS libro 8. de abditis *morborum causis ita scribit: Mulier sextum decimum agens annum, ab ima ventris parte dolore exorto conuellebatur manibus: cumq́ue in horrendum clamorem erumperet, intumescebat illicò totus venter, adeò vt vterum crederes gestâsse octo menses: & voce exhausta, vbi per totum cubile hinc inde reiectans sese, & plantas interdum ceruici connectens resiliebat in pedes, iterum procidens ac exiliens, istud ipsum identidem factitabat, quoad paulatim ad se reuersa, quoquomodo recrearetur. Interrogata quid egisset? penitus ignorabat. Nos vero eiusmodi morbi causas inquirentes, arbitrati sumus hoc malum ex matricis suffocatione, & vaporibus malis sursum elatis, ac subinde cor & cerebrum ferientibus, prouenire. Sed cum medicamentis nihil promoueretur, ea ferocior facta, ac toruis oculis circumspiciens, tandem prorupit in vomitum, quo longiores & recuruos clauos, aeneasq́ue acus, vnà cum cera & capillis conglomeratis reiecit, & nouissimè ex ientaculo frustum tantae magnitudinis, quale integrũ nullius deglutijssent fauces. Cumq́ue idipsum saepius etiã vidente me factitasset, teneri eam arbitratus spiritu malo, qui dum haec ageret, spectantium oculos perstringeret.*

Qua-

Quare Ecclesiasticis medicis commendat, manifestioribus deinde signis & argumentis comprobauit. Nam & nos eam vaticinantem audiuimus, & ea præterea agentem vidimus, quæ omnem morbi vim supergressa, humanum etiam captum excederent.

COMMEMORAT Cardanus de varietate rerum *libro decimo quinto, probum quendam Rusticum & amicum, qui facilius decipi poterat quàm decipere, sibi ipsi narrasse, quòd morbo incognito plures laborarit annos: quo tempore excantationibus sæpius vitrum, clauos & capillos euomuisset: & quanquam demum restitutus fuisset, tamen in eum diem quo hæc referret, sentire se in ventre asserebat maximam vitri confracti congeriem, sonumq; non leuem, quasi quis saccum vitri fragmentis plenum concuteret, à quo non parum vexaretur: tum verò singulis octodecim noctibus, septima hora, etiamsi horarum numerum non obseruaret, totidem ictus annis octodecim, quibus iam sanatus fuerat, in corde maxima cum molestia perferre. Quis in eo organo, Diaboli ludibrijs ob simplicitatem apto, non videt Dæmonis actus, præstigias & vexationes priores & posteriores. Vierus lib. 3. cap. 7.*

IN pago Leuenstet, sub Duce Brunsuicensi, puel*la nomine Margarita, Henningi Achils filia, annum agens vicesimum, anno 1562. die D. virginis visitationi sacro, calceos absterſura, cultrum extrahit, seq; in humiliorem sedem demittit, propterea quòd viribus diuturna febri consumptis, imbecillior adhuc esset. Præter opinionem domum ingreditur vetula, num puellam febris etiamnum fatigaret? rogans, & quomodo sese ex morbo haberet? Responsum illi fuit à puella, Rursum extra ædes nullo*

verbo

verbo facto egreditur. Calceis mundatis, cultrum in sinu deponit, qui cum postea studiose ab illa quæreretur, horribili specie canem nigrum sub mensa ventri incubantem animaduertit, qui cum fremitu dentes ostentans abijt. Mox puellæ videbatur à capite versus dorsum defluere quiddam tanquam humoris frigidi, cui etiam accedit animi deliquium, perduratq́ ea velut mortua sine sensu ad diem tertium, quo tandem nonnihil respirare cœpit, & se certo certius scire affirmauit, cultrum illum, è sororis vagina à se extractum, in sui corporis latere sinistro defixum hærere, eo enim se in loco dolorem persentiscere: à quo ita exercebatur, vt totam incuruatam baculo inniti oportuerit. Post tres menses prominere cœpit in sinistro latere, supra lienem, intra infimas duas costas spurias, vomica, oui ferè gallinacei magnitudine, & lunæ instar: cuius incremento aut decessu, vel intumuit vel resedit. Tricesimo Iunij erupit ex vlcere tanta copia puris, vt tumor nonnihil se remiserit, & inde cuspis velut cultri apparuerit. Chirurgus Ducis Henrici ex arce VVolffenbüttel accersitus, cultelli cuspidem sub costis prominentem instrumentis traxit, & vlcus sanauit. Io. Vierus lib. 3. cap. 12. de præstig. Dæmon.

A CHRISTI natiuitate 1539. in quodam *Eistettensis Episcopatus pago Fugestal, Vlricus* Newsesser *agricola, cum crudelibus dolorum tormentis circa alterum hypochondrium conficeretur, subitò clauum ferreum sub illæsa cute manu apprehendit, quem Chirurgus illic balneator nouacula exciderat: nec tamen cessârunt dolores, sed indies magis incrudescebant. Quapropter cum nec aliud doloris remedium fore miser, quam mortem suspicaretur, arrepto cultello, sibi guttur abscidit. Itaq́ dum*

tertio die ad ſepulchrum mortuus efferretur, aderant tum Eucherius Roſenbader *ex VVeiſſenburg Noricorum oppido, ac Iohannes ab Ettenſtet balneator, qui aſtante magna hominum frequentia, demortui agricolæ ventriculum inciderunt, in quo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramenta aſpera repererunt, quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant: aderat & capillorum inſtar globi inuolucrum. Sed quid potiſſimum hîc admiraberis? an quomodo tot & tanta ferramenta in ventriculi cauitate contineri potuerint, an qua arte ſint ingeſta? certè non alia, quàm Dæmonis aſtu & dolo. Ioan. Langius lib. 1. Epiſtol. medic. 28. & Vierus lib. 3. cap. 8. de præſtig. Dæmon.*

RELIGIOSVS quidam, Heſdinenſis pagi incola, *in Leodienſi agro, cum religionis gratia Hieroſolymam perrexiſſet, poſt comites Hieroſolymis ſubſtitit, vt Paſchatis die diuina illic celebrari, quæ alij omittebant, audiret. Veritus autem poſtea, ne traijciendi in Europam facultatem ob eam moram amitteret, Ioppen ad mare properabat. Itaq; defeſſus in itinere, equitem offendit, qui miſericordia ſe motum oſtendens, eum in equi tergum accepit, ab eoq; eo ipſo die, magna omnium ſuorum admiratione, in pagum ſuum Heſdinum perductus fuit. Ibi re expoſita, vt contigerat, cum accolæ aberrare eum à recta mente putarent, in Hiſpaniam ad S. Iacobi fanum profectus, atq; inde reuerſus eſt, priuſquam ab Hieroſolymis comites in patriam regrederentur. Ab eis cum eſſet affirmatum, poſt ipſos eum Hieroſolymis ſubſtitiſſe, tunc quod*

ille

ille de reditus celeritate narrauerat, fidem cœpit habere. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

BOCCATIVS refert de nobili Lombardo, qui *Hierosolymitanæ militiæ nomen dederat, ad occupandam terram Sanctam: discedensq; coniugi suæ partem annuli signatorij reliquerat, cum hoc pacto, vt si intra triennium ab ea die non rediret, vxori liberum foret, arra hac & symbolo neglecto, alteri marito nubere. In Iudæa captus, ac in Aegyptum adductus, Sultano (quem iam olim in Europa peregrinantem, attamen ignotum, hospitio receperat pater eius) propter parentis hospitalitatem, viriq; prudentiam ac dignitatem, mox adeò placuit, vt probatis diutina familiaritate eius moribus, eum omnibus rebus suis præfecerit. Vertente triennio, in extremam incidit tristitiam. Cuius causam Sultanus expiscatus, Magum aduocauit, qui illum in lectulo precioso consopitum, & magna auri gemmarumq; vi onustum, postrema trium annorum nocte Papiam in summum templum deferendum curauit. Aedituus eo conspecto trepidus fugit, ac cum alijs de spectro narraret Aegyptio, obuium eum habuit ad ædes vxoris properantem, iam ab alio sponso vesperi domum ducendam.*

IOHANNES BAPTISTA Porta Neapolitanus, *lib. 2. Magiæ natural. sic scribit: Incidit mihi in manus vetula quædam (quas à strigis auis nocturnæ similitudine, Striges vocant, quæq; puerulorum sanguinem è cunis absorbent) spontè pollicita, breuis mihi temporis spacio allaturam responsa. Iubet omnes foras egredi, qui mecum acciti erant testes, spolijsq; nudata, tota se vnguento quodam valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspi-*

cua: sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Fores ipsi patefacimus, multum vapulat, tantaque vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locum foras redimus, iam medelæ vires fatiscunt, flaccescuntque. A somno seuocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeâsse, falsa depromens responsa. Negamus, instat: liuores ostendimus, pertinaciter resistit magis. Hæc illa.

APOLLONIVM TYANEVM anulos ab Iarcha *principe Gymnosophystarum dono datos, instar Numinis habuisse ferunt: ita vt singulis diebus per vices variatis, maximorum secretorum particeps fieret. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.*

AVGVSTINVS de ciuit. Dei lib. 18. cap. 18. in*quit: cum essemus in Italia, audiebamus de quibusdam mulieribus stabularijs, malis artibus imbutis, quæ caseo quibus vellent viris dato, eos illico in iumenta verterent, ad necessaria onera portanda: perfuncta opera, ad se redibant, omnium eorum, quæ illis interea accidissent, recordati. Idem quoque Apuleius in libris, quos aurei asini titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse tradit, vt veneno accepto, humano animo permanente, asinus fieret, &c. Sed præstigias has esse & Dæmonum ludibria mentem & sensus hominum inani specie decipientium, constat.*

REFERT Vincentius in Specul. Natur. lib. 3. *cap. 109. & Gulielmus Mamulsbruciensis Monachus in sua historia, tempore Petri Damiani fuisse duas vetulas in via publica, qua Romam itur, quales Agustinus appellat stabularias, id est, transeuntes ad hospitia pro mercede suscipientes (nam stabulum propriè hospitium venale*

& publicum dicitur) quæ in vno commorantes tugurio, vna quoq; arte malefica imbutæ, hospitem quandoq; solum aduenientem, in equum, vel suem, vel asinum mutabant, & certo precio mercatoribus diuendebant. Quodam die iuuenem, histrionicis gesticulationibus victum exigentem, hospitio exceperunt, & in asinum verterunt, multum eo lucrifacientes, qui gestuum miraculo distineret transeuntes: nam ad anus mandatum nutumq; quocunq; modo mouebatur. Non enim illi intellectus perierat, sed loquela. Ingentem inde quæstum fecerant vetulæ. Quo cognito vicinus carè asinum redimit. Cautio tamen hæc à mulierculis adhibita est, vt custodiretur ne in aquã descenderet. Seruatus ist diu ab aqua, & tandem incautiorem nactus custodem, in lacum proximum se coniecit: & ibi se aliquamdiu volutans, propriæ restituitur formæ. Cumq; ab eodem obuius sciscitaretur eius custos, num asinum vidisset? ille se esse respondit. Famulus ad herum retulit: Herus ad Leonem P. P. Conuictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmauit Petrus Damianus, vir eruditissimus, prolato exemplo de Simone Mago, qui suam Faustiniano imaginem impresserat.

MICHAEL VERDVNVS, & Petrus Burgottus *pastores, inito pacto cum Dæmone, in lupos, quando vellent, vnguento certo adhibito, sese mutari, & homines simul aliaq; animalia iugulare, cum lupis coire imaginabantur. Exusti sunt viui in Diœcesi Bisnutina, anno Christi 1521. Vierus lib. 5. cap. 10. de præstig. Dæmon.*

ANNO 1348. octauo Calend. Februarij, in Norico, *quæ Pannoniæ, Illyrico, Dalmatiæ, Carnis, Histriaq; continuatur, maximus terramotus exortus, continuè du-*

rabat, nec ante dies quadraginta sistebatur, varieq; terra quatiebatur, miraq; edebantur opera. Morauia, Boiaria superior sensit, sex atq; viginti vrbes & castella prostrata esse, in acta eius anni relatum est. Homines cum pecoribus interierunt, mœnia, templa, ædes subuersa sunt, totæ vrbes corruerunt, montes abrupti cladem insuper eam pressêre. Nam duo montes concurrerunt, vrbibus deuoratis, agrorumq; tractu hausto, villæ elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerant, examinata sunt. Hiatus subsecutus partim remansit, partim cuncta sorbuit, ita inducto solo, vt nulla vestigia extent. Quinquaginta amplius homines & rusticas, multas item gentes cum vaccis extinctas diriguisse, & corpora à Spiritu terreno in Salarias statuas redactas, apud Charinos, hæcq; simulachra sibi & Cancellario Austriaco conspecta esse, refert Conradus de Meidenburg, eius tempestatis insignis Philosophus & Mathematicus. Auentinus Annal. Boiorum lib. 7.

EGILLVS Suconum & Gothorum Rex, cum esset *strenuus iusticiæ & æquitatis cultor, non paucos proceres, quibus ea seueritas minimè placebat, offendit. Hi furiosum taurum magicis incantationibus procuratum, Regi publica via incedenti obiecerunt, à cuius cornibus impetitus, vitam pariter & sceptra reliquit, Iohan. Magn. lib. 8. cap. 13.*

RETVLIT Philippus Melanchthon, se ex viris fide *dignis, Christophoro Groß, & Sigismundo Gelenio audiuisse, Virginem quandam Bononicam, biennium post mortem inter homines versatam, conuiuijsq; ad quæ vocabatur, interfuisse, sed parum cibi degustasse. Et cum aliquando inter alias virgines incederet, forte adest Ma-*

gus, qui Diabolicam fraudem agnoſcens, ad aſtantes ait: Virgo hæc pallida mortua eſt, protinusq́; ad eam accedens, ſubmouet ſub dextro humero faſcinum, quo ſublato, turpe cadauer concidit. Illud faſcinum ab alio Mago erat impoſitum, Diabolusq́; corpus hoc toto tempore circumgeſtauit.

ERFFORDIÆ inſano virginis amore iuuenis *ſtudioſus correptus, ex amoris impatientia ſui porro compos non erat. Huic ſodalis erat magicæ artis peritus, qui ipſi pollicetur, quatenus omni complexu prorſus abſtinere velit, ſe arte ſua perfecturum, vt virgo, cuius amore ardeat, præſto coram ipſo appareret. Omnem alter promittit continentiam. Nec mora, virgo pulcherrima thalamum ſubintrat, verbis & geſtibus amabilem admodum ſeſe exhibens. Quã ille viſam, primo intuitu extra ſe raptus, affectibusq́; imperare impotens, perhumaniter amplectitur, ſtatimq́; virgo mortua concidit. Quæ res ſupra modũ ambos perturbauit. Suis tandem incantamentis Magus perfecit, vt Diabolus corpus ageret. Ex motu itaq; Diaboli virgo domum reuerſa, laboribus conſuetis intenta fuit, ſed tota pallida, & verbum nullum proloquens. Triduo exacto, parentes ſibi Theologos adhibuerunt, qui cum ſeriò eam alloquerentur, Satanas è corpore exijt, cadauerq́; prorſus fœtidum collapſum eſt. Sanguis eſt cauſa boni coloris, nec non Spiritus vitales, hos Diabolus creare non poteſt, ſed ſolus Deus creator. Ex colloquijs Lutheri.*

ANNO CHRISTI 1543. Italus quidam Andreas, *præſtigiator Sathanicus, hinc inde per ſepulchra diſcurrens, canem rufum & cæcum ducebat, per quem multa prodigiosè operabatur. Si quando in foro circumſtante*

turba consisteret, anuli aurei, argentei, ferrei, à tergo canis in terram deponebantur, quos vbi Andreas iste contexisset, canis ex iussu eius singulos ordine depromptos suis reddebat dominis. Eodem modo varias monetas, numulosq; confusè aceruatos, iussus ordine discernebat. Interrogatus, quinam fornicatores, mœchi, auari, vel magna authoritate & potentia præditi essent, eos minime aberrans commonstrauit, & si quid seorsim de aliquo ex ipso quæreretur, ad id nutu respondit. Quare nonnulli affirmare non dubitabant, Spiritu eum Pythonico vel Satanico ferri Chron. Hed. parte 2.

VALENTE Romanorum Imperium administrante *feruntur Libanius Rhetor, & Iamblichus Procli Magister, diuinatione galli gallinacei quæsiuisse, quis post Valentem Imperaturus esset? Ea porrò huiusmodi esse perhibetur: Literæ viginti quatuor puluere inscribuntur, & cuiq; granum tritici & hordei imponitur, deinde gallus, recitatis quibusdam carminibus dimittitur, & è quibus literis grana sumpserit, ea literæ inter sese iunctæ, rem quæsitam declarare putantur. Quod cum illi fecissent, gallum ex literis, Θ. Ε. Ο. Δ. grana legisse viderunt, ambigua tamen habita est significatio. Nam vel Theodosius, vel Theodorus, vel Theodotus designari putabatur. Ea re cognita, vt supra diximus, Valens multos ijs nominibus præditos, sibi suspectos, sustulit, ipsis etiam diuinatoribus quæsitis.*

IOHANNES FAVSTVS, turpissima bestia, & cloaca *multorum Diabolorum, Cacodæmonem canis specie circumduxit. VVittenbergæ, cum edictum principis, de capiendo ipso, promulgatum esset, euasit. Sic Norimber-*

gæ, cum pransurus accubuisset, æstuare cœpit, statimq́ soluens hospiti quod debebat, abijt. Vix portis egressus erat, adsunt lictores, & de eo inquirunt. Fatis tandem vrgentibus, cum in pago VVirtembergensis Ducatus mœstus admodum sederet, quæsiuit ex eo hospes, quæ mœroris causa esset? Respondit: Ne hac nocte terrearis, etiamsi ingentem strepitum, totiusq́ domus quassationem audias: Manè in conclaui suo exanimis, inuersa ceruice, iacuit. Talia nimirum præmia Satanas suis cultoribus solet reddere.

ANNO millesimo, trecentesimo, vicesimo tertio, *Fridericus Austriacus, Imperatoris titulum sibi vendicans, aduersus Ludouicum Bauarum Imperatorem graue gessit bellum, in quo captus Fridericus, triennio in custodia detentus est, in arce vicina oppido celebri ad Nabum fluuium Naburg. Interim Magus quidam Ducem Leopoldum, Friderici fratrem, accedens, promittit, se fratrem eius Fridericum è custodia liberaturum, curaturumq́ vt intra horæ spacium saluus in Austriam deducatur. Leopoldus ingentia munera Mago isti pollicetur, quatenus id efficiat. Constituta itaq́ nocte, vterq́ circulum incantationibus magicis designatum ingressus est: Magus per suas adiurationes Spiritum accersit, qui in peregrini hominis specie apparens, mandatum adducendi Fridericum accipit, aitq́ se quidem facile & liberaturum & adducturum Ducem Fridericum, quatenus ille sequi non recusaturus sit. Protinus itaq́ noctu Spiritus captiuum principem conuenit, Frater inquiens, tuus Leopoldus, me huc misit, vt te è custodia liberem. Quare properè surge, & equo huic inside, teq́ euestigio ad fratrem tuum abducam. Ad quæ respondit Dux Fridericus: Quis es tu: Ne quæras*

quis sim, ait spiritus, sed citra aliquam dilationem equum conscende, quatenus ex hac custodia liberari desideras. Ibi ingens horror & pauor tam Fridericum, quàm reliquos, qui cum ipso vnà erant, inuasit: cumq́ sanctæ crucis signo se munirent, euanuit spiritus, & ad Magum vacuus reuersus est. Chronic. Hedionis lib. 4.

Fervnt anno Christi millesimo, ducentesimo, *septuagesimo primo, Iohannem Teutonicum, Canonicum Halberstadensem, Magicarum artium adeò peritum fuisse, equo suo auectus, ternas Missas in Vigilijs Natiuitatis Christi celebrârit. Primam Halberstadij, secundam Moguntiæ, tertiam Coloniæ. Multa de hoc Canonico scribuntur prodigiosa admodum, quæ per artem suam edidit.*

Anno Christi millesimo, ducentesimo, se*ptuagesimo secundo, Crucenatum ex inferiore Germania Magus admodum præstigiosus aduenit, qui publicè, inspectante populo, in foro caput seruo suo amputauit, idq́ post horam dimidiatam, corpori humi iacenti rursus imposuit. Visus est sæpe cum canibus in aëre sursum deorsumq́ ferri, magnoq́ excitato clamore, venationis effigiem repræsentare. Sæpe etiam visus est virum armis ferreis indutum, aliquando plaustrum vini, vel ligni, vnà cum equis deuorare.*

Anno millesimo, quingentesimo, quinquage*simo tertio, captæ sunt duæ incantatrices, quæ per tempestates, grandinem & gelu, frugibus calamitatem inferre conatæ fuerant. Furto rapuerant istæ mulieres alterius vicinæ infantulum, eum dissectum, olleq́ iniectum coctu ræ. Diuinitus autem accidit, vt mater infantulum quærens interueniret, atq; in olla infantuli sui membra disse-*

cta conspicaretur. Captæ itaq; duæ pestes, & per torturam examinatæ, confessæ sunt, si coctio ista perfecta fuisset, secuturam inde fuisse tempestatem, adeoq; glaciem omnibus terræ fructibus exitialem.

ANNO millesimo, quingentesimo, quinquagesimo *octauo, in pago Ihenæ vicino Magus quidam, varijs à Satana monstratis herbis, non paucos sanitati restituit, quin etiam quotidianum cum Satana commercium habuit, eiusq; in curandis morbis consilio aßidue vsus est. Accidit autem, vt inter ipsum & vicinum eius fabrum lignarium rixæ orirentur admodum graues, inter quas scommatibus aliquot acerbioribus Magi animum faber exasperauit. Elapsis deinde aliquot mensibus, faber in morbum periculosum incidit: Magum itaq; rogat, vt oblitus præteritarum iniuriarum, sibi graui morbo conflictanti opituletur. Magus animum placatum simulans, dum operam suam ipsi pollicetur, interim illatas aliquando iniurias vlciscitur, & potione ex radicibus & herbis venenatis cocta, ipsum vti iubet. Qua sumpta potione, faber infandos in corpore sensit cruciatus, ijsq; extinguitur. Vxor itaq; fabri cum agnatis accusant Magum homicidij. Defertur causa ad senatum Ihenensem, Magus in vincula conijcitur, per tormenta examinatus, & homicidium hoc & alia scelera, quodq; à vetula quadam in vicinia Hercyniæ syluæ Magiam suam didicerit, confitetur. Propter quæ flagitia palo infixus, & combustus est. Manlius in Collectaneis.*

MARTINVS LVTHERVS, cum prolixius *aliquando verbis in maleficarum mentionem incideret, referebat, matrem suam ab incantatrice vicina varijs*

modis vexatam fuisse, sic vt omnem ei humanitatem exhibere, adeoq; precibus eius beneuolentiam sibi conciliare necesse haberet. Nam infantulos eius incantamentis lædebat ista Venefica, vt inter continuos clamores tandem expirarent. Cumq; in genere concionator quidam, veneficarum taxans impietatem ad eam allusisset, incantamentis sic infestatus & infectus fuit, vt nulla salutis via relicta, ipsi pereundum fuerit. Nam terram de vestigijs ipsius abrasam, adhibitis incantamentis in fluuium abiecerat, citra quam ei succurri non poterat. Et cum ex Luthero quæreretur, ánne fieri posset, vt pijs etiam & fidelibus talia eueniant? Respondit: Maximè. Nam anima nostra subiecta est mendacio, & licet ea liberetur, attamen corpus morti & afflictionibus subiacet. Et persuasum sane habeo, quòd & meæ ægritudines, ex permissu Dei per incantationes me infestent. Deus verò suos Electos conseruat, liberans eos ab his malis.

DVÆ incantatrices in diuersorio vrnas duas *aquæ plenas seposuerant, cumq; circa vesperam consilia inter se conferrent, frumentóne an vino calamitas sit inferenda. Forte hospes earũ consultationem audijt, arreptaq; vrna vtraq;, clam ad lectum, in quo cubabant, accessit, & aquam super maleficas in lectum effudit, qua protinus in glaciem mutata, illæ extinctæ sunt. Ad quæ Lutherus: Satanæ, inquit, magna est potentia in istis veneficis. Nam duobus modis Satanæ & maleficis potestatem facit Deus in homines grassandi: primum in impios, vt eorum peccata puniat: Deinde in pios & fideles, vt probet eos, num in fide constantes perseueraturi sint. Nam absq; permissu Dei Satanas nullum detrimentum homini afferre potest: Ipse-*

met enim Dominus ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et Christus: Citra voluntatem patris ne pilus quidem de capite vestro decidet.

ALEXANDER VI. cum Cardinalis esset, *noctes diesq́ in eo totus erat, quomodo Pontificali potiretur dignitate, vtq́ huius voti sui commodius redderetur compos, ad Satanicam Magiam animum adiecit, operaq́ alterius Magi rem eò deduxit, vt cacodæmoni obedientiam polliceretur, quatenus quicquid ex eo quæsiturus esset, ad ea responderet: decernebatur etiam, quando & vbi, in qua item specie, nempe Protonotarij, comparare debeat. Constituto itaq́ die, Satanas Protonotarij assumpta specie adest, quis esset Alexandro indicat, seq́ ei, quicquid interrogaturus sit, relaturum promittit. Quærit ille, Num Pontificalem dignitatem obtenturus sit? Quod cum Satanas affirmaret, porrò quærit ille: Quam diu sit in tali dignitate regnaturus? Ad quæ Satanas eo modo respondebat, vt octodecim annis Pontificatum sibi promitti Alexander intelligeret. Verum vndecim tantum annis regnauit, & diebus octo. Elapsis vndecim annis, in morbum incidens, vnum ex ministris superius conclaue ingredi iubet, librumq́ mensæ impositum, in quo Magicæ docebantur artes & præstigiæ, sibi offerre iubet. Minister ascendens, apertis foribus, ibi Satanam in sella Pontificis sedentem, Papaliq́ ornatu amictum, offendit: quo Spectro territus, recedit, & Papæ quæ viderit renunciat. Papa hæc audiens, eum denuò ascendere cogit, visurum, num adhuc Satanibus ibi Papa appareat. Reuersum ministrum Satanas eodem adhuc sedens habitu compellat, quid sibi velit, ex eo quærens? Respondit Minister: Se ingressum, vt librum*

Papæ tradendum afferret. Ad quæ Satanas: Quid Papam dicis? Ego Papa sum. Hac cum ex ministro ægrotans Papa audiuisset, vehementer territus, quorsum iam res suæ tenderent facile intellexit. Itaq; in interius conclaue se deportari iussit. Quò vbi delatus est, protinus Satanas subsequitur, assumptaq; veredarij specie, cum impetu fores pulsat, intromissus, Papam lecto affixum accedit, tempus elapsum esse indicans, aliò ex hac vita ipsum vocari. Vnde contentio inter eos orta est, ex qua ij, qui lecto astabant, facilè agnoscebant de annorũ numero ipsis certamen esse. Verum Satanas euidentius ipsi explicata numerorũ ratione abijt. Breuiq; pòst, ipse quoq; Papa, spiritum suum reddidit.

RETVLIT MARTINO LVTHERO Georgius Spalatinus, anno millesimo, quingentesimo, tricesimo octauo, virginem quandam inter plorandum lachrymarum loco, sanguineas guttas emisisse, idq; ex incantatricis cuiusdam malitia effectum, qua præsente virginem, licet eam non conspiceret, huiuscemodi lachrymas effudisse. Ad quæ Lutherus: Nullam hic pœnarum, ait, dilationem esse conueniebat, nec Iurisconsultos, qui nimis euidentia vrgent testimonia, audiendos. Porrò hæc addebat: Oblatus, inquit, mihi intra hos dies casus fuit, concernens coniuges. Maritum suum Veneno interimere vxor conabatur, qui sumto veneno, lacertas per vomitum reddidit. Cumq; mulier per tormenta hac de re examinaretur, nulla ex ea confessio extorqueri potuit. Veneficæ enim illæ mutæ sunt, tormenta nihili pendunt, adeoq; Satanas ipse ora eis obturat. Cum verò res ipsa veneficij eas conuincat, vtiq; exemplum, vt alijs essent terrori, in ipsas statuendum erat. Ex colloq. Lutheri.

Ante annos aliquot suspensus est Magus, qui bis antea suspensus esse ferebatur, verum in cruce eo euanescente, stramina in fasciculum conuoluta pependerunt. Idem cum vendidisset cuidam insignem caballum, monebat eum, ne ei insidens, festinaret aquas ingredi. Vnde maior emptorem incessebat cupido inuestigandi caussam, cur aquas cum equo ingredi venditor sibi vetaret: protinusq; caballum mersare fluuio volens, aquas ingreditur: sed in medijs vndis iam hærens, fasciculo gramineo se insidere animaduertit. Quare excandescens ira, anhelus ad præstigiatoris hospitium contendit, qui emptor defraudati aduentum præsentiens, in scamnum reclinato corpore somnum simulat. Emptor in hypocaustum sese irruens, crus illius arripit, quod dum vehementius attrahit, præstigiatorem violenta raptatione excitaturus, è corpore sibi visus est euellere. Territus itaq;, proiecto in terram crure, properè aufugit. Idem præstigiator persæpe venditis porcis, qui in fasciculos deinde stramineos mutati sunt, hominibus imposuit. Tandem verò, diuina iusticia eum ad supplicium attrahente, Neoburgi cum duabus mulieribus (quæ eius erant complices, nemineq; obseruante, bona aliena furto ad se pertrahere, diabolicis vsæ præstigijs, poterant) captus, & in vincula coniectus est. Mulieres istæ, & aliam quandam opulentam fœminam, quæ honestæ matronæ famam obtinuerat, eiusdem secum sceleris, tum in furando fallaciæ, tum fornicationis, quam cum præstigiatore exercuerit, ream esse confitebantur, quæ itidem in vincula coniecta est. Præstigiator primum inter tormenta quamuis grauissima, nihil est confessus. Cum autem indicasset, sibi & artem & spiritum in crinibus hærere, vndiquaq; ijs de-

tonsis,

tonsis, scelera confessus est, paucisq; diebus post primum duæ mulieres, deinde & Magus suspensi sunt.

HORRENDA, & inprimis miranda exempla de po*testate Satanæ, quam per organa sua, Maleficas, exerit, in Malleo Veneficarum ob oculos nobis ponuntur. Quamquam autem magna Satanæ est potentia, adeoq; cum propter peccata & incredulitatem hominum ei permittitur, vt pro sua malitia in homines sæuiat, tum ipsi etiam Deo nonnunquam placet, suos tentare & probare. Attamen certi nos sumus, etiam pilos capitis numeratos esse, nec vllum absq; voluntate Dei defluere: Ideoq; facilè quatenus peccata vitantes in fide & precatione firmi constantesq; perseuerauerimus, aduersus has Diaboli insidias potentiamq; munire nos poterimus. Verum quoniam præcipuè sub Papatu ingentem sibi potentiam per maleficas ostendit Satanas, nec hodiernum in diem quiescit: ideo ex præmemorato libro, exempla aliquot, per quæ, Satanæ quanta sit potentia, tum quanto erga humanum genus flagret odio cognoscatur, hîc modo recensere visum est. Qui volet magnam eorum copiam in dicto autore euoluat.*

DE fœda ista commixtione, quæ maleficis est *cum Diabolis, vel loqui nefas est. Quisquis enim scire desiderauerit, quomodo cum Diabolis turpes istæ pestes & bestiæ se commisceant, sæpe etiam deformes partus edant, & Satanica prorsus opera exerceant, is præter prædictum Autorem legat Augustinum, libro tertio de Ciuitate Dei, capite 2.*

RATISBONAE, è duabus maleficis, quæ ambæ *combustæ in cineres vertebantur, vna confitebatur, eaq; balneatrix, sese à Diabolo compulsam varias iniisse vias,*

viri

viri cuiusdã honesti & prædiuitis filiam, virginem castam, seducendi, vt cum Satana nefando coitu misceretur, eamq́ tandem sibi rationem visam fuisse commodißimam, vt virginem die festo inuitaret in conclaue suum, vbi Dæmon, in forma speciosi iuuenis, cum ea colloquia misceret. Id cum sæpius attentasset, virginem sanctæ crucis signo se munientem, conatus hos semper reddidisse irritos.

ALIA virgo in Diœcesi Argentinensi, cum die *Dominica in paternis ædibus sola moraretur, accessit eam vetula quædam illius oppidi, quæ inter complura verba scurrilia eam vltimò hortata est, vt sese in locum, vbi formosißimi iuuenes omnibus istius oppidi hominibus cogniti, congregati essent, sequeretur. Puella fœdis verborum illecebris decepta, vetulam in domum eius sequitur. Quam cum ingressæ essent, vetula puellæ ait: Ad superiorem cameram, vbi iuuenes, de quibus dixi, morarentur, ascendemus, sed caue te signo crucis munias. Puella se dicto audientem fore cum recepisset, vetulam per gradus sequitur, interim terrore quodam correpta, se precibus Deo commendat, signo crucis simul se muniens. Quod euanescentibus Dæmonibus facile sensit vetula, toruoq́ vultu peßima quæq́ puellæ imprecata, eam ædibus extrusit. Ibidem.*

CONFESSA quoq; est balneatrix ista, cuius *meminimus, se itidem à vetula quadam seductam, Dæmoni, quem in iuuenis specie in via obuium habuisset, corpus suum prostituisse, cum ille in omnibus rebus promptam detulisset operam, paratumq́ semper officium: seq́ octodecim deinde annis, cum fidei abnegatione, Diabolicis spurcitijs inseruijsse.*

In

IN Diœcesi Brixiensi, iuuenis Puellæ cuiusdam *amore tenebatur, quæ vt matrimoniali copula ei coniungeretur, vehementer instabat. Verùm iuuenis nescio qua causa motus, ea spreta, aliam sibi vxorem despondit. Cum qua nuptias celebrans, pristini amoris non omnino immemor, amasiam illam priorem ad nuptias quoq; vocat, quæ comparere haud detrectauit. Cum autem matronæ & virgines honestæ sua offerrent munera, ipsa quoq; impudens bestia prodijt, sublataq; manu ad sponsam ait: Ab hoc die parum admodum prospera fruêris valetudine. Quæ quidem verba tum non magni æstimabantur, cum impudentis scorti nota esset leuitas. Finitis autem nuptijs, noua nupta veneficiorum vi omnium membrorum vires amisit, & per decennium afflictissima mulier lecto affixa, vitam egit ærumnosissimam.*

COMES quidam illustri genere VVestrauiensis *territorij, in finibus Argentinensis Diœcesis, cum vxorem duxisset illustri loco natam, eam, naturalibus ad procreandam sobolem viribus per veneficia priuatus, cognoscere haud valuit. Elapso iam à nuptijs triennio, dum propter expedienda quædam negotia ciuitatem Metensem transiret, forte ibi incidit in mulierem quandam, quæ ante annos aliquot, priusquam vxorem duxisset, eius fuerat concubina, quam ille visam, nihil mali de ea, vel de veneficijs, quibus affligeretur, suspicans, blande pristini amoris recordatus alloquitur, & quomodo res eius haberent, ecquid bellè valeret, ex ea sciscitatur. Illa pietatem Comitis animaduertens, vicissim eum de sui corporis valetudine interrogat, quo respondente, & benè & prosperè sibi cuncta succedere: Illa attonita paululum siluit. Quod vbi sensit*

Comes,

Comes, blandis eam verbis ad confabulandum inuitat. Quæ de statu vxoris quærit: & illam belle se habere respondet Comes. Rursus illa, Num liberos etiam ex ea sustulisset quærit? Ibi Comes, Tres, inquit, ex ea nati sunt mihi pueri masculi, quolibet anno filium vnum genuit. Ibi magis stupefacta illa siluit. Comes autem, rogo te charissima, inquit, cur accurratè adeò de rerum mearum statu inquiris, nec enim dubito, quin meæ felicitati gratuleris. Tum illa: Verè gratulor, sed maledicta sit Vetula ista, quæ sanctè iurauit, effecturam se veneficijs suis, vt carnalem actũ cum vxore nequaquam exercere possis. Cuius rei indicium tibi præbebit puteus, qui est in medio Curiæ vestræ, in quem coniecta est olla, veneficijs referta, de qua certò affirmabat vetula ista, fore, vt quam diu ibi lateret, coëundi potentia tibi deesset: Sed vana fuisse omnia nunc demum intelligo & gaudeo. Comes his auditis, re callidè dissimulata, properè domum contendit, puteumq́; iubens exhauriri, ollam reperit, qua exusta, vires suas pristinas recuperauit. Ibidem. De modo, quo membra virilia maleficæ auferre solent, lege in Malleo veneficarum cap. 7. parte 2. Nullo modo credendum est, talia membra auelli, aut segregari à corporibus, sed arte præstigiosa per Dæmonem, vt nec videri aut tangi valeant, occultari.

In oppido Bresiaco Basiliensis diœceseos, *iuuencula, quæ deinde conuersa est, per materteram suam veneficarum cœtui aggregata fuit. Deducebatur à matertera (quæ Argentinæ combusta fuit) in superiorem domus cameram, vbi quindecim iuuenes viridi amictu insignes vnà erant. Ibi ad puellam ait vetula: Elige tibi ex his quem volueris, & ipse se tibi sponsam assumet, quod cum*

illa recusaret facere, grauiter vulnerata tandem acquieuit. Ibidem cap. 2.

In Basiliensi dioecesi plebanus in villa Oberweiler/ *qui eius erat opinionis, nullas esse in mundo maleficas, festino cursu pontem transiturus, obuiam simili importunitate quandam vetulam habuit, quam, dum ei cedere nollet, de ponte in lutum detrusit. Vnde indignata vetula, in verba contumeliosa prorupit, inquiens:* Pfaff / *impunè haud sic auferes. Quæ verba cum ille floccipenderet, nec satis intelligeret, domum reuersus, noctu infra cingulum ita eneruatus est, vt lecto surgere nequiret: cumq; à duobus, quoties vel ad Ecclesiam vel ægrotos accederet, sustentari necesse esset. Quæ afflictio cum durâsset triennium, vetula ista, quam suspectam non immeritò habebat, in morbum incidit. Sacerdotem itaq; accersi iussit, vt ei peccata sua confiteretur, qui licet primum id facere recusaret, persuasus tamen à matre sua, per duos villanos inter brachia sustentatus, domum eius accessit, eamq; peccata confitentem audit. Cum autem inter confitendum nullam de veneficio mentionem fecisset, peracta confessione ad Sacerdotem ait: Scisne à quo effascinatus, corpore incolumi vti nequeas? Cumq; blandè responderet Sacerdos, se nescire: intulit illa: Tu me suspectam habes, nec immeritò. Malum enim, quo conflictâris, tibi intuli, eò quòd ponte me deiectam luto intrusisses. Verum hora mihi præfinita iam adest, efficiam itaq;, vt paucis diebus à morte mea sanêris. Quod ita euenit, nam illa iuxta statutum à Dæmone terminum obijt, & infra triginta dies Sacerdos nocte quadam sanum se reperit. Ibidem.*

In dioecesi Lausanensi, quidam maleficus, vicini

domum

domum graui sterilitatis plaga affecerat. Non solum enim omnia iumenta & pecora, aliaq́ domestica animalia infœcunda erant, sed & materfamiliâs septies abortum passa erat, fœtu in vtero per malefici istius hominis veneficia interempto. Cùm deniq́ capto quæstiones adhiberentur, fassus est, serpentem subter limen ostij domus defossum esse, quo amoto, plagam cessaturam. Quod cum factum esset, fœcunditas vniuersæ domui restituta est. Ibidem cap. 6.

In oppido Reichshoffen / viri præpotentis vxor, *cum impregnata esset, obstetricem aliquot septimanas ante partum ad se recepit. Famosissima autem in eodem oppido erat venefica, à cuius congressu & colloquijs vt sibi caueret grauida, ab obstetrice monebatur. Verùm interiectis aliquot diebus, cum animi gratia castrum egressa, mulieres quasdam in conuiuio congregatas accessisset, aduenit & malefica ista, ventremq́ Dominæ, quasi salutationis gratia, ambabus manibus tetigit, subitoq́ vehementi cum dolore fœtum moueri in vtero sensit. Territa itaq́ domum redijt, & obstetrici, quid sibi accidisset, narrauit: Quæ consternata, Heu puerum amisimus, exclamauit. Quod, vti prædixerat, factum est. Nam nec abortum integrum, sed paulatim frusta, iam capitis, iamq́ pedum & manuum peperit. Ibidem.*

In oppido quodam diœceseos Argentinensis, *cuius nomen reticeri modestia postulat, cum domi suæ quidam ex inquilinis ligna secaret, ecce catus portentosæ magnitudinis de improuiso ipsum impetijt, quem cum ictibus abigeret, en alius immanior se priori iungit, aduersus quos dum acrius pugnat, tertius quoq́ accedit, ita cum tribus immanis sæuitiæ felibus tantis pugnat viribus, vt è summis,*

in quas reductus erat, angustijs, non nisi vulneratis illis & in fugam actis, liberaretur. Quibus abactis, dum laborem suum persequitur, ecce duo accedunt lictores, eumq; comprehensum ex iudicis, qui graui irarum æstu commotus, nec conspectum eius tolerare poterat, mandato, in tetrum carcerem abijciunt. Necquicquam miser crebro eiulatu & gemitu suam testatur innocentiam. Iudicisq; ira indies augescit, clamitantis nefarium hominem scelera, quæ commisisset, agnoscere nolle. Triduum iam erat elapsum, cum Iudex crebrò aliorum instinctu captiuum Senatui iudicandum offert. Productus ad Senatum cum esset, Iudex eum intueri minimè sustinuit. Ille verò in genua procumbens, audiri se obsecrabat. Ibi grauiter eum iudex increpabat, vt qui paucis ante diebus tres primarias eius oppidi matronas vulnerâsset, nec tamen scelus perpetratum velit agnoscere. Quæ miser audiens, se quoad vixisset, nullam vnquam vlli mulieri intulisse iniuriam testatur. Contra intonat Iudex, factum esse notorium, grauiter læsas mulieres decumbere, membrisq; omni ex parte luxatis, nec vel latus proprijs viribus mutare posse. Ille rursus mulieres à se læsas esse negat, sed memini, inquit, me eo die, quo comprehensus, & indicta causa in carcerem coniectus sum, à bestijs impeti, quas à me, quantis potui viribus, abegi. Quibus eius verbis obstupefacti qui aderant. A quibus, inquiunt, bestijs? Ibi omnem ordine rem, vt gesta erat, recenset, detectaq; veritate, vt honori matronarum consuleretur, rem omnem silentio premi petunt iudices. Ibidem cap. 9.

IN dioecesi Basiliensi, in confinibus partium Lotharingiæ & *Alsatiæ, vir integræ famæ verbis asperiori-*

bus in mulierem maleficam inuehebatur. Illa indignata, vindictam se breui de eo sumpturam interminata est. Quas ille minas licet paruipenderet, eadem tamen nocte pustulam collo accreuisse sensit, ex qua cum eam fricaret, tumor totam faciem & collum occupauit, corpusq; horribilis lepræ species defœdauit. Sic affectus, cum vetulam de veneficijs suspectam haberet, accersitis amicis & consulibus, rem omnem minasq; imprimis vetulæ exponit. Quid multa? Mulier capitur, adhibitis tormentis examinatur, crimenq; fatetur: adhæc Iudici diligentius de modo & causa inquirenti, Cum ira, inquit, feruens ob dicta contumeliosa, quibus ille me aggressus fuerat, domum reuersa essem, offendi ibi spiritum malignum, causam tristiciæ ex me quærentem. Cui cum singula enarrâssem, & de vindicta apud eum instarem, interrogauit Dæmon, quo ergo malo hominem affici velim? Respondi, vellem vt facies eius inflata, tumore perpetuo defœdaretur. Ibi, ait, Dæmon à me digressus plaga multo fœdiore, quàm petijssem, hominem percussit. Quod crimen vbi fassa est, damnata in cineres fuit redacta. Secunda parte cap. 11.

IN diœcesi Constantiensi inter Brisacum & Friburgum *mulier leprosa multis audientibus referebat, se motis cum muliere alia rixis, cum nocte iam ingruente domum reuerteretur, à calido sufflatam fuisse vento, qui ex opposita domo, quam mulier, cum qua susceperat contentionem, incolebat, ferri sibi visus esset, protinusq; lepra pessima, à qua liberari non possit, infectam esse. Ibidem.*

IN diœcesi eadem, & territorio Nigræ syluæ malefica, *cum per struem lignorum à carnifice de terra subleuaretur, illa ad carnificem conuersa, Dabo, inquit, tibi*

mercedem: Et simul cum his verbis in faciem Carnificis sufflans, totum eius corpus fœda lepra percußit, ex qua paucis post diebus extinctus fuit. Ibidem.

OENIPONTI mulier honesta, retrò domum *cum viridarium vicinæ horto contiguum haberet, vicinamq́ frequenter, nec sine damno, eò penetrare deprehenderet, nec tamen cum ea, quam de maleficijs suspectam habebat, rixari auderet, illa sponte magna cum impudentia aduolans, Tune, inquit, suspectam me habes de transitu per hortum tuum? Cui altera, cum malefica rixari horrens, placidè his tantum verbis respondit: Greßus, inquit, in gramine, damna ostendunt. Ibi illa indignata, rixandi occasionem sibi nullam dari, cum murmure discessit. Paucis deinde elapsis diebus, altera illa mulier immanißimis doloribus ventris, acutißimisq́ ex vtroq; latere torsionibus affligitur, adeò vt continuis doloribus tantum non confecta, indesinenti vociferatione & eiulatu vicinos omnes inquietaret. Cumq́ multi confluerent, qui eam consolandi gratia inuisebant, inter cæteros & figulus accessit, qui cum vicinæ veneficia explorata haberet, & morbi huius causam non aliam esse, quàm veneficia deprehenderet, iußit maritum afflictæ mulieris rimari, nunquid veneficiorum sub limine ostij inueniretur. Ibi inter varia veneficia cerea quoq; imago, palmæ habens longitudinem inuenta est, quæ vndiq; perforata, duabus etiam acubus per transuersum ex vtroq; latere transfixa erat, quibus veneficijs amotis, & in ignem coniectis, mulier à grauißimis illis punctionibus liberata est. Capite 12.*

IN Argentinensis diœceseos oppido Zaberino, *deferebat vltrò operam suam in partu & puerperio obste-*

trix malefica mulieri cuidam piæ & honestæ, quæ partui iam vicina erat. Illa autem maleficijs infamem esse sciens, tam quidem placidis verbis eam à se dimittit, operam eius sibi non ingratam fore simulans, instante deinde partu, ea neglecta, obstetricem accersit aliam. Ibi illa fœmineas iras pectore concipiens, noctu, elapsis à partu diebus octo, cum alijs duabus mulieribus, puerperæ cameram ingreditur, lectoq́ appropinquat. Puerpera graui dolore perculsa, dum maritum alta voce inclamare nititur, & linguam & singula membra stupere sentit. Venefica ergo, cum in medio duarum mulierum staret, Ecce, inquit, hæc pessima me obstetricem assumere dedignata est. Quod inultum haudquaquam feret. Duæ verò istæ à latere stantes, pro ea intercedebant, Nunquam, inquientes, alicui ex nostris nocuit. Illa rursus: Quoniam hæc suis me intestinis turbauit, vicissim ego intestina eius turbabo. Veruntamen in vestri gratiam per semestre spacium differetur pœna: & hæc dicens, ventrem puerperæ manu tetigit, cui interim intestina videbantur, quasi è ventre extrahi, ijsq́ nescio quid inuolui. Digressis deinde istis mulieribus, puerpera paulatim recuperatis viribus, maritum vocat, eiq́ rem gestam exponit. Ille vxorem consolatur, bonamq́ spem fouere iubet, inania enim hæc esse terriculamenta, qualibus frequenter puerperæ infestari soleant. Cui illa respondens: Cruciatuum, inquit, dilationem per sex menses promisit, ijs elapsis, si nihil tum mali percepero, tuæ acquiescam sententiæ. Erat præterea illi filius Archidiaconus, cui itidem, quo terrore perculsa fuisset, exposuit. Euolutis deinde sex illis mensibus, internorum viscerum tortura tanta eam inuasit, vt dies noctesq́ citra vllam respirationem aut quietem,

immanes vociferationes & eiulatus, miserandum in modum doloribus continuaret. Nec tamen inter ineffabiles istos cruciatus Dei oblita est, cuius cum sedulò implorarat auxilium, ab eo exaudita & liberata est. Cum enim die quadam ad exonerandam aluum secessisset, subitò omnis illa immundicies è corpore prorupit. Ibi accersito filio & marito: Iam, inquit, non inane fuisse Spectrum aut terriculamentum, quo in puerperio perculsa fueram, apparet. Quis vnquam vidit spinas, ligna, ossa, me comedisse? excreuerat enim spinas rosarum longitudinem palmæ habentes, tum ligna, ossa, aliaq; complura, vnde infanda illa tormina, & punctiones oriebantur. Ibidem cap. 3.

Eo vesaniæ & impietatis veneficas adigit Dæmon, *vt suos etiam liberos, vel infantes quosuis alienos, Dæmoniorum Principi horrendis execrationibus offerant, quæ earum malitia hunc in modum detecta fuit. Mulier malefica, cum partus tempore nec obstetricem, nec alias ad se accerseret mulieres, vnius filiæ suæ contenta opera, maritus id demiratus, se clàm in domo abscondit, exploraturus, quid rerum vxor cum filia sola moliretur: Ibi horrendos & sacrilegij & oblationis ritus conspexit. Videbat infantem nullo hominis auxilio fultum, sed Dæmonum vi per instrumentum appendiculi, ex quo ollæ in foco suspenduntur, ascendere, & quidem Satanico vultu deformem: Mater interim verbis horrendis Dæmonem inuocabat, ritibus vsa nefandis. Quod vbi attonitus obseruauit, acriter institit, vt citra dilationem ad Baptismum deportaretur infans. Assumptis itaq; duobus vicinis, quibus clam rem, vt gesta erat, detexit, vnà cum filia, quæ infantem gestabat, & mulierculis aliquot ad proximum pagum, in quo*

parochi-

parochialis erat Ecclesia, tetendit. Cumq́ pontem transituri essent, Pater stricto gladio in filiam irruit: Nolo, inquit, vt per pontem infantulum transportes, sed effice, vt per se in vlteriorem ripam gradiatur: quod si recusas facere, meis his submergêre manibus. Mulierculis omnibus hanc viri violentiam demirantibus, ille acrius multò institit, donec coacta filia Dæmonem inuocaret, infansq́ nemine deferente, in vlteriore ripa sisteretur. Baptizato deinde infante, cum per testes maleficij conuincere posset filiam, iamq́ purgationis tempus elapsum esset, & vxorem & filiam accusat: Magistratus vtramq́ comprehensam, pessimiq́ sceleris conuictam in cineres redegit. Ibidem.

In partibus Sueuiæ, Villanus cum per agros vnà *cum filia sua, quæ vix octo annorum puella erat, erraret, segetemq́ contemplatus, dixisset: O si tandem pluuia irrigaretur terra. Puella audiens verba patris, ex animi simplicitate: Facile, inquit, si pluuiam desideras, eam procurauero. Pater filiæ verba miratus, vnde, inquit, ea tibi facultas est: Puella perfacile sibi esse subijcit, non solum pluuias, sed & grandines & tempestates concitare: Idem enim se didicisse ex matre, quæ cõmiserit se Magistro, quem singulis horis ad quæuis postulata præsentem habere possit, matrem autem prohibuisse, ne cui id reuelaret. Pater territus, vidistíne, inquit, Magistrum istum? ibi rursus puella: vidi, inquit, frequenter ad matrem introëuntes & exeuntes viros quosdam, quos, mater ait, Magistros esse, & fautores nostros. Rursus ergo pater: An illa hora grandinem excitare posset, inquisiuit? Maximè, inquit puella, si pauxillulum aquæ in promptu esset. Pater deduxit puellam ad torrentem, Age, inquit, iam effice pluuiam, sed*

qua nostrum tantummodo agrum irriget. Nec mora, inuocato Magistro suo, puella id effectum reddidit. Pater id cernens, Fac, inquit, & grandinem, sed tantum super vnum ex agris nostris. Quod itidem cum præstitisset puella, pater de maleficijs vxoris suæ certior factus, eam apud Magistratum accusat, & conuicta mater sceleris, ignis supplicio addicta fuit. Puella in pietatis studio exercitata, è Satanæ cassibus erepta est. Ibidem.

In oppido Fach, Iudex cum lictoribus iniunxisset, *vt maleficum comprehenderent, & ad supplicium raperent, illi tanto fœtore sunt deterriti, tantusq́ omnia corporis membra tremor peruasit, vt omnem comprehendendi hominis spem abijcerent, verum Iudex (nomen ei Petro erat) acrius instans, lictores denuò exhortatur, vt collectis viribus, manus omni vi inijcerent malefico, fatalem enim horam iam adesse, qua scelerati hominis maleficia detecta puniantur. Sic repreßis & victis Satanæ effascinationibus, maleficus captus, dignas scelerum suorum pœnas luit.*

Alibi cum super lignorum struem malefica alligaretur, *in carnificis faciem sufflauit, qui protinus concidit, & extinctus est, pari modo & alterum peremit carnificem. Tertius cum diligentius sibi caueret, sic tamen eius halitu læsus fuit, vt tota ipsius facies intumesceret, hinc etiam luminibus orbaretur, breuiq́ post vitam cum morte commutaret.*

Qvanta etiam Dæmonum sit potentia in affligendis *brutis animalibus, pecoribus & iumentis, quomodo lac suffurentur, quomodo tempestates concitent, in decimo quarto, & decimo quinto capite prædicti Authoris exponitur.*

ponitur. Exempla sunt admodum horrenda, nec consultum plura eorum commemorare. Historia Iobi euidenter testatur, quanta sit tum potentia, tum malitia istius immundi Spiritus.

Dvo cum essent fratres, quibus mediocres à parentibus *relicta essent facultates, Alter eorum Monasticam vitam ingressus est, alter verò vxore ducta, hospitibus excipiendis vacans diuersorium aperuit, qui cum diuitijs colligendis inhiaret, omne genus fraudis exercuit, mensuraq; iniusta vsus, tum homines tum iumenta defraudauit, adeoq; pabulum præsepio impositum clam rursus suppilauit: interim plurimum res eius familiaris laborare cœpit, & quo maiore ipse studio opibus cumulandis intentus esset, eò grauiorem omnium facultatum iacturam faciebat. Quem cum tandem frater, qui Monastica vitæ studiosus erat, accessisset, cum eo paternarum facultatum diuisionem facturus, ille fratrem rogat, ne aduersus se hac vice causam istam de bonorum diuisione suscipiat, eò quòd summa pressus inopia, grauissimam bonorum omnium iacturam fecerit, nec prodesse sibi vllum fraudis genus, quod ob congerendas opes erga hospites exerceat. Quibus auditis, Monachus, ô, inquit, frater mi, si vitam, reiq; familiaris rationem sic instituis, prorsus tecum actum est. Talem enim foues hospitem, qui omnem tuam substantiam consumit, quem vt videas, sequere me in imam cellam, & quisnam tuas facultates absumat, facile ostendam. Quo cum vterq; descendisset, suis adiurationibus Monachus effecit, vt Satan ibi delitescens, videndum se fratri suo præberet. Nec mora, apparuit ibi bestia horrenda & immanis, tantaq; pinguedine obducta, vt ægrè non sine magno*

molimine moueretur. Qua visa, Monachus, ô quàm commodo, inquit, vsa es diuersorio: moxq́; ad fratrem conuersus, En istam, ait, bestiam tua fraude saginasti, quicquid enim alijs fraudulenter suffuratus es, id bestia ista absumpsit. Quare ausculta mihi, esto fidus & apertus erga quosuis, iusta & æqua vtere mensura, neminem defrauda. Post quadriennium reuersus, paternas facultates tecum diuidam. Monachi consilio frater paret, & quantū anteà facultatibus defecerat, tantum iam proficit, breuiq́; eam benedictionem Diuinæ bonitatis expertus est, vt diuitijs admodum largis frueretur. Elapso deinde quadriennio reuersus est Monachus, vt quo in statu res fratris sui essent, obseruaret, qui eum hilari & grata mente excepit, se eius paruisse consilio indicat, rogans vt bestiam ante quatuor annos visam, denuo sibi ostenderet. Qua re cum Monachus fratri gratificaretur, bestiam rursus incella delitescentem prodire iussit, quæ macilenta & tabida prorsus apparuit, sic vt vix ossa iam traheret. Ibi Monachus: En, inquit frater, hinc iam hospiti migrandum est, & de alio ipsi Domino dispiciendum. Quod si eam posthac vsq; rei familiaris rationem obseruaueris, largam Dei opt. max. benedictionem nusquam non experieris.

NVPER, inquit Bodinus, in Valle(hoc suburbij *Laodunensis nomen) quædam malefica mulierem miseram grauißimè decumbentem sortibus liberauit, cum procidens in genua, demisso in terram vultu, Diabolum magna voce sæpius inuocasset, vt curaret mulierem, & verbis aliquot enunciatis bucceam panis dedisset ei comedendum: atq; hoc modo curata est. Quod quidem planè tantidem est, ac si ægrotans ipsa Diabolum de valetudine*

orauis-

orauisset: itaq́ præstaret vel crudelissima omnium quæ vnquam cogitari possint perire morte, quàm eo pacto curari. Dæmonomaniæ lib. 1. cap. 6.

Memini me Lutetiæ ante annos XX. in domo *clarissima videre adolescentem, qui intactum cribrum sine alio naturali & latente modo, præsentibus multis honestis viris agitauit, enunciatis solummodo & recitatis sæpius voculis aliquot Gallicis; quas hîc placuit reticeri. Huic autem malignum Spiritum adfuisse eo demonstratur, quòd eo absente alter idipsum enunciatis iisdem vocibus tentauit facere, nec effecit quicquam. Idem libro 2. cap. 1.*

Nemo iam Rusticus nescit, inquit idem Bodi*nus, vno versu (quem nolo indicare,) è psalmis pronunciato, quando lac premitur, non cogi butyrum. Fui Chellis Valesiorum agro, cum paruulus à pedibus puer ancillæ impedimento esset, ne butyrum cogeret: ea autem interminante flagrum à Domino, si carmen non eximeret, fecit eodem versu præpostere enunciato ac velut retexto, vt butyrum, (in quo totus ferè dies consumptus) cogeretur. Si vel tantillum sacchari indatur, butyrum non coagulari constat: hæc enim à natura est* ἀντιπάθεια*: eademq́ ratione si æris Cyprij aliquantum inijciatur in fornacem ferri, non liquatur ferrum, sed abit totum in cinerem, quamobrem fusores accenso igne, metuentes ne quid immittatur æris, in illud incumbunt, ne quis proxime caminum veniat.*

Ars diabolica est, quam Δακτυλιομαντείαν vo*cant, quæ fit annulo super aquæ cyathum posito, quam famosa quædam malefica, genere Itala, exercebat Lutetiæ,*

Anno

Anno M. D. LXII. nescio quas voces admurmurans, & interdum rem diuinans, de qua consulebatur, etsi plerisq; dabantur verba. Ioachimus Cameracensis narrat Hieronymum Moronem, ex quo Cancellarius Mediolani fuit, loquentem annulum, ac potius Diabolum, habuisse, qui tandem mercedem rependit hero suo dignam, & curauit eum abdicari. Bodinus Dæmonoman. lib. 2. cap. 1.

Ῥαβδομάντειαν Medicum Tholosæ exercentem vidi, *& submissa voce aliquot verba murmurantem, vt ambæ vnius virgæ extremitates oscula iungerent: sed nihil profecit, eos causatus qui intererant carere fidem. Hoc facto, duo frustula eiusdem virgæ accipiunt, eaq; de collo suspendunt curandæ quartanæ. Ibidem.*

Ex omnibus sceleribus nullum extat frequentius *passim, nullum propè perniciosius eo impedimento, quod nouis coniugibus affertur: hoc vulgus dicit ligare ligulam, quod pueri quoq; exercent palàm summa impunitate & licentia, nonnulli etiam gloriantur. Neq; verò nouum hoc institutum est: nam Amasin Aegypti Regem apud Herodotum legimus fuisse vinctum, & impeditum ne rem haberet cum vxore sua Laodice, donec carminibus solennibusq; precibus solutus esset. Concubinas quoq; Theodorici Regis iisdem ligamentis aduersus Hermambergam vsas esse, Paulus Aemilius in vita Clotarij secundi testatur. Rident quidem Philosophi Epicurei istud miraculum, veruntamen hi nodandæ ligulæ artifices, qui habentur passim, illos reddunt attonitos, vbi se experti sunt, nulla arte mediri posse. Ideoq; Canon: Si per sortiarias, inquit, & maleficas artes, occulto sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, & Diabolo præparante, concu-*

bitus non sequitur, ad Deum per humilem confessionem est recurrendum. Quo ex loco notari quatuor aut quinque axiomata necesse est: Primum, copulationem arte malefica impediri posse, quod omnes Theologi agnoscunt vno ore, & ipse Thomas in librum quartum sententiarum, distinctione 24. vbi dicitur, vir respectu vnius solum mulieris ac non aliarum nodari posse, & cap. vltimo de frigidis. Secundum, Id occulto fieri, sed tamen iusto iudicio permittentis Dei. Tertium, Id totum à Diabolo praeparari. Quartum, ad Deum ieiunijs recurrendum esse. Quod postremum caput apprimè notandum est, quia impietatis in eo laborare, vt (quod multi faciunt) diabolicis modis soluatur nodus: sic enim ad Diabolum & Diabolicas superstitiones recurritur.

IN PRIMIS verò illud est admirabile, quod *pueruli magicarum sortium imperitissimi, hanc artem pronunciatis quibusdam vocibus exercent, vinctaque ligula. De Rioleo generali apud Blesenses legato me audire memini, puerulum quendam in templo nodationem ligulae sub petaso suo facientem à muliere fuisse perceptum, quo tempore coniugio duorum benedicebatur, eumque deprehensum cum sua ligula aufugisse. Pictauij quoque cum in magnis conuentibus vices regij procuratoris gererem Anno M. D. LXVII. acta cuiusdam quaestionis in Magos mihi sunt tradita: quam causam cum meae hospitae, mulieri honestae & bona existimatione narrarem, illa tanquam istius artis doctissima, me & Iacobo Bauuasio relationum actuario praesentibus, explicauit esse formas nodandae ligulae amplius quinquaginta, siue ad virum coniugatum impediendum, siue ad mulierem solummodo, vt*

alter alterius fastidiens infirmitatem, adulterijs se pollueret: plerumq; tamen virum illigari, vix mulierem. Ligari autem posse in diem vnum, in annum, in æternum, aut quantisper duratura esset ligula, nisi soluerentur. Esse nodationem, qua vnus alterum deamet, neq; redametur, sed odio sit vehementissimè: esse qua inter se amarent ardentissimè, sin ad congressum veniretur, alter alterum laniaret vnguibus, & cæderet indignissimè: vt mihi fuit aliquando Tholosæ narratum, eo pacto fuisse virum mulieremq; illigatos, qui post triennium reconciliati, pulchram sobolem progenuerint. Et quod amplius mirer, narrabat mulier, dum vincta manebat ligula, tumores ei adnascentes veluti verrucas spectari, indicia, vt aiebat ille, liberorum qui fuissent editi, nisi occupasset nodatio: posse verò nodationem fieri ad procreationem intercipiendam, non ad copulationem præuertendam. Homines etiam affirmabat esse, quos nodare non possis, esse quos nodatio impediat ante coniugium, esse quos impediat coniugatos, sed difficilius. Præterea in hominibus aiebat eiectionem lotij impediri posse, ex eo non paucos emori. Sic comperi miserum quendam puerum propè enectum esse, tum impedimentum per eum qui infibulauerat, sublatum fuisse, vt mingentem palam puerum traduceret. Deinde verò post menses aliquot, Magus iste decessit de vita maniacus.

Cvm in Pictorum agro hoc percrebuisset malum, *Niorti capitalis Quæstor, cum vicinam suam noua nupta detulisset, & accusasset ligati viri anno 1560. in obscurum carcerem eam rapi iussit, minatus ex eo nunquam egressuram esse, nisi soluisset virum, itaq; post bi-*

duum

duum captiua coniugatis concubitum imperauit, & Iudex solutum esse audiens, è vinculis dimisit illam.

ILLVD obseruatione dignum est, neq; penes *Diabolum, neq; penes Magos ipsius administros esse, vt alios sensus obligent, hominesq; à bibendo aut comedendo auertant, intercepta eorum facultate: neq; similiter posse homini membrum vllum, præter virilitatem adimere, quod in Germania faciunt pudendis abditis, atq; in ventrem contractis. Ita Sprengerus hominem Spiræ narrat, cum se pudendis orbatum esse crederet, Medicos & Chirurgos ad se inspiciendum aduocauisse, hos verò nihil omnino, ne vllum quidem vulnus percepisse: itaq; hunc pacata deinde ea quam offenderat malefica, restitutum esse. Alterum quoq; exemplum affert ciuis Ratisbonensis, qui Magam arripuit strangulaturus, eamq; vi ad impedimentum soluendum compulit. Hæc omnia Bodinus libro 2. cap. 1.*

AVDIVI ex Insulano Abbate Noualliorum *Domino, qui iam legatione Constantinopoli à Rege fungitur, & ex nobili Polono cui nomen est Pruinski Legato in Galliam, vnum ex maximis Christiani orbis Regibus, auidum sui exitus cognoscendi, Iacobitam Necromantem ad se accersiuisse, qui confecta Missa & sacrata hostia, primogenitum quendam decennem puerum ad hoc comparatum, truncari iussit capite: eo hostiæ imposito, certas voces pronunciasse, characteras quos scire non attinet adhibuisse, ac tum roganti quid vellet? caput duobus verbis respondisse, vim patior: Illico furibundum Regem indesinenter clamauisse, tollite caput istud: & in eo furore expirâsse. Hæc historia in toto Regno, vbi gesta est, pro*

certa

certa & indubitata habetur, etsi quinq; homines solum negotio interfuêre. Hac Bodinus.

in diss. de Lamiis Gvil. Linnensis

IOHANNES CHARTERIVS, qui Caroli *VII. conscripsit historiam, Guilhelm. Edelinum Sorbonæ Doctorem narrat Magicarum sortium fuisse damnatum pridie natalis Christi, anno 1453. confessum, se per noctem sæpe in Magorum conuentus exportatum, Deo ibidem renunciauisse, Diabolum hirci figura visum adorâsse, & podici eius oscula dedisse.*

VIR quidam tenuis, cum vxorem interdum *abesse noctu perciperet, bonamq; noctis partem emanere, præterea dicentem, se aut ad deonerandam aluum egredi, aut ad lauandum. cum vicina sua aliquoties falsi euicisset, suspicionem concepit de perfida eius libidine, & necem interminatus est, nisi locum, quò proficiscebatur, indicaret. Illa sibi à periculo metuens, rem, vt erat, confessa est, atq; vt explores, & videas hæc ita se habere, inquit illa, si volueris, eodem venies: Tunc tradidit ei vnguentum, quo se vterq; inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibus, Diabolus eos Lochÿs in arenarias Burdegalenses (quæ à Lochÿs minimum quindecim dierum absunt) exportauit. Videns itaq; vir, se in ignota Magorum, Magarum & Diabolorum (humana specie aspectus tamen horrifici) frequentia versari, dicere cœpit, Deus mi, vbi iam sumus? Hoc dicto, repente cœtus disparuit. Ille verò cernens nuditatem sui corporis, oberrauit per agros nudus, donec manè rusticos inuenit, qui ipsum in viam deduxerunt. Reuersus Lochias, ad Quæstorem rerum capitalium contendit rectà, qui audita probè historia, fœminam pre-*

hendi

hendi iußit. Illa verò minutatim omnia quæ diximus, confessa est, & vltro agnouit peccatum suum.

LVGDVNI quoq; ante paucos annos mulier *potens comperta est, quæ surrexit de nocte, accendit lucem, arrepta pyxide, inunxit se, & post voces aliquot elata est: hos ritus fieri obseruans mœchus, qui cum ea cubuerat, lucernam capit, peruestigat vndiq;: & ea non inuenta, cum solam vnguenti pyxidem reperisset, curioso animo exploraturus, quid vnguentum posset, fecit prout fieri animaduerterat, ita statim elatus, comperit se cum Magorum cœtu esse in agro Lotharingiæ, & consternatus est. Sed cum primum Dei opem implorauit, euanuit totus cœtus: Ille verò solum nudumq; se comperiens, Lugdunum reuersus est, & maleficam accusauit, quæ confessa rem totam igne periýt.*

IDEM quoq; nobili cuidam viro non ita pridem *ad Melodunum accidit, qui & molitoris verbis, & sua ipsius curiositate adductus, cœtum maleficorum adiýt: sed quoniam perhorrescebat metu, quamuis non inuocaret Deum, Diabolus maxima voce inclamauit, Quisnam hic metuit? Sic volente nobili viro discedere, ex oculis abscessit cœtus. Atq; hic reuersus indicare Magum statuerat, ille verò præmonitus, sibi consuluit fuga. Bodinus Dæmonom. lib. 2. cap. 4.*

APVD Paulum Grillandum Iureconsf. Italum legimus, *qui de multarum maleficarum factis cognouit atq; iudicauit, Anno 1526. non procul à Roma rusticum extitisse, qui postquam nudam vxorem suam se inungentem vidisset noctu, sublatamq; oculis domi non inuenisset, eam postridie arrepto baculo non destitit percutere, donec rem*

ex veritate fateretur, quod illa faciens, veniam sibi dari postulauit. Hic veniam ea lege dedit, vt se in cœtum vxor deduceret. Ea postero die virum vnguento suo curauit oblini, sic vterq; insidentes hircis, peruenerunt in cœtum velocißimè. Virum autem vxor præmonuerat, à nomine Dei planè abstinendum esse, nisi per ludibrium, blasphemiamúe diceretur. Hunc igitur in cœtu versantem mulier seorsim aliquantisper iußit consistere, vt mysterium totum cerneret, donec ipsa caput illius cœtus salutauisset ornatum principis amictu magnificentißimo, maximaq; virorum & mulierum corona cinctum, qui honorem clientelarem singuli exhibuerunt domino. Hoc facto saltationem institui in orbem vidit ore extrorsum obuerso, ita vt non viderent alter faciem alterius, quod in popularibus saltationibus receptum est: fortè eo consilio, vt alij non poßint alios commodè obseruare atq; agnoscere, quos illi indicent, si ad iudicum manus peruenerint. Quod etiam Triscalanus Magus cui Rex Carolus IX. veniam dedit vt socios indicaret, adstante magna procerum turba exposuit Regi: Magos in suos conuentus exportari, innumeras eorum adesse copias, qui adorant hircum, & posteriores illius partes osculantur: tum aduersis tergis non videntes inter se saltare: deinde cum Diabolis virili & muliebri forma coëuntibus copulari. Post saltationem instratæ fuerunt mensæ, cibi appositi. Mulier tum admouit virum vt Principem salutaret: deinde vt cum alijs accubuit mensæ, videns cibos insulsos esse, & in mensa desiderari salem, clamauit continenter, donec sal, vt videbatur allatus esset, quem antequam gustauisset dixit: Iam laudetur Deus, cum hic sal aduenerit. Hoc dicto abierunt sta-

tim ab oculis omnia, homines, cibaria, mensæ: ipse solus remansit nudus, affectus ingenti frigore, nesciens vbi locorum esset: cumque illuxisset dies, pastores nactus est, à quibus rogatus, vbi nam esset? cognouit se in comitatu Beneuentano agere opima ditione Papæ. Hæc sub nuce gesta ad centesimum milliare ab vrbe Roma: vnde proficiscens ille panem & amictum coactus est mendicare, & octauo demum die, macer & exhaustus peruenit domum, vxoremque detulit, abs qua accusatæ aliæ & veritatem confessæ viuæ igni fuerunt traditæ.

Idem autor est anno 1535. adolescentulam in Spoletano Ducatu tredecim annos natam, à vetula quadam in Magorum cœtum sic perductam esse, miratamque conuentum adeò numerosum, dixisse: Deus benedicte, quid hoc rei est? Simul atque pronunciásset ista, euanuisse omnia, miseram diluculo à quodam Rustico inuentam ei rem totam enarrasse: eum deinde ad suos puellam remisisse, & Magam ab ipsa accusatam igne sublatam esse.

Idem Paulus Grillandus libro de Sortilegijs scribit, se anno 1525. à nobili quodam viro fuisse rogatum, vt in castellum S. Pauli, (quod Spoletani Ducatus est) veniret, & de tribus Sagis mulieribus cognosceret. Earum minimam fretam sponsione suæ liberationis fuisse confessam, se iam ante annos quindecim à vetula Saga in Magorum cœtum deductam esse, vbi Diabolus interfuit, quo autore Deo, fidei, & religioni suæ renunciauerit, iuramento cauens, se fidelem fore, & Diaboli mandatis obsecuturam, idque manu libro obscurissimam scripturam habenti imposita, item se ad solennitates nocte, & ad ferias cum imperabuntur, venturam, & quoscunque posset eodem

adducturam: Diabolum ipsi vicissim læticiam, æternamq; felicitatem spopondisse. Amplius confessa est, se ex eo tempore necem hominibus quatuor intulisse, pecori sæpenumero, & fruges calamitate deuastasse. Siquando ipsam die stato contigisset ad cœtum non accedere, sine vera certaq; excusatione, se ita de nocte fuisse vexatam, vt nec somnum caperet, nec quietem vllam. Cum proficiscendum illuc fuit se viri vocem audiuisse, quem paruum dominum, aut etiam interdum magistrum Martinetum appellabant: itaq; simul ac se vnguento quodam oblinisset, hircum, qui præsto ad portam aderat, conscendisse, quem tenebat pilo, eoq; hirco sub magnam illam Beneuentanam nucem, vbi innumeros offendebat Magos, transuectam esse. Ibi fide principi data saltari, tum mensis accumbi, postremò quemq; Dæmonem cum eo eâue, cuius præerat custodiæ, copulari. Hoc facto, singulos suo Dæmoni insidentes reuolare, priuatim verò Diabolum intra parietes domesticos adorare. Hoc vbi fuisset confessa, & cum duabus alteris comparata, aliæ præterea fuerunt accusatæ, quæ confessæ culpam, cum suis pulueribus & vnguentis viuæ fuerunt concrematæ.

IN libro quoq; tertio Antonij de Turquemada *Hispani, aliam inter cæteras historiam recentem legimus, voluisse Magum quendam socio suo persuadere, fore ipsum beatissimum omnium, si crediderit ipsi, & Magorum conuentus adiuerit. Vt autem consensit socius, Magum de nocte, post aliquot voculas, manum socij prehendisse, & vtrumq; elatū in aëra procul fuisse in cœtum transuectos, in quo viri & mulieres innumeræ circumstabant thronum, cui maximus insidebat hircus, ad hunc osculan-*

dum

dum omnes acceßiſſe, en la parte maſuzia quetenia (qui ſciunt Hiſpanicè, eam partem eſſe intelligunt, quæ honeſte non poteſt nominari) Nouitium cum videret iſtud, ſocio dixiſſe, amitto patientiam, & inclamaſſe repentè Deum voce quàm maxima: tunc irrumpente turbine procellaq; vehementißima diſparuiſſe omnia, illum ſolum ſubſtitiſſe, & triennium totum conſumpſiſſe, antequam in agrum ſuum reuerteret.

BODINVS quoq; ſcribit, Ioannam Haruileriam *Verberij ad Compendienſes natam inter cætera fuiſſe confeſſam, ex decreto curiæ ſententiam Iudicis Sanliſiani confirmante, matrem ipſius viuam adiudicatam fuiſſe igni: ſe verò annos duodecim natam à matre oblatam fuiſſe Diabolo, ſpecie hominis atri, amictu atro, ocreis & calcaribus inſtructi, gladio accincti, equum nigrum habentis præ foribus, vtente his verbis: Ecce filiam meam, quam ſpopondi tibi, ad ipſam verò dicente, Ecce amicum tuum, qui beabit te. Ex eo tempore Deo & Religioni renunciaſſe, & illum ſic concubuiſſe ſecum, vt viri cum fœminis ſolent, niſi quòd frigidum erat ſemen: id octonis poſtea diebus, aut quindenis feciſſe, nec percipiente viro, cum ſimul in lecto eſſent. Etiam Diabolum ſemel ex ipſa quæſiuiſſe, an grauida ex ipſo vellet fieri? ſe autem renuiſſe. lib. 2. cap. 7.*

SVMMAM quoq; interrogationum Potezanis *Magis ad Lognium propoſitarum (quæ igne quoq; ſublatæ fuerunt) à Domino Andrea Ferreo, generali Regis vicario, apud Laodunenſes traditam legimus, ex qua confeſſiones aliquot hic viſum eſt apponere: Margarita Bremontia vxor Noëlis Laucreti dixit, ſe die Lunæ proximo*

nocte ineunte cum matre Maria in conuentum, qui ad Franquisanum pistrinum prope Lognium in prato habebatur, iuisse, matrem inter fœmora scopas habentem dixisse, (verba hic placet omittere) & statim vtramq; eo exportatam esse, vbi inuenerunt Ioannam Robertam, Ioannam Guilleminam, Mariam vxorem Simonis Agni, & Guilelmam cuiusdam Graßi vxorem, cum suis scopis singulas: eodem sex Diabolos humana specie aduenisse, aspectu horridos, &c. facta saltatione Diabolos concumbentes rem cum ipsis habuisse: eorum vnum qui saltantem duxerat, cepisse ipsam, bis osculatum esse, & amplius semihoram cum ipsa concubuisse, perfrigidumq; semen eiecisse. Ioanna Guillemina huius assentitur dictis, semihoram fuisse copulatos fassa, & perfrigidum semen ab eo excreatum.

LEGIMVS item libro 16. Iohannis Meyeri, qui *historiam Flandricam scripsit accuratißimè, Anno 1459. ingentem virorum fœminarumq; numerum in Atrebatiorum oppido crematum esse, qui inter sese accusantes fatebantur se noctu ad saltationes fuisse transuectos, & cum Diabolis, quos adorabant humana specie, copulatos. Iacobus quoq; Sprangerus, & collegæ 4. Magarum quæsitores, se de innumeris Sagis cognouisse scribunt, plurimasq; Sagas supplicio vltimo addixisse in Germania: nominatim verò in Constantiensi & Ratisbonensi agro, anno 1485. quæ omnes fatebantur Diabolos concubuisse secum, postquam Deo & religioni suæ, Diabolo autore, renunciauissent. Amplius scribunt, non paucas extitisse, quæ nec accusatæ resipuerint, & à consortio isto discesserint, easq; idem confessas esse, nempe Diabolum tantisper, dum fue-*

runt Sagæ, cum ipsis rem habuisse. Ad hæc Sprangerus adijcit, persæpe Sagas in agris & syluis sese retegere, & clara die coire cum Diabolo, & sæpe retectas in agris visas, interdum etiam hærentes Diabolis (quos homines esse existimabant) à viris suis esse deprehensas, eosq; gladio cadentes nihil effecisse. Paulus Grillandus Iureconsf. Italus, (qui de Sagis plurimis cognouit) narrat in libro de Sortilegijs, se anno 1526. Septemb. mense, à S. Pauli ad Rom. Abbate rogatum esse, vt de tribus Sagis cognosceret: easq; inter cætera confessas esse, Magas singulas cum Diabolo copulari. In historia S. Bernardi legimus, Sagam extitisse, quæ marito suo nec percipienti accubans, sæpenumero Diabolo commiscebatur.

IN horto florido Antonij de Turquameda Hi*spani aliam historiam reperi, de Hispana fœmina nobili, quæ se per vetulam Sagam, cum annum ageret duodeuigesimum perductam fuisse narrabat, & rem ex eo tempore cum Dæmone habuisse: hæc viua & impænitens cremata est, Cerdenas genere. Alteram idem resipuisse narrat, & in monasterio fuisse collocatam. Adamus Martinus Laodunensis confessus Procurator, mihi narrauit, inquit Bodinus, se de Saga Biebræ (hic vicus est, duobus milliaribus Laoduno distans) quæstionem habuisse in iurisdictione D. Boani Verumanduorum Præfecti, anno 1556. quæ cum ad strangulationem primum, deinde ad ignem fuisset damnata, viua tamen igni tradita est, culpa carnificis, ac potius iusto iudicio Dei, qui sic demonstrauit, oportere vt noxæ par pœna sit, neq; maleficium esse, quod ignem magis mereatur. Hanc igitur confessam esse, Satanam (quem Socium suum appellabat) rem se-*

cum habere solitum, & se frigidum semen illius persensisse.

CVM in magnis conuentibus essem Pictauij, *inquit idem Bodinus, anno 1567. inter vicarios Procuratoris generalis meas partes agens, accepi duos Magos squalidos egentesq́, ad prædiuitem domum stipem postulauisse: ea recusata, iniecerunt sortes, & domestici omnes in rabiem acti, obiuerunt furiosi. Dæmonom. libro 3. cap. 1.*

FVIT Lutetiæ Veteramentarius sutor Magus, *qui solùm attingens manu, febri quartana liberabat: sed is minimè curabatur, qui nolebat credere se curari posse. Et fuit apud Andes vetula quædam Itala, morbos curans, anno 1573. quæ cum ab interdicto Iudicis, ne morbos curaret amplius, Curiam parlamenti appellasset, disertè pariter ac doctè ipsius causa à D. Iohanne Baltruo causidico Parlamenti Matratium domino collega & ciue meo fuit perorata: sed modos quibus curabat probatum est à natura abhorrere, vt felis cerebro, quod venenatum est, capite corui, & alijs consimilibus: quæ res planè euincunt, non præstantes olei, aut salutaris vnguenti viribus (quod multi viri boni & pauperum amantes faciunt) sed modis præter naturam, aut carminibus curationes fuisse factas.*

SCRIBIT Iodocus Darmudanus in praxi crim. *cap. 37. Brugis in Flandria extitisse Magam in opinione maxima sanctimoniæ, quòd morbos curaret innumeros, sed illa hoc curabat primum, vt crederetur se posse sanare, deinde ieiunia indicebat, mandabatq́ dici aliquoties pater noster, aut compostellas ad S. Iacobum, aut ad S. Arnoldum iri, tandem vero multarum sortium magicarum euicta, meritoq́ supplicio affecta est.*

IOHANNA HARVILLERIA, quæ uiua, vt *antea diximus, fuit igni tradita, sortem à se iniectam confessa est, vt hominem, qui filiam pulsauerat ipsius, enecaret, alterum verò supergressum sorti, repentè in lumbis sensisse malum, & toto corpore, &c. Cum autem (prout ipsa iam famosa erat istius artis nomine) homini fuisset dictum, non aliunde malum ei obuenisse, tum se promisisse facturam, vt reualesceret, & custodiam eius recepisse: ad eum finem precibus à Diabolo contendisse, & multis modis (quos describi nihil attinet) de curatione eius laborâsse, quam fieri non posse Satanas responderit. Dicenti itaque sibi, ne ergo amplius veniret ad se: Diabolum respondisse, Non venturum esse se, &c. Paulò pòst ægrotum obijsse, & Magam se abdidisse, sed vt abdita fuerit, inuenta est, & scelerum suorum meritas pœnas luit.*

ARVERNVM quendam Captiuum Lutetiæ se *vidisse scribit Bodinus, anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono, equos & homines interdum, curantem, apud quem permagnus liber inuentus est, pilis equorum, boum, & aliarum bestiarum coloris cuiusque plenus. Hic si quando sortem in equum iniecerat, consulebatur, & de pilo equi illius habens, ita curabat illum, vt sortem alteri traderet, sed pecuniam non accipiebat, si acciperet, non curaturum esse affirmabat: Itaque peruetere sago ex pannunculis mille sufferto ambulabat. Sed cum semel in equum nobilis cuiusdam viri coniecisset sortem, rogatus, curauit, traductis in seruum eiusdem viri sortibus: accedentibus iterum ad curandum, respondit, ex Nobili cognoscendum esse, vtrum mallet, Seruumne an equum amittere? qua in re anxio hærente nobili, & ad deliberandum*

cunctante, interiit seruus, & fuit comprehensus Magus.

A Domino Furnerio Aurelienſi Conſiliario au-*diui de Hulino Paruo Aurelienſi Materiario: Hic fortè Magica affectus lethaliter, accerſi curauit hominem, qui omnes morbos depulſurum ſe pollicebatur, ſuſpectum magicæ artis, vt ſanaret ipſum: Is autem reſpondit, ſe non poſſe ſanitatem homini reſtituere, niſi morbum filio ipſius, tum adhuc lactenti transdaret. Conſenſit parens in parricidium filij, rem obſeruandam, vt eò melius Satanæ malitia videatur. Nutrix recognita, aufugit cum puero, dum Magus patrem ſanaturus attingebat. Sanato ex tactu patre, puerum Magus afferri poſtulat, quo non inuento, repentè exclamauit, actum eſt de me, puer vbi nam eſt? & vix dum abiens pedem ianua extulerat, cum eum Diabolus interemit ſubitò, & cadauer eius tam fuit atrum, quàm ſi quis de induſtria colore atro infeciſſet.*

AVDIVI etiam, inquit idem, in Iudicio Sagæ *apud Nannetas, quæ ſortilegij in vicinam iacti accuſabatur, imperauiſſe Iudices, vt mulierem ſorte affectam attingeret, quod à Germaniæ Iudicibus etiam in Camera Imperiali fit ſæpiſſimè, recuſauit, & ſe cogi videns, exclamauit, actum eſt de me. Simul atq; mulierem affectam ſorte contigit, hæc reualuit, mortuaq; Saga corruit, cadauer igni damnatum. Hiſtoriam ab vno Iudicum accepi, qui Iudicio interfuit.*

THOLOSÆ quoque audiui, Burdegalenſem *quendam ſtudioſum, amico ſuo grauiſſimè ex quartana laboranti dixiſſe, vt febrim vni ſuorum inimicorum traderet, reſpondente illo, ſibi neminem inimicum eſſe, dixiſſe,*

da igitur seruo tuo: tandem cum hoc illi religio esset facere, Magum dixisse, Da mihi eam, tum annuente ægroto, Magum febri oppressum obijsse, & ægrotum reuixisse. Bodinus lib. 3. cap. 2.

Hoc autem minime nouum & inauditum est. *Nam apud Gregorium Turonensem libro 6. cap. 35. legimus, Childeberti Regis vxorem, vt filiolum suum ex maleficio audiuit obijsse, muliebri rabie ingentem Sagarum numerum iussisse comprehendi, cremari, & rotis imponi: quæ Regis filium à se enectum fuisse agnouerunt, vt Mummonem magnum Magistrum seruarent incolumem. Captus itaque Mummo, & equuleo impositus, certas pinguedines sibi potionesque à Sagis datas fuisse dixit, ad conciliandam, vt putauit, Principum gratiam, & carnificem, qui torquebat ipsum, indicare iussit Regi, nullum à se dolorem percipi. Tunc imperauit Rex eum distendi trochleis, stylosque ferreos vnguibus pedum & manuum interseri, prout est in Oriente ratio torquendi, qua sine membrorum fractura, dolor fit intolerabilis. Post dies aliquot ad suos Burdegalenses deportatus obijt.*

Morbum autem naturali modo, non maleficio *obtingentem, non posse à Magis tolli, experientia docuit. Exemplum Quæsitor Sprangerus affert: Cum de Sagis Insprugensibus in Germania cognosceret, figulum Magum extitisse, qui pauperem vicinam suam videns affligi grauissimè, vt si intestina ipsius gladijs indesinenter peterentur: experiar, inquit, an sorte affecta sis, & sanabo te. Tum liquatum plumbum disco infudit aquæ pleno, & mulieri ægrotæ imposito, & certis vocibus enunciatis, quas reticeri placet, imagines quasdam percepit in durato plum-*

bo,

bo, ex quibus agnouit forte affectam esse mulierem. Hoc facto, abducit virum illius mulieris, & respicientes vterq; sub limen ianuæ imaginem ceream palmarem inuenerunt, cuius acus duæ ad duo latera hærebant fixæ, cum alijs pulueribus, granis, serpentumq; oßibus, quæ omnia obiecit igni: Mulier verò, cum pignori dedisset animam suam Satanæ, & Magis, quos pro incolumitate sua adiuerat, fuit restituta.

OGERIVS FERRERIVS, medicus doctissi*mus, cum Tholosæ essem, elegantes ædes, & bono loco ad Bursam sitas, minimo conduxit, anno 1558. quia malignus spiritus inquilinos earum infestabat: quod ipse non amplius curabat, quàm Athenodorus Philosophus, qui desertam Athenis domum, incolisq; propter Spiritum vacuam, ausus est habitare. Sed cum illud audiuisset, quod nunquam crediderat, non posse tutò adire cellam, nec quietem interdum capi: monitus Lusitanum quendam studiosum in vrbe esse, qui res occultas in vngue pueruli videndas exhibebat, fecit vt studiosus ille sua arte vteretur: Puella verò consulta, dixit, mulierem à se videri ornatam accuratißimè pretiosißimis catenis & auro, quæ ad columnam quandam manu gestabat tædam: itaq; Lusitanus respondit Medico, vt in cella ad columnam humi curaret fodi, thesaurum ab ipso inuentum iri. Gaudens Medicus, fodi iußit. Sed cum thesaurum inuentum propè cogitaret, exurgens turbo extinxit lucem, & spiraculo cellæ exiens, ad 14. pedes pinnarum fregit in propinquis ædibus, quarum pars in prothyrum corruit, pars in cellæ spiraculum, pars in mulierem ferentem aquam, cuius hydria effracta est. Nihil postea à Spiritu auditum vnquam. Lusitanus postridie*

factus

factus de re tota certior, thesaurum dixit à Spiritu exportatum esse, mirari se, quod Medicum non offenderit, qui post biduum mihi narrauit historiam. Hæc die 15. Decembris, anno 1558. gesta sunt claro & sereno cælo, vt esse solet diebus Halcyonijs. Et nos eodem tempore deiectas domus propinquæ pinnas prothyrumq́; ad tabernam fractum inuisimus. Bodinus Dæmonomaniæ lib. 3. cap. 3.

AFFERT Melanchthon historiam persimilem: *Homines decem Magdeburgi ruina turris oppressos esse, cum ad thesauros, quos docuerat Satanas, reperiendos effoderent. Georgius Agricola in libro de Spiritibus subterraneis scribit, Annabergæ, in ea fodina, quæ dicitur corona rosæ, Spiritum specie equi duodecim homines occidisse, & fecisse, vt fodina plena argenti cederent quam Magi ope Satanæ repererant.*

A quodam Lugdunensi accepi: in æde S. Mariæ *virginis Lutetiæ Capellanum fuisse cum socijs magica arte Arcolij propè Luteciam thesaurum retexit: sed cum cistam, in qua erat conditus, habere cogitarent, eam fuisse exportatā turbine, in ipsum verò muri partem corruisse, ex qua toto vitæ spacio claudicans factus est. Et Sacerdos Noribergensis, cum ope Satanæ thesaurum inuenisset, & iam iam scrinium aperturus esset, ruina domus extinctus est.*

Ex Lugdunensi quoq; pragmatico audiui, ipsum *de nocte cum socijs abiuisse, vt enunciatis coniurationibus thesaurum peruestigarent, cumq́; cæpissent fodere, velut hominis, qui rotæ impositus fuerat, vocem audiuisse, horribiliter inclamantem ad fures: sic in fugam fuisse versos: Spiritus vero malignos eodem momento persequentes cæcidisse ipsos ad eam vsq; domum, vnde prodierant, & tanto*

ſtrepitu eam ingreſſos eſſe, vt tonare hoſpes cogitauerit: atq; ex eo tempore iurauit ſe theſauros nunquam perueſtigaturum eſſe. Bodinus.

MAGOS quoque hominum oculos effaſcinare *poſſe, ac ſic riſum mouere, & ſpectatores efficere attonitos, exemplo probat Bodinus, de Triſcalano illo Mago, qui de Curione quodam præſentibus parochis dixit, Videte iſtum hypocritam, qui fingens ſe breuiarium ferre, fert chartas luſorias. Tum Curio volens oſtendere vt ferret breuiarium, viſus eſt ſibi habere chartas luſorias, & quicunq; aderant, chartas ſibi videre viſi ſunt, adeò vt Curio breuiarium ſuum abiecerit, & pudibundus abiuerit. Superuenientes verò paulò pòſt alij, breuiarium collegerunt nudatum illa chartarum ſimilitudine: qua ex re fuit manifeſtum, multis in rebus Satanam illudere, nec tamen ſingulorum oculos præſtringere. Nam qui priori actioni non interfuerant, cùm præſtigias Magus adſtantium oculis offudiſſet, verum videbant breuiarium, cum alij contrà ſpeciem chartarum cernerent, &c.*

COGNITVRI Germani, quæ Saga impoten*tem equum & languentem effecerit, ad certas ædes vſq; trahunt alterius equi viſcera, in non ianua ſed cella ingreſſi aut ſpecu ſubterranea, viſcera illa conſumunt igne. Tum malefica quæ commiſit malum, dolorem colicum in inteſtinis ſentiens, ad ædes contendit rectà, vbi cremantur viſcera, vt prunam candentem poſtulet, & dolor illius deſinit: Quòd ſi non aperiantur fores, ædes offunduntur tenebris, tonitru perſonant horrendo, ruinamq; minitantur, niſi qui intus ſunt aperiant: quod Sprangerus ſcribit in Germania obſeruatum, & à ſe viſum.*

A D. Antonio Lonanio generali Regis Legato, *apud Ribemontenses accepi fuisse Magum, qui cribro Magum alterum, pronunciatis quibusdam vocibus, retexerit. Proferebantur nomina omnium qui in suspicione erant, cumq; viri illius nomen cui culpa inerat efferretur, indesinenter mouebatur cribrum, & Magus affinis culpæ eôdem aduentabat: quod vbi compertum est, fuit damnatus Magus. Bodinus lib. 3. cap. 4.*

MEMINI aliquando mihi narrare D. Bordinum, *generalem Procuratorem Regis, cum totum ipsius pecus in villa apud Meldenses moreretur, fuisse vxori dictum, bestiam quandam occidendam esse, quam hic non placet exponere, eamq; pedibus sursum versus sub limine stabuli suspendere oportere, enunciando certas voces, quas hîc opponi non est opus: hoc facto, nullam ex pecudibus suis periuisse. Idem ibidem.*

IOHANNES MARTINVS vices Præfecti *Laodunensis agens, mihi exposuit, cum de Saga S. Probæ in iure cogniturus (hæc autem cæmentarium tanta affecerat inualetudine, vt ipsius caput inter crura ferè propenderet incuruo corpore, quod malum ipse à Saga sibi suspicabatur importatum) vt consideratus Iudex, Sagæ renunciari iussit, ipsam non alia ratione posse vitæ suæ consulere, quàm si cæmentarium sanauerit. Fasciculum itaq; à filia sua domo afferri iubet, Diabolum inuocat, deiecto in terram vultu carmina quædam coram omnibus mussitat, & fasciculum tradens cæmentario, lauari eum in balneo præcipit, & illud quod fasciculo inclusum erat, in balneum indere cum his verbis: abi per Diabolum. Hunc, ait, & non alium esse reualescendi modum. His factis, curatus*

fuit

fuit cæmentarius. Veruntamen antequam ea viderentur balneo, volentes nonnulli cognoscere, quid in fasciculo esset, (quod illa fieri vetuerat) tres paruulos in eo lacertos deprehenderunt: Cæmentarius verò dum in balneo esset, quasi tres grandos carpiones sentiebat in eo: cum excessisset ex eo, quamuis peruestigarentur diligentissimè, nec carpio, nec lacertus inuentus est. Saga viua fuit concremata, & permansit ἀμετάμελητος. *Idem lib. 3. cap. 5.*

LEGIMVS in horto Antonij de Tarquamedia, *lib. 3. de Mago quodam, qui homini Rustico, quem videbat à cane rabido fuisse morsum, dixit, Se esse Seruatorem, vt non amitteret vitam. Cumque ter illius nasum ad missionem sanguinis pupugisset, ille sanatus est.*

CAROLVS MARTINVS, Præfectus Laodu-*nensis, factus certior, mulierem pauperem in valle (id suburbij Laodunensis nomen) fuisse à Saga vicina fascinatam, misertusque illius, necem interminatus est Sagæ, nisi morbum vicinæ adimeret. Metuens illa, promisit se curaturam: itaque ad pedes cubilis venit, vultum in terram demittit, manus iungit, Diabolum maximum magna voce appellat, subinde preces renouat, voces incognitas aliquot repetens, & frustum panis ægrotæ tradidit, quæ eodem momento cœpit reualescere. Hoc facto Præfectus reuertens domum, statuebat eam comprehendere, & igni quamprimum tradere: sed illa in his partibus ex eo tempore non fuit conspecta. Idem ibidem.*

EXEMPLVM recens producemus, acceptum à *Præside Vitriaci Franci honorato viro, qui ad conuentus maximos Blesis fuerat allegatus anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo septimo. Cum indigeremus opera illius,*

vt alij

vt alij alios in communi onere iuuaremus, institi acerrimè, ne antè loco excederet, quàm Ordines dimissi essent: Respondit, sibi amicum esse quendam, qui ad mortem decumberet, ab eo se accersi, & hæredem institutum esse: hunc inde ab annis quinq; aut sex ægrotum fuisse, & membris fractum, ideoq; parentem admonitum in Flandria esse hominem, à quo filius curari possit, eò statim abiuisse: Magum parenti morbum filij, quem nunquam viderat, explicâsse, & in Lusitaniam vsq; ad Magum alterum (cuius indicauit nomen) in comitatu regio versantem ablegâsse. Hoc ferentem æquo animo patrem, in Lusitaniam abiuisse, vbi Magus parenti, antequam solùm hisceret, Amice, inquit, filius tuus breui sanabitur, abi in Galliam, inuenies Nouiodunum versus, ad vigesimum milliare à domo tua, quendam M. Benedictum (sunt autem multi hoc nomine) hic filium tuum curaturus est. Miratum itaq; parentem; peregrinationem tantum susceptam esse vt peruestigaret procul, quod propè aderat, sumpsisse animum, & ad M. Benedictum iuisse. Hunc autem parenti dixisse, plurimum laboris consumpsisti, in Flandriam, Lusitaniamq; proficiscens, vt restituatur filius tuus, abi, iube ipsum venire ad me, ego is sum, qui curabo eum. Ad hæc parentem respondisse: Iam ex annis amplius quinq; eum lecto non exiuisse, ac ne tantillum quidem mouendi facultatem inesse ei. Tandem verò maxima molestia ægrotum eò fuisse perductum, & ex parte quidem fuisse subleuatum, veruntamen non diu bene habuisse. Idem ibidem.

EODEM argumento Iacobus Sprangerus Magorum *Quæsitor scribit, Episcopum à se in Germania visum, qui aduersa vtens valetudine, ex Saga vetula cognouit,*

se ex malefico ægrotare, nec aliam valetudinis recuperandæ viam esse, quàm vt eadem Saga sortilegio pereat, quæ sortem in ipsum coniecerat. Miratum Episcopum celeribus equis misisse Romam ad Nicolaum V. Papam, vt veniam indulgeret huius curationis adhibendæ: Papam, qui Episcopum deamabat vnicè, indulsisse hac clausula dispensationi adiecta, vt ex duobus malis fugiatur maius. Sagam diplomate allato dixisse, cum Papæ & Episcopo placeat, se illud effecturam. Sic media nocte restitutum fuisse Episcopum; Sagam verò quæ eum fascinauerat, in morbum ex quo obijt incidisse. Interea verò Saga illa, quæ vita defuncta est, nunquam voluit respicere, sed ad recuperandam valetudinem, se indesinenter Satanæ commendauit.

IN Pictonum agro, anno M. D. LXXI. Carolus *IX. Rex, à prandio Triscalanum (cui veniam indulserat, vt affines criminis deferret,) ad se adduci iussit. Hic apud Regem & frequentem procerum coronam, confessus est modum quò exportantur Magi, saltationes, sacrificia Satanæ oblata, nefarios concubitus cum Diabolis, virilem & muliebrem formam habentibus: Addebat, à singulis pulueres acceptos esse, quibus homines, pecora, fructusq; enecarent. Hæc illius dicta singulis mirantibus, Caspar Collignius Galliæ Amiralius (nam hic fortè intererat) dixit, adolescentem in Pictonum agro, ante aliquot menses fuisse comprahensum, de Nobilibus duobus enectis accusatum, hunc fuisse confessum vt seruus eorum fuerit, eosq; viderit pulueribus in domos segetesq; iniectis dicentes hæc verba: Maledictio in istos fructus, in domum, in Regionem istam: Se itaq; hos pulueres nactum cepisse, & in cubile iniecisse, vbi duo illi Nobiles recumbebant, sic vtrumq; mortuum in*

cubili fuisse compertum, sed tumentes & atros valde. Puerum Iudices absoluerunt. Tum audiens Triscalanus istud, permulta etiam narrauit eiusmodi. Credibile est autem, si Rex (cuius alioqui corpus optima fuit compage & constitutione) hunc Magorum principem & alios asseclas iussisset concremari, Deum pro istis iudicijs fuisse ipsi diuturniorem vitam & beatiorem concessurum. Nam Dei verbum semper sibi constat, Qui virum morte dignum absoluerit, hunc in seipsum meritam illius pœnam refundere: vt Propheta Regi Achabo dixit, ipsum, quia gratiam viro morte digno fecerat, moriturum. Ibidem.

CONSTAT apud omnes, Rupellæ hominem *lethali vulnere affectum, de cuius salute chirurgi omnes desperabant, Magi cuiusdam opera sic fuisse institutum vt incederet, & diebus aliquot loqueretur: nempe gestabat illum Satanas ac non alius, vt Magis autoritatem suam compararet. Ibidem.*

IOACHIMVS CAMERARIVS narrat libro *de natura Dæmonum: Cum fortè lanius quidam per syluam de nocte iret, strepitum & saltationes audiuit, re itaq; peruestigata accedens, pocula vidit argentea, quæ, vt Magi & Diaboli disparuerunt illico, accepit lanius, & postridie ad Magistratum detulit: sic illi, quorum signa poculis inerant, accusauerunt alios, citati in ius, & omnes supplicio digno affecti sunt.*

ALTERVM extat exemplum insignius execu*tionis illius, quæ facta est Pictauij anno 1564. cuius executionis historiam cum à multis in eodem loco, tum etiam à Pictonum Præside Saluerto didici (qui tum ad iudicium ferendum cum Dauentonio Pictonum Præside & Iudici-*

bus alijs fuerat accitus) & omnes in ea regione tenent. Tres viri cum fœmina vna Magi damnati, & igne concremati sunt viui, cum fuissent euicti necis hominibus plurimis pecudibusq́ importatæ opera (vt fatebantur) Diaboli subministrantis pulueres, quos humi stabulorum ouilium, domorumq́ limini subdebant. Narrauerunt autem isti, se ter in conuentum maximum solitos proficisci, quò conueniebant Magi innumerabiles ad compitalem quandam crucem, quæ ipsis vsum præbebat signi: ibi præesse hircum ingentem nigrum, adstantes ratione humana compellantem, in eius ambitum saltare omnes, tum vnumquemq́ posteriores illius partes cum ardente candela osculari: hoc facto, hircum absumi igne, de cuius cinere singulos capere, vt eo bouem inimici necarent, huius ouē, illius equum, hunc hominem languore, illum morte afficerent: Postremò Diabolum voce terribili hæc verba intonare, vlciscimini vos, aut mortem oppetetis: ita singulos ope Diaboli redire qua venerant. Amplius dicebat Præses Saluertus, vir clarissimus, apparere ex actis veteribus, Magos iam ante annos centum de eadem caussa fuisse damnatos, & paribus confessionibus, idq́ eodem loco, ad crucem eandem gestum. Horum duo resipuerunt, & duo in peruicacia sua cesserunt vita.

IVDICIVM quoque legi in Magas Potezanas, *quod mecum Adrianus Ferreus generalis Vicarius Regis apud Laodunenses communicauit. In eo confessio illarum extat eiusmodi, se prope Lognium ad Frenquisanum pistrinum, certis vocibus pronunciatis, cum scopis delatas esse, ibiq́ alias scopis ad manum instructas, & cum eis sex Diabolos, quorum habentur nomina, inuenisse. Postquam*

Deo

Deo renunciassent, Diabolos humana forma, sed tamen aspectu deterrimos osculatas adorâsse, tum habentes in manibus saltauisse, postea Diabolos rem cum fœminis habuisse, ipsas verò pulueres enecando pecori postulâsse. Postremò constitutum fuisse, vt eòdem post octiduum, ineunte nocte conuenirent ad diem Lunæ, cumq; tres horas illic substitissent, fuisse reportatas.

BOVINVS CASTELLI rusi Præfectus, Biturigum *nomine delegatus apud Blesenses affirmauit, Magam se iudice crematam fuisse, quam filia accusauerat, quod ipsam in conuentus deduxisset mater, & Diabolo instituendam obtulisset: Hæc inter alia scelera istud confessa est, se saltâsse in hirci ambitum, & tandem singulos rationes rerum à postremi cœtus tempore gestarum reddidisse, & qua in re puluerem occupâssent. Hic enectum à se infantē aiebat, alter equum, ille arborem. Vna autem nihil ab eo tempore fecisse comperta, frequentes ictus accepit baculo ad plantam pedum, & ab alijs omnibus derisa est. Addebat illa, puluerem sæpe recentem haberi oportere. Bodinus lib. 2. cap. 4.*

HVIC simile est, quod in altero Magæ iudicio le*gimus, quæ se fatebatur minimè quiescere, nisi quid mali quotidie committeret, saltem vt vasculum diffingeret: sed cum hera ipsius frangentem de industria vas terreum deprehendisset, tum rem confessa est, & addicta morti, quia dicebat nullam sibi omnino quietem esse, nisi aut enecto homine, aut perpetrato malo.*

MEMINI, inquit idem Bodinus, Furnerium vi*rum doctum Aureliensem consiliarium mihi dicere, vulgo sermonem esse, & quidem compertum, Magarum conuen-*

tus haberi ad Cleriacum, & Diabolos illic, quicquid varijs in Regionibus agitur, nuntiare, quia singula hominum facta referunt velut in commentarios: atq; hic diuinandi modus quo vtuntur Magi. Illa autem Maga, cuius meminimus, à sententia lata noluit prouocare, dicens, se mortem anteponere tantis Diaboli cruciatibus, à quo non poterat vel momento quiescere.

Imprimis verò illud obseruandum est, nullum *haberi conuentũ, in quo non saltetur. Sic Longuianæ Magæ inter saltandum canebant, har, har, Diabole, Diabole, sali huc, sali illuc: Lude hic, lude illic: Dicebant alij, Sabbath, Sabbath, id est, dies quietus festus, elatis sursum manibus & scopis, tunc vt testificarentur certò, quanta alacritate animi studioq; colerent Diabolum, atq; adorarent, tum vt adorationem, quæ debetur Deo, effingerent.*

Extat recens historia Magiæ naturalis à Nea-*politano, qui rem narrat à se in muliere Saga fuisse exploratam, quæ postquam se vnxisset nudam,* λειποθυμῆσαι, *& sensu destituta concidit, reuersaq; post trium horarum spacium in corpus suum, multa è regionibus varijs nuntiauit, quæ vera deinde comperta sunt.*

Ex Turettano Præside audiui Magam à se in *Delphinatu visam, quæ viua fuit concremata, hanc ergo cubantem ad ignem, manete domi corpore, in ecstasin abreptam esse, & quia nihil intelligebat, grauißimis virgæ ictibus ab hero percussam, tum etiam vt viderent, an de hac vita deceßisset, ignem partibus quæ maximè valent sensu, fuisse subiectum, nec propterea euigilauisse: eam itaq; iacentem ab hero heraq; mortuã esse existimantib. ibi derelictã esse: mane iacentẽ in lecto inuentã. Quod cum miratus*

herus

herus quæsiuisset, quid rei contigisset ipsi: exclamantem suo sermone dixisse, Ah, here, quàm verberasti me? Id hero apud vicinos narrante aliquem dixisse, Saga est: ideoq́; non destitisse herum, donec illa rem fassa indicauisset se animo cœtum Magorum adiuisse. Sic alia insuper scelera, quæ perpetrauerat, agnouit, & igni fuit tradita. Bodinus in Dæmonomania lib. 2. cap. 4.

IACOBVS SPRANGERVS Inquisitor, qui de per-*multis Sagis quæstionem habuit, eas scribit confiteri se, cum visum est, à Spiritu abripi, sin aliter videatur, etiam corpore. Exemplum nostra memoria, apud Burdegalenses alterum habuimus anno 1571. cum in Magos Galliæ instituta esset persecutio, Vetula quædam Burdegalensis Maga apud iudices confessa est, se cum alijs per hebdomadas singulas fuisse exportatam, vbi magnus hircus adoratur, quo autore abnegabant Deum, se Diabolo seruituras spondebant, singuli pudenda illius osculabantur, & post saltationes pulueres accipiebat quisq́;. Tum D. Belotus, libellorum supplicum magister, dicente Maga se nihil posse, nisi è carcere educta esset, volens rei veritatem explorare, eam educi iussit: & illa cum se nudam certo adipe inunxisset, velút mortua expersq́; sensus corruit, deinde post horas quinq́; reuersa exurgensq́;, permulta narrauit, quæ varijs in locis ita habere, vt dixerat, comperta sunt. Hanc historiam mihi quidam comes equestris ordinis narrauit, qui adhuc viuit, & isti experientiæ interfuit. Id in Borealibus partibus frequentari, Olaus testis est, & amicos ecstatici studiosè corpus obseruare, donec cum dolore ingente reuertatur, & annulum, literas, cultellumúe eius, qui milliaribus trecentis abest, ab eo reportari. Idem ibid.*

AEQVE admirabile est iudicium illud Magorum *septem, quod anno 1549. apud Nannetas didici. Cum igitur isti coram multis se indicaturos recepissent, ante horam, quid per milliaria decem in ambitum ageretur; exanimes conciderunt illicò, & tres horas defecti animo iacuerunt: exurgentes renunciauerunt quicquid in toto Nannetum oppido & ambitu longiore perceperant, locis, factis, & hominibus obseruatis, quæ omnia statim comperta sunt. Itaq; omnes isti accusati, & maleficiorum multorum comperti, ad ignem fuerunt damnati. Idem.*

RAZIORVM BARO (qui apud Nannetas ma*gicarum sortium damnatus supplicium pertulit) non tantum fassus est, se octo puerulos occidisse, & animo habuisse occidere, & Diabolo sacrificare nouum, suum ipsius filium, idq; in matris vtero, vt summopere gratificaretur Satanæ, verùm etiam se in conclaui suo procidentem in genua Satanam adorare humana specie comparentem, eiq; adolere. Huic res admirabiles Satanas spoponderat, ac nominatim ipsum fore magnum. Tandem verò se videns captiuum, & acerbissimis malis oppressum, omnia confessus est, vltimumq; supplicium passus. Bodinus libro 2. cap. 6.*

APVD Sprangerum legimus, cum de quadam *malefica, quam damnauit igni, cognosceret, eam confessam esse, (vt erat obstetrix:) se pueros suscipientem è matris vtero Diabolo obtulisse in aërem extollendo, deinde in caput eorum aciculam magnam, ita vt non profluerer sanguis, indidisse: tum ijs in sepulchrum elatis, abeuntem de nocte eos eruisse, furno coxisse, carnes comedisse, pingue ad suum vsum asseruasse. Hoc pacto quadraginta pue-*

rulos à se interemptos esse. Hæc Danensis fuit, ad Basileam.

Fvit Cazereis ad Tholosam Saga, quæ *benedicto pane altari oblato ad submergendum se abijt, cumque retracta esset, benedictum panem fassa est se veneno infecisse: canibus proijcitur panis, moriuntur illi. Hæc in vinculis ecstasim horas amplius sex passa est, omnis sensus expers, deinde exurgens clamauit, se valdè defessam esse, & nuncios à multis locis retulit cum certis indicijs. Cum autem damnata illa propè esset, vt iudicatum fieret, Diabolum aduocauit, dicens, eum spopondisse, tam vehementes futuros imbres, vt non esset ignem expertura. Sed ea nihilo magis defensa est ab ignis violentia. Bodinus Dæmonoman. lib. 3. cap. 3.*

Nihil, inquit idem Bodinus, lib. 2. cap. 5. *tam incredibile & admirabile, quam hominis in bestiam, & corporis in corpus. Veruntamen hoc iudicia in Magos constituta, & diuina atque humanæ populorum omnium historiæ probant certissimè. In libro Quæsitorum quinque aduersus Magos, cuius sæpe memini, legimus Stasium quendam Magum in Bernatum agro, è medio inimicorum (quos habebat quamplurimos) repente ac multoties effugisse, nec aliter quàm inter dormiendum occidi potuisse. Hic duos reliquit discipulos, Hopponem & Stadlinum summos Germaniæ Magos, qui eo loco dicuntur tempestates, fulmina, & procellas maximas excitâsse.*

Extat quæstio in Parlamento Dolensi habita, *& sententia lata die 18. Ianuarij, 1573. contra Aegidium Garnerium Lugdunensem. Quod iudicium nihil hic attinet exscribere, cum Aurelius apud Eligium Gibe-*

rium Parisiis apud Petrum Hayanum, & Senonibus fuerit typis commendatum: præcipua solum capita, quorum accusatus & euictus fuit, annotabimus: Et quod Garnerius iste die Michaelis festo, ad Serranam syluam in vineis Chastenoyanis (quæ à Dolensi oppido quadrante milliaris absunt) puellam decem aut duodecim annos natam ceperat, manibus, quæ luporũ pedibus consimiles videbantur, dentibusq́; occiderat, femorum & brachiorum carnem deuorauerat, & de ea ad vxorem detulerat: Quod item post mensem eadem forma alteram puellam ceperat occideratq́; voraturus, nisi tres homines (vt ipse fatebatur) impedimentum attulissent: Quòd etiam post dies quindecim puerum decennem in Gredisanorum vineis strangulauerat, carnemq́; crurum, tibiarum, & ventris comederat: Quòd deniq́; puerum alium hominis, non lupi specie, quasi tredecim annos natum, in vici Perusani saltu occiderat comedendi animo, (vt ipse sponte, ac non coactus aiebat) nisi fuisset impeditus. His ergo de causis ad ignem viuus est damnatus, effectaq́; sententia.

ALIA quoq; habetur causa Vesontione cognita *à Iohanne Boino Inquisitore, anno salutis millesimo, quingentesimo, vicesimo primo, Decembri mense, in Galliam, Italiam, & Germaniam missa, quam Vierus libro sexto de præstigijs, capite decimo tertio exponit copiosè, itaq́; percurram paucis. Rei Petrus Burgotus & Michaël Verdunus se Deo renuntiasse, fidemq́; dedisse Diabolo confessi sunt. Burgotum igitur Michaël duxit in vicum Castelli Carlonij, vbi candelam virentis ceræ obscura flamma, & coloris veneti habebant singuli, ita saltabant & sacrificabant Diabolo. Postea se vnguento oblitos fassi*

sunt

ſunt lupos fuiſſe factos, celeritate ſumma excurrentes: tum verſos in homines, ac ſubinde in lupos, eaq́; ſpecie lupas iniuiſſe, eadem voluptate, qua cum mulieribus rem habere ſunt ſoliti. Præterea confeßi ſunt, Burgotus quidem, ſe puero ſeptenni lupinis pedibus dentibusq́; mortem attuliſſe, voraturum, niſi ruſtici abegiſſent. Verdunus verò ſe puellam in horto quodam piſa carpentem occidiſſe, & à domino Cuneæ depulſum eſſe. Ab vtrisq́; puellas quatuor voratas eſſe certo tempore & loco, quarum ætatem exponebant: ſe puluere quodam iacto necem hominibus importare.

D. BORDINVM generalem procuratorem Regis *aliud exemplum mihi narrare memini, ad ſe è Belgis miſſum cum iudicio toto à Iudice & actuarijs obſignato, de lupo ſagitta ad femur transfixo, qui poſtea in hominem verſus, decubuit in lecto cum ſagitta, quam auulſam agnouit ille, qui fuerat iaculatus, tempore & loco ex confeßione hominis comprobata.*

IOBVS FINCELIVS ſcribit, Paduæ Lycan*thropum fuiſſe deprehenſum, cui lupini pedes reſecti ſunt; & momento manibus pedibusq́; truncatus homo extitit. Quo exemplo, inquit Bodinus; iudicium Magarum Vernonij confirmatur, quæ frequenter felium innumerabilium ſpecie in caſtellum peruetus ſolebant conuenire. Ibi conſtituentes viri quatuor aut quinq́; pernoctare, multitudinem felium ſe inuadentem experti ſunt: quorum vnus occubuit, cæteri læſi ſunt, ſed multis felibus vicißim læſis, quæ poſtea in fœminas verſæ, grauia vulnera comperta ſunt accepiſſe. Sed quia res incredibilis videbatur, iudicia ſiluerunt. Petrus Mamorius in libello de Sortilegis,*

muta-

mutationem istam hominum in lupos dicit à se in Sabaudia visam. Henricus Coloniensis in libello de Lamijs, pro indubitato affirmat. Vlrichus item Molitor in libello, quem dedicauit Sigismundo Cæsari, disputationem conscribit coram Imperatore factam, & certissimis rationibus exemplorumq; innumerabilium experientia constitutum fuisse docet transmutationem istam veram esse: & ipse Lycanthropum à se fuisse visum narrat Constantiæ, qui accusatus, euictus, damnatus, & à confessione morti fuit traditus. Multis quoq; libris in Germania editis ostenditur, vnum ex potentissimis Christianorum Regibus, qui nuper vita defunctus est, in lupum sæpe fuisse versum, vt Magorum omnium facile princeps habebatur. Veruntamen hæc pestis Græciam, Asiamq; amplius peruasit, quàm Occidentis populos, vt aiunt Mercatores nostri, eos illic cippo & carceribus contineri, qui in lupos conuertuntur. Itaq; anno 1542. Sultane Solymanno Imperium obtinente, tanta fuit luporum vis Constantinopoli, vt armatus Imperator cum prætoriano milite procedens, ad centum quinquaginta simul compulerit, qui vniuerso populo prospectante, ex vrbe disparuerunt. Hanc historiam narrat Iobus Fincelius, lib. 2. de Mirabilibus, atq; in hanc rem populi omnes consentiunt. Hos lupos Germani dicunt Werwolff / Galli loups garous, Picardi loups VVarous, ac si lupos varios dixeris (g. enim in locum vv. sufficiunt Galli.) Græci λυκανθρώπους & μορμολυκίας, latini varios & versipelles, vt Plinius agens de hac transmutatione annotauit. Pomponatius & Theophrastus Paracelsus, principes sua ætate Philosophi, certissimam esse confirmant hominum in lupos transformationem. Caspar Peucerus, ho

mo doctus, gener Philippi Melanchthonis scribit, has sibi semper visas fuisse fabulas, sed coactum fuisse credere, ex quo istud sibi mercatores plurimi, fide digni, negotiantes in Liuonia confirmârunt, multos etiam fuisse accusatos, euictos, & à confessione adiudicatos morti. Itaq; describit modum, qui in Liuonia obseruatur: Nempe quotannis sub finem Decembris nebulonem esse, qui Magos omnes citat, vt loco indicto compareant: Si defuerint, eos à Diabolo ictibus ferrea virga cogi adeò, vt vibices extent: præire ducem, myriadas sequi tranantes fluuium: eo traiecto mutari in lupos, in homines & pecora inuolare, & innumerabilia damna importare: post dies duodecim eodem fluuio remeare, & humanam formam recipere.

LANGVETVM BVRGVNDVM vidi sæpenumero *virum doctißimum agentem in rebus Ducis Saxoniæ, dum pro Domino suo cum Rege Galliæ ageret: Hic ergo similem historiam narrauit mihi, & seni Liuonia agentem dixit cognouisse id toti populo haberi exploratißimũ. Habeo apud me Germani cuiusdam literas, qui stipendiarius fuit Henrici II. Regis, scriptas ad Connestabilem Galliæ, quibus certiorem facit Connestabilem de Liuonia à Moscho capta: Deinde subijcit. In illis locis Herodotus Neurios collocare videtur, apud quos dicit homines conuerti in lupos, quod est adhuc vsitatißimum in Liuonia. Multa autem dicta ab Herodoto, quæ incredibilia olim videbantur, posteritas comprobauit. Idem enim autor est, extitisse Magos, qui certis incisionibus tempestatem illam sedauerunt, qua iamq; naues Xerxis amplius quadraginta fuerant submersa: & apud Olaum magnum lib. 3. cap. 18. legimus Lappos Magos secundos ventos & procellosos*

ven-

vendere solutis quibusdam funibus, quod ab experientia frequentissima omnes nautæ sciunt.

In historia quoq; Iohannis Tritemij legimus, *anno 1470. Iudæum quendam Baianum nomine, Simeonis filium, in lupum se cum placuit transformasse, & oculorum aciem effugisse, factum ἀόρατον.*

Mirum quidem istud, sed hoc meo iudicio est *est aduirabilius, complures non posse credere, cum populi omnes terræ, & tota antiquitas id vno ore agnouerit. Neq; enim solum ante annos bis mille ducentos id scripsit Herodotus, & ante hunc Homerus 40. annis, sed etiam Pomponius Mela, Solinus, Strabo, Dionysius Afer, M. Varro, Vergilius, Ouidius, & sexcenti alij, atq; in hanc sententiam Vergilius,*

Has herbas, atq; hæc ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Maris, nascuntur plurima ponto,
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis Marin.

Miratus autem Plinius lib. 8. cap. 22. de hac re autores consentire: Homines, inquit, in lupos verti, rursumq; restitui sibi, falsum existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa seculis comperimus. Hoc ille non audet confirmare, metuens, vt sibi habeatur fides: nam inter principes Græcos autores adducit Euanthem ipsum, qui ait in Arcadia ex gente Antæi vnum tranare quoddam regionis stagnum, transfigurariq; in lupum, deinde post aliquot annos reuerti ad idem stagnum, & cum tranauerit, effigiem humanam recipere. Et Agriopas qui Olympionicas scripsit, narrat Demænetum Parrhasium degustatis pueri Ioui Lycæo immolati extis, in lupum fuisse conuersum: quod M. Varro omnium Græcorum, Latinorumq; Ci

cero-

cerone teste, doctissimus adducit, & pro indubitato confirmat. Olaus Magnus de gentibus Pilapiæ, Narboniæ, Fincladiæ, Angermaniæq; loquens, (sunt autem hæ gentes Ethnicæ adhuc, & malignorum Spirituum Magorumq; plena) in historia narrat, homines vulgò in bestias ab eis commutari: Et qui infinita exempla, quæ breuitatis ergò omittimus, desiderauerit, is Olaum, Saxonem Grammaticum, Fincelium, & Guilhelmum Brabantinum potest consulere. Taceo Metamorphosin Ouidij, quia res veras confudit cum fabulosis multis: Sed quod de Lycaone Rege Arcadiæ scribit in lupum verso, non est incredibile,

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris
Exululat, frustraq; loqui conatur.

Neq; fabulosum est, quod Homerus narrat de Circe malefica, Vlyßis comites ab ea in porcos fuisse transformatos, cum Augustinus ipse in libris de ciuitate Dei, historiam eandem adducat (quamuis opinione ipsius miram) & illam de Arcadibus in Alpibus quoq; memoria sua frequens fuisse dicat, vt fabulariæ mulieres imbutæ malis artibus in caseo darent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, vt necessaria quæq; portarent, postq; perfuncta opera iterum ad se redirent, vt supra diximus.

Hvic persimilem historiam legimus apud Guilhelmum Tyri Archiepiscopum, quam eandem Sprangerus Inquisitor narrat, iuuenem Anglum militem in Cypro fuisse à Saga transformatum in asinum, qui cum in nauem ad socios volens remeare, fustibus abactus esset, ad Magam redijt: itaq; illam eo vsam esse, donec asinus in Ecclesia visus est in genua procidere, eaq; facere, quæ ab animante bruta nequeunt proficisci: tum Magam quæ agebat

agebat ipsum ex suspicione ad Iudices raptam, eum triennio elapso restituisse & morte affectam esse. Idem in Ammonio Philosopho Peripatetico legimus, asinum ordinariè lectioni eius interfuisse.

Nihil in Aegypto magis frequentari tradunt mercatores nostri: *& ipse Belonius in suis obseruationibus Lutetiæ excusis histrionem, ait, in suburbio Cayri oppidi in Aegypto à se fuisse visum, qui cum asino suo sermones conserebat, & confabulabaur quàm familiarissimè: Asinum verò signis, gestibus, & voce indicauisse optimè accipi à se quicquid dicebatur: Si herus iuberet asinum pulcherrimam de cœtu fœminam deligere, contemplatum eum in omnes partes, ad vnam tandem solitum, cui gratularetur, certo iudicio accedere: Si herus ediceret hordeum asino afferri, tum eum aliter quam solebant asini exultâsse, & alia id genus innumera. Quibus copiosè enarratis, subdit Belonius, amplius etiam dicturus essem, sed metuo vt eis haberetur fides, quemadmodum nec ego credidissem, nisi meis oculis spectante vniuerso Cayro populo percepissem.*

Hvic astipulatur, quod scribit Vincentius in *speculo, lib. 3. cap. 109. duas in Germania hospitas fuisse Sagas, quæ hospites solebant in bestias interdum vertere: cum itaq; histrionicum adolescentem in asinum conuertissent, qui (vt erat rationis compos) voluptates mille viatoribus exhibebat, hunc magno fuisse à vicino emptum: illas tamen dixisse, se non esse præstituras, nam eum si flumen accederet, amissum iri, asinum itaq; die quodam elapsum in lacum proximum abiÿsse, & simul ac fuisset immersus, formam recepisse. Id Petrus Damianus vir sua*

ætate

ætate inter primos numerandus, cum rem sciscitatus esset diligentißimè ex hero, ex asino, ex mulieribus Sagis confeßus factum, & ex ijs qui asinum elapsum ac restitutum viderant, Leoni VII. Papæ narrauit, & postquam diu in vtramq; partem coram Papa fuit disputatum, hoc tandem posse fieri fuit constitutum.

ATQVE hoc quidem pacto confirmari posset illud, *quod apud Lucianum & Apuleium atheos homines in asinum versos legimus, qui hoc sibi aiunt à Larissæis mulieribus Sagis accidisse, quas ideo inuiserant, vt cognoscerent, an istud ex veritate esset. Fuit autẽ vterq; & ἀθεότης, & artis Magicæ accusatus: quamobrem Apuleius omnes machinas admouet in Apologia, vt istam sortilegij & veneficij accusationem diluat, &c. Bodinus lib. 2. cap. 6.*

EX omnibus actionibus, quas Magi sibi vendicant, *vix insigniorem vllam inueneris, quam fulgura & tempestates prouocandi, vt eam lex pro explorata habuit. Itaq; in libro Inquisitorum quinq; dicitur, anno 1488. in Constantiensi diœcesi procellas, grandines, fulmina, & tempestates extitisse, quæ prouentum terræ per milliaria quatuor afflixerunt. Rusticis autem omnibus in Magas inuehentibus, comprehensæ fuerunt duæ, Anna de Mindelen & Agne, quæ primò inficiatæ, cum ad quæstionem raperentur, confessæ sunt seorsim se vno die in agrum cum paucula aqua processisse, & quamuis altera consilium nesciret alterius, effodisse scrobem, & sub meridiem aquam scrobi iniectam conturbâsse adhibitis quibusdam verbis, quæ satius fuerit ignorari, Diabolum inuocantes: his gestis, simul ac reuertissent domum, procellam extitisse. Hæ incendio perierunt viuæ.*

IDEM author ait, Iudicium à se in Sagam agri *Constantiensis latam, quæ cum videret omneis sui pagi incolas in nuptijs conuiuari & saltare, agrè ferens quòd non fuisset eò vocata, se per Diabolum clara luce, spectantibusq; pastoribus curauit in collem exportari propinquum pago, & quia aquam non habebat, quam in scrobem à se effossam inijceret, vt cieret tempestatem (nam hunc ritum fassa est obseruari) emisit lotium, & illud in scrobe mouens, sermones quosdam pronunciauit: mox cœlo, quod sudum serenumq; fuerat, obscurato, grando vehementissima solummodo in pagum & in saltantes irruit: Saga vero in pagum reuersa est. Ea itaq; visa, tempestatem ab ipsa accitam fuisse crediderunt omnes, caq; capta, pastores pro testimonio dixerunt, se vidisse cum in aëre transueheretur. Quod illa accusata euictaq; agnouit, & viua fuit igni tradita.*

APVD Pontanum etiam libro quinto memorabilem *historiam legimus, Gallis Suessæ in regno Neapolitano ab Hispano obsessis, cum siccitate astuq; feruerent omnia, & penuria aquæ dulcis Galli in summo discrimine essent, aliquot Sacerdotes Magos crucifixum nocte per vicos traxisse, innumeris conuitijs & blasphemijs proscidisse, atq; in mare proiecisse: deinde consecratam hostiam asino tradidisse, eumq; viuum ad portam templi inhumasse: tum post aliquot carmina & detestandas blasphemias (quas nihil attinet cognosci) imbrem vehementissimum, diluuioq; penè similem accidisse, itaq; obsidionem ab Hispano solutam esse. Fuit etiam qui omnes imagines in Salini puteum iniecit anno 1557. deinde abundauit pluuia.*

PECVDES autem plerumq; Sagæ pulueribus limini

mini subiectis enecant. Non quo pulueres illud possint (Sagas enim potius quæ gestant eos enecturi essent, quàm supergredientia animalia, maximè cum eos Sagæ ad pedem vnum sub humo cadant) sed solus Satanas est huius rei administer. Audiui trecentas pecudes ratione ista in quodam ouili Biturigum momento vno extinctas esse. Nec solum in tempestates, grandines, fulmina, fruges, & animalia has vires exercet Satanas, sed etiam in homines, in improbos tamen maximè. Sagas quæ Pictauij anno 1564. crematæ sunt, diximus confessas in ijs cœtibus quò ad Diabolum figura hirci adorandum conuenerant, conclusionis loco fuisse maxima voce ab hirco pronunciatum vlciscimini vos, aut moriemini: à se autem multas pecudes & homines enectos esse, causantibus non aliam seruandæ vitæ suæ rationem extitisse.

NIDERVS scribit, iudicium à se de Staldino *quodam diœcesis Lausanensis fuisse constitutum, qui fœtus septem à se in vtero matrum fuisse occisos fatebatur, & abortum toti pecori familiæ illius factum. Rogatum verò de modo, respondisse, Bestiam quandam, cuius nomen reticebimus, à se limini subiectam esse, qua sublata desiuit à tota domo abortio.*

IN Monstreleti historia legimus, Compendien-*sem Sagam cum duobus bufonibus à Sacerdote baptisatis fuisse deprehensam, quibus ad res magicas vtebatur, quod ridiculum existimarem, nisi quotidiana eiusdem rei exempla existerent. Cum Dominus Iohannes Martinus vices Præfecti Laodunensis gerens, Sagam S. Probæ condemnâsset, vt viua igni traderetur, qui exuebant bufones duos maximos in loculis illius inuenerunt. Froissardi hi-*

ſtoria teſtis eſt, Curionem quendam apud Sueßionas ad vlciſcendum inimicum à Saga conſilium petiuiſſe, qua conſulente vt bufonem baptizaret, nomen ei nideret, & conſecratam hoſtiam edendam traderet, id à ſe factum, & alia multa tacenda confeſſus eſt. Quinq; Magarum quaſitores narrant inter alia, ſe quaſtionem de Maga habuiſſe, qua fatebatur, ſe conſecratam hoſtiam, quam oportuerat deglutiuiſſe, ſudario exceptam, in poculo, vbi bufonem alebat, condidiſſe, pulueresq; ſibi à Diabolo datos adieciſſe, vt certis vocibus (quas reticeri praſtat) enunciatis, ad enecandas pecudes limini ouilis ſubſterneret. Deprehenſa itaq; & euicta, viua concremata eſt.

IN Sagarum quoq; Valerianarum in Sabaudia *iudicio, quod proſtat excuſum, legitur iacto in plantas puluere, eas repentè emori. Habeo, ſcribit Bodinus, penes me iudicialia acta, à generoſo Domino Pipemontenſi miſſa, de Barba Doraa, qua ex Decreto Parlamenti 11. Ianuarij, 1577. ſententiam Prafecti S. Chriſtophoro ad Sanliſium confirmante fuit adiudicata igni, poſtquam confeſſa eſt, ſe tribus hominibus necem intuliſſe, coniecto pauculo puluere charta inuoluto in eum locum, quà erant tranſituri, idq; cum his verbis, In nomine Dei & omnium Diabolorum, &c. qua hic non placet aſſcribere. lib. 2. cap. 8.*

SCRIBIT Nederus, qui de Sagis innumeris *quaſtionem habuit, vnam à ſe viſam, qua vnica ſolum voce homines enecaret: alteram, qua vicina mentum ſurſum deorſum vertit, horrendo ſpectaculo. Scribit quoq; Anglus (cuius hiſtoria quoq; ſupra fecimus mentionem) Palatinorum Principum Medicus, anno 1539. Vlrichij fuiſſe infeſtum ſortibus Agricolam, Neuſeſſerum nomine, à*

cuius pelle ferreus clauus auulsus est, & cuius interanea tantis doloribus erodebantur, vt sese desperans iugulauerit. Eum in conspectu ciuium omnium fuisse dissectum, & in corpore eius baculum, cultros chalybeos quatuor, ferramenta duo, capillorumq́; glomus comperta esse. Non est itaq; mirandum magnopere, si Thessala Saga Pamphila fecit, vt mulieris venter sic intumesceret, tanquam si ter geminos fuisset paritura, & octo menses circumferret onus. Eiusmodi fuit Martina Saga, quæ occidit Germanicum, non veneno (vt ait Tacitus) aut ouo galli gallinacei, sed vi diabolica. Et illa in Constantiensi Diœcesi Maga, quæ efflando totum hominis corpus ita affecit elephantiasi, vt paulò post animam ageret. Hanc Sprangerus & Quæsitores alij cremari curauerunt viuam. Idem Sprangerus narrat, se autore alteram in finibus Basileæ & Alsatiæ fuisse combustam, quæ fassa est, se conuitium à viro bono agricola obiectum ferentem indignißimè, rogatam fuisse à Diabolo, quid eo homini fieri vellet, qui dixerat conuitium? Cui cum respondisset, cupere se, vt semper facies illius turgeat: Non multò post agricolam ex insanabili elephantiasi laborâsse. Hæc tamen Iudici confessa est, se non putâsse, id effecturum Diabolum. Quo argumento vincimus, à Diabolo hæc omnia effici, qui voluntati hominum ipso vtentium ita se accommodat, vt si quis aduersarium suum curet per socium tolli.

APVD Sprangerum quoq; legimus, Plumberum *quendam Magum, Lendenburgi in Germania extitisse, quem docuerat Satanas crucifixum sagittis ante pascha die veneris configere, qua ratione adhibitis nefandis quibusdam verbis iaculans in aërem, ternos homines quos*

vidisset cognouissetq́ poterat quottidie occidere, quamuis in arcem munitissimã abditos, modò certum deliberatumq́ consilium occidendi eos habuisset. Eum verò tandem Rustici in frusta laniauerunt, sine iuridica cognitione vlla, postquam homicidia plurima perpetrasset. Hæc gesta anno 1420. Bodinus Dæmonom. lib. 2. cap. 8.

APVD Pedemontanos Cazalij quædam nomi*ne Androgyna videbatur, cum intraret in alienas ædes, & paulò post homines interibant. Comprehensa itaq́, Sagarum omnium consortium eiusdem maleficij retexit coniurationem (erant autem 40. fermè) quæ exteram ianuarũ manum ad enecandos homines perungebant. Id anno Domini 1536. accidit. Geneuæ quoq́ postea idem effectum est, anno 1568. vbi ad septennium fuit pestilentia, ex qua occubuerunt multi. Patauij Sagam à se visam Cardanus scribit, quæ puerum enecauit illicò, dum virga leniter dorsum illius contingeret. Medea Saga zelotypa, quòd Glauca* Regis Creontis *filia, Iasoni quem deperibat nuberet, coronam auream misit ei nuptiarum die, cumq́ eam capiti suo imposuisset Glauca, exarsit flamma, ex qua repente obijt, vt Euripides in Medea scribit,* φαρμάκων τῶν σῶν ὕπο, *inquit, hoc est, non venenis tuis, sed pharmacis.*

BIEBRANÆ SAGÆ suprà meminimus, quæ ad *Laodunum cremata fuit anno 1556. Hæc infirmabat homines, mirificeq́ distortos reddebat, eosq́, bestias, & fruges perdebat. Sed vt primum fuit exusta, cessauerunt hæc omnia, vt ex Iudice, qui de ea quæstionem habuit, cognouimus. Idem mihi præterea narrauit, cum ista cuidam fœminæ comminata esset, eam nunquam lactaturam, ita accidisse, & lac eius subitò exaruisse, & quamuis multos li-*

beros

beros pareret, tamen vbera semper aruisse. Cremata verò Saga, statim copioso lacte abundasse. Ex quodam Nobili honorato viro cognoui, vxori suæ ab amita impedimentum fuisse factum ne pareret (sic illa moriens confessa est) vt successionem liberis acquireret. Illa vt mortua est, hanc breui grauidam factam peperisse semel atque iterum, cum annos iam vndecim coniugati vixissent. Bodinus.

VIERVS narrat historiam, Magum à se in Ger*mania visum, qui spectante populo cœlum versus ascendebat clara luce, cumque vxor pedibus eum prehenderet, pariter sublatam esse, hac item comprehensa ancillam sursum abiuisse: ita multo tempore in aëre versatos esse, corona populi attonita & miraculum admirante. Simile exemplum in Hugonis Floriacensis historia legimus, Matisconensem quendam Comitem maxima voce clamantem, amici adiuuate me, abreptum in aëra & delatum esse, nec deinceps visum. Idem Vierus scribit, se homines vidisse à Diabolis in aërem sublatos. Et quæsitum fuisse in Germania Magum, qui se pollicebatur liberos Francisci I. Regis Madrico ex arce educturum, & ex Hispania in Galliam per aërem deuecturum esse, at nihil fuisse effectum, quòd metueretur, ne hoc duce ruerent, & ruentibus ceruices diffringerentur. Sic fuit Iudæus Magus nomine Sedechias, qui (vt narrat Iohannes Abbas Tritemius) emittebat hominem in aëra, in membra discerpebat, eaque recollecta adunabat, vt Simon Magus Nerone præsente fecit: currum etiam onustum fœno cum equis & agitatore coram toto populo absorbebat.*

MIRABILIVM HISTORIARVM DE SPECTRIS, ET VARIIS PRÆSTIGIIS DIABOLORVM SEV MALORVM DÆMONVM,

Liber secundus.

De Oraculis, vaticinijs & Prædictionibus Dæmonum.

TELEPHVS Mysorum Rex Græcos *à descensione prohibiturus, quum obstinatè Vlyssem inter vineas insequeretur, præpeditus trunco vitis ruit. Achilles procul telo iacalatus femur sinistrum Regis transfixit. Pace facta, & Græcis domum reuersis, Telephus dolore vulneris diu afflictatus, cum nullo remedio sanari posset, ad extremum Apollinis oraculo monitus, vti Achillem atq; AEsculapij filios adhiberet: properè Argos nauigauit, Græcos orans, ne sibi prædictum remedium negaretur. Achilles cum Machaone & Podalyrio adhibentes curam vulneri, breui fidem Oraculi firmauêre. Dictys lib. 2.*

CROESVS Lydorum Rex, cum Atij filio amisso, *alium haberet filium mutum, pro eius vitio emendanda nihil non fecerat, tum verò Delphos sciscitatum miserat. Cui Pythia respondit:*

Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε.
μὴ βούλου πολύευκτον ἰὼ ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
παιδὸς φθεγγομένου. τόδε σοι πολὺ λώϊον ἀμφὶς
ἔμμεναι. αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Oraculum verum euentus ostendit. Nam captis Gardis à Cyro, cum miles quidam in Crœsum irrueret, filius mutus alta voce exclamauit (cum prius nullam vnquam vocem edidisset) ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. *Sic Crœsus culpa sua Regnum suum amisit, voce filij vitam seruauit. Herodotus libro 1.*

HESIODI ossa Minyæ hoc se modo recepisse narrant. *Sæuiente in homines & pecudes pestilentia, missos ad Oraculum consultores, responsum tulisse. Ad sedandam luem vnicum illud fore auxilium, si ex Naupacto agro in Orchomenium Hesiodi ossa deportassent: aliam sane nullam reperiri posse mali leuationem. Percontatos rursus eos, in qua tandem Naupactij agri parte essent illa reperturi, respondisse Pythiam, locum cornicem monstraturam. Cum redirent in patriam qui sciscitatum missi fuerant, non longe à via cornicem conspexisse saxo insidentem. Ibiq; Hesiodi ossa inuenta in eius saxi latebra cum inscriptione. Pausanias in Bœoticis.*

ATHENIENSIS CATATREI filius, Cretensium Regis, *cum Oraculum sciscitaretur, responsum tulit, in fatis esse, vt pater ab eo interficeretur. Euitare fata cupiens, sponte cum plurimis voluntarijs abijt in eam Rhodi oram, quæ Camiros dicitur. Catatreus filij vnici actus desiderio, profectus est in Rhodum, nati in Cretam deducendi cupidus. Cum noctu in insulam descendisset, orta inter suos lociq; incolas contentione ac pugna, Althemenes suis au-*

xilio accurrens, iaculo inscius patrem occidit. Qua ex re Althemenes dolore ingenti perculsus, cum tantæ vim calamitatis ferre non posset, fugiens hominum consortia ac sermones, solusq́ per deserta inuiaq́ loca oberrans, dolore consumtus expirauit. Diodorus lib. 5. cap. 13.

AMPHIONIS tota domo ex pestilentia deleta, *successit in Regno Thebano Laius. Is sumta vxore Iocasta Creontis filia, cum diutius caruisset liberis, Oraculo consulto, An esset filios habiturus? responsum tulit: Non conducere sibi prolem habere, quòd qui ex eo prodiret filius, patrem occisurus esset, aduersaq́ fortuna domum funestaturus. Laius ergo, natum infantem traiectis ferro pedibus exponi præcepit: vnde & Oedipus cognominatus est, à tumore vulneris. Sumptum puerum domestici cum non exposuissent, cuidam seruili mulieri nomine Polybiæ tradidêre: Cum iam vir factus esset, Deum de infante exposito consulere statuit Laius. Oedipus quoq́ à quodam se fuisse expositum certior factus, & ipse Pythiam, qui sui parentes forent, oratum proficiscebatur. Cum verò apud Phocidem inuicem obuiassent, Laiusq́ illum de via cedere superbius mandasset, Oedipus ira motus Laium occidit, inscius patrem esse. Diodorus lib. 4. cap. 6.*

PARYSADAE Regis Cimmerij Bosphori tres filij, *Eumelus, Satyrus & Prytamis, de regno post parentis obitum contendebant. Eumelus, ope Ariapharnis Thracum Regis Prytamin interfecit: Satyrus, Regiam oppugnans, vulnere in brachij musculo accepto perijt. Itaq́ regno potitus est Eumelus per quinquennium, admirabili casu extinctus. Nam cum ex Scythia domum reuerteretur, & ad quoddam sacrificium properaret, quadriga ad*

Regiam contendebat, & cum currus quatuor rotis veheretur, & haberet tentorium, perterrefacti equi, eum abripuerunt. Cum auriga habenas tenere non valeret, veritus rex ne in scrobes delaberetur, exilire conatus est, sed cum ensis rotæ implicitus esset, ille vnà tractus, euestigio expirauit. Satyrum Oraculo admonitum ferunt, vt sibi à mure caueret. Itaq; suorum subditorum neminem id nomen vsurpare passus est. Domesticos & agrestes mures formidabat, & pueris semper vt occiderent, & cauos obstruerent imperabat. Tandem vitam finijt in brachij musculo vulneratus. Eumelo autem responsum Oraculo fuerat, vt domum quæ portarentur caueret. Itaq; haud temere domum intrabat, nisi pueri prius & fundamenta & culmen lustrassent. Cum autem in quadriga vi rotæ extinctus esset, propter tentorium, quod quadriga vehebatur, omnes Oraculum impletum existimârunt. Diodorus Siculus libro vigesimo.

CYRUS Rex Persarum, ad Istrum contra Massagetas & *Essedonas profectus, consuluit in Lesbo Orphei caput, Oraculis clarum eo tempore, de belli euentu. Responsum accepit : τὰ ἐμὰ ὦ κῦρε σε: Id est, Similem exitum, vt ego, habebis. Exitus Oraculo fidem fecit. A Tomyri enim Regina Cyrus interfectus & capite truncatus est, sicuti à Thracijs Mænadibus Orpheus. Philostratus testis.*

POLYCRATES Samiorum Tyrannus posteaquam *Rheneam insulam cepisset, eamq; consecrasset Apollini, constitutis apud Delphum ludis pulcherrimis, Delphos misit consulturus, vtrum oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Respondit Oraculum, ταῦτά σοι καὶ πύ-*

θια καὶ δήλια. futurum innuens, vt propediem excederet è vita. Itaq; res in Prouerbium versa.

C. IVLIO CAESARI futura cædes euiden-*tibus prodigijs denunciata est. Paucos ante menses quum in Colonia Capua deducti lege Iulia coloni, ad extruendas villas sepulchra vetustißima disijcerent: idq; eò studiosius facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta literis verbisq; Græcis hac sententia: Quando ossa Capys detecta essent, fore vt Iulo prognatus, manu consanguineorum necaretur, magnisq; mox Italia cladibus vindicaretur. Cuius rei, ne quis fabulosam aut commentitiam putet, autor est Cornelius Balbus familiarißimus Cæsaris. Suetonius.*

TITVS Imp. Oraculo acceperat, Vlyssis more se ἐκ τῆς θαλάττης *periturum. Vlysses radio Pastinacæ marinæ loco sagittæ a filio Telegono peremptus est. Titus verò leporis marini veneno à fratre Domitiano sublatus. Cælius lib. 26. cap. 30.*

IVSTINIANVS Imperator Romanorum, circa *annum Christi 533. Mundum Ducem in Dalmatiam, aduersus Ostrogothos misit, qui Salonas occupauit. Ille ibi cum Mauricio filio cùm ad speculanda castra exijsset, à Gothis cæsus, oraculi fidem impleuit, multosq; timore liberauit. Erant enim qui dicerent, fatidica Sibyllæ carmina pronunciata esse, quorum sententia, periturum cum prole sua Mundum, vbi Africa denuò armis Romanis foret recepta. Atqui tum Africam domitis Vandalis Iustinianus Rom. imperio restituerat. Hoc Sibyllæ vaticinium plærosq;*

mortales conterruerat, qui excidium orbi terrarum imminens expectabant. Verum exitus & mors Mundi Ducis, filijq́ue sui docuit, huiusmodi vaticinia, tam obscura ambiguaq́ue esse, quàm fallaces sunt eorum artifices atri genij. Auentinus lib. 3. Annat. Boiorum, & Iohan. Magnus lib. 10. cap. 14.

MANVEL COMNENVS spe longioris vitæ *deposita, monasticum habitum postulauit. Sic & vita & imperio cessit, quod annos triginta octo gubernauit, tribus mensibus demptis. Ad quod imperij spacium vetustissimum illud Oraculum alludere videtur:*

Tui prehendet te postrema nominis.

Nam ηλ postrema syllaba nominis Manuelis, apud Græcos tantum numerum complectitur. Nicetas lib. 7.

XERXES Græcos bello adortus, cum esset apud *Salaminem superatus, ipse quidem in se mouit, verum Mardonium reliquit, qui suo nomine bellum prosequeretur. At cùm hic quoque ad Platæas parum prosperè pugnasset, fugatusq́ue esset, fama vulgo inualuit, Mardonium intra ambitum tentorij sui thesaurum ingentem humo defossum reliquisse. Hac spe pellectus Polycrates Thebanus, eum agrum commercatus est. Verùm vbi iam multum diuq́ue thesaurum quæsisset, nec quicquam proficeret, Delphicum Oraculum consuluit, qua ratione posset eas pecunias inuenire? Apollo respondit his verbis:* πάντα λίθον κίνε. *Id est, vnumquemque moue lapidem. Id simul atque fecisset, multam auri vim reperisse ferunt. Hinc ortum Adagium. Erasmus in Chiliadibus.*

POST Sethonem Aegyptiorum Regem duodecim *Reges creati, sanctissimo fœdere ab initio inter se pacti,*

ne sibi alius aliј insidiarentur, sicq́ fida conspiratione Aegyptum administrarent, interim Oraculo cognitum est, vt is qui ferrea phiala in Vulcani esset templo libaturus, solus Aegypti regnum obtineret. Nec longo deinde tempore interiecto, cum fortè in Vulcani æde solenni sacro Reges omnes starent, de more libaturi, Antistes templi numero aberrans, singulis, præterquam Psammeticho, qui vltimo loco steterat, phialam obtulit: qua ille necessitate adactus, detracta sibi galea, libauit. Ferebat tum ipse, vt cæteri Reges, galeam, eaq́ re animaduersa, confestim Oraculi memoria circumstantium animos subiјt, ratiq́ id consilio factum, dignum Psammetichum iudicârunt, qui morte mulctaretur. Cæterum cum id casu contigisse cognitum est, præcipua Regni parte exutum, in palustrem Aegypti partem relegârunt cæteri Reges ea lege, vt reliqua Aegypto abstineret. Eam ignominiam ægrè tulit Psammetichus, secretaq́ consilia agitabat, vt præsentem contumeliam vlcisceretur. Ex Latone interim Oraculo, quod in Buti vrbe omnium verissimum apud Aegyptios habebatur, relatum est, fore, vt æreis viris auxiliaribus quandoq́ vsus, qui è mari affuturi essent, se Psammetichus in summam dignitatem vindicaret. Nec multum deinceps temporis processit, cum Iones Caribus mixtis prædandi studio maria lustrantes, vi tempestatis voluntario cursu excussi, Aegyptum tenuerunt. Vnus interim indigenarum eos in littus egressos conspicatus, nouitate rei commotus, trepidè Psammeticho nunciat, æreos homines adesse: cataphractum militem Aegyptiј ad id tempus nunquam viderant. Sensit ille fatale tempus adesse, confestimq́ inito cum Ionibus & sociјs fœdere, multis pollicitationibus in destinati

belli partes traxit, hisq; copÿs fretus Psammetichus, facilè Reges, à quibus fuerat relegatus, è medio sustulit, totiusq; gentis vnus est ditionem adeptus. Sabellicus lib. 4. Enneadis 2. ex Herodoti lib. 2.

MANVEL COMNENVS Imp. nato sibi filio, vt *natalem illius celebriorem redderet, ciues honoratiores (vti moris erat) ramos gestantes, conuiuÿs excepit, & puerum Alexium nominauit, non tam vt eum proaui sui nomine honoraret, quàm propter Oraculum, quod ei per ambages responsum fuerat, seriem Comneniæ familiæ duraturam tantum, quot literas nomen αἷμα complecteretur, per A. Alexius, per I. Iohannes, per M. & A. Manuel, & filius eius Alexius alter, haud obscurè significabantur. Nicetas lib. 5.*

BOEOTIA Thracum impetu & bellico furore *deuastata, redditum ÿs, qui stragibus superfuerant, ex intimo specu Oraculum. Ibi sedem firmaturos, vbi coruos albentes conspicati forent. Id verò in Thessalia mox factum ad Pagaaticum sinum. Illorum namq; oblati aspectibus sunt, Soli qui dicebantur sacri corui, quos vino madentes pueri gypso litos emiserant. Cælius lib. 17. cap. 11.*

CVM Teucri Cretenses alias sedes quærerent, & *Oraculo consulto responsum accepissent, vt illic considerent, vbi γηγενεῖς, hoc est, terræ filÿ eos adorirentur: peruagata Mysia & Cilicia, tandem in Troadem venerunt. Vbi dormientibus ipsis, magna vis agrestium murium neruos arcuum & scuta arroserunt, ita vt expergefacti arcubus vti amplius non possent. Mures igitur hostes ab oraculo prædictos arbitrati, eò loci consederunt, & oppidum Sminthen condiderunt, quoniam lingua sua σμίνθους mures vocant Cretenses. Eustathius Iliados α.*

QVOD Phryges duce Aenea in Laurentem agrum *delati, haud vlterius sint euagati, Oraculo asscribunt, quod futurum monstraret, vt ibi stabiles mansurasq́ sedes haberent, vbi fame adacti mensas absumere cogerentur. Quod non multò post ipsum appulsum contigisse memorant, vt paniceos orbes carnibus subiectos ex discumbentibus quidam panis inopia consumpserint, atq; tunc ab vno atq; altero exclamatum, defunctos esse se iam fatali errore, quando eiusmodi mensas à vescentibus consumi cõtigisset, eamq́ vocem fauore & assensu à circumstantibus exceptam. Non satis constat, vbi id responsum Troiani acceperint. Sunt qui Dodonæum fuisse arbitrentur: alij in Erythris Idæ tugurio, quod Sibylla incolebat, puella fatidica, atq; inde indigena: iussos aiunt Troas profugos ad occidentem solem nauigare, donec in eum ventum esset locum, quo mensas panis defectu consumere adigerentur. Id vbi accidisset, scirent iam adesse tempus finiendi erroris, seq́ fatalem terram attigisse. Sabellicus lib. 7. Ennead. 1.*

TARENTVM Coloniam Lacedæmonij de*duxêre, Duce Phalantho Spartano. Huic Coloniam deducturo Delphis Oraculum redditum est, cum sub Aethra pluuiam animaduertisset, tunc se agri & vrbis compotem fore. Sed cum neq; per se, quid illud responsum innueret, satis considerasset, neq; omnino quenquam interpretum consuluisset, classem in Italiam applicuit. Ibi cum Barbaros vicisset, neq; tamen vel vrbe, vel agro vllo potiri posset, Oraculi è re nata ei in mentem venit: ac planè sibi, quod fieri nullo pacto posset, Dei voce significatum suspicari cœpit, quòd scilicet nunquam euenturum esset, vt puro sereno'q́ cœlo (quam Aethran Græci vocant) plueret. Hunc*

uxor

vxor animum despondentem amanter multis modis solabatur, & eius genibus aliquando caput sustentans, dum pediculos legit, lachrymæ præ animi ægritudine, ob aduersos viri casus, & irritam spem mulieri obortæ: quare effusius flens, viri caput perfudit. Tunc primùm euolutæ sunt Oraculi ambages: Aethra enim vxori nomen fuerat. Ea itaq; nocte, quæ diem illum insecuta est, Tarentum, hostium vrbem maritimam maximam, & opulentissimam cepit. Pausanias in Phocicis.

CODRVS Rex Atheniensis è Thracia oriundus, *cum bello Peloponnesiaco Attica omnis vastaretur regio, Oraculoq́; consulto responsum esset, Victuros eos, quorum Dux hostili manu perijsset: deposito habitu regio, gregario militi assimilatus, se hostili globo obiecit: vnumq́; ex his falce percussum, in necem suam compulit. Cuius interitu factum, ne Athenæ perirent. Cicero in fine lib. 1. Tusc. quæst. & lib. 5.* de *Finibus.*

CVM Xerxes Græcis bellum inferret, Lacedæmo-*nij de belli euentu sciscitati Oraculum, à Pythia responsum tulêre, Athenas euersum iri à Persis, Spartanorum verò Regem in prælio occubiturum. Athenas relictas Mardonius occupauit. Lacedæmonij trecenti cum Leonida Rege ad internecionem cæsi sunt. Herodotus lib. 8.*

ROMANI aduersus Pyrrhum Epirotarum Re-*gem bellum gerebant, Paulus Aemylius responsum accepit ex Oraculo, victoriam se reportaturum, si aram eo in loco ædificaret, vbi hominem cursu demersum aspiceret. Post paucos dies Valerium Torquatum à terra absorptum vidit. Ibidem igitur structa ara, victor euasit, ex qua victo-*

ria centum sexaginta turres gestantes Elephantos Romam misit. Plutarchus in Parallelis.

BELLO Cimbrico Batabaces Pessinunte aduentauit, *Matris magnæ Ideæ sacerdos. Hic Deam attulit ex adyto annunciasse sibi, Victoriam populo Romano, magnumq; belli decus accessurum. Cum esset Senatus assensus, atq; ædem Deæ Victoriæ causa decreuisset, prodeunti in concionem, vt hæc ad populum ederet, Batabaci interdixit A. Pompeius tribunus plebis, præstigiatorem appellans, hominemq; cum indignitate depulit ex rostris, quæ res commendauit potissimum dicta eius. Nam simul atq; dimissa concione domum regressus Pompeius est, tanta vis occupauit eum febris, omnibus vt constaret & peruulgatum esset, eum intra septimum diem expirasse. Plutarchus in Marij vita.*

CVM bello acri & diuturno Veientes à Romanis *intra mœnia compulsi, capi non possent, eaq; mora non minus obsidentibus quàm obsessis intollerabilis videretur, exoptatæ victoriæ iter miro prodigio Dij immortales patefecerunt. Subito enim Albanus lacus, neq; cœlestibus auctus imbribus, neq; inundatione vllius amnis adiutus, solitum stagni modum excessit. Cuius rei explorandæ gratia, Legati ad Delphicum Oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus, vt aquam eius lacus emissam per agros diffunderent. Sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. Quod priusquam legati renunciarent, Aruspex Veientium à milite Rom. (quia domestici interpretes deerant) captus, & in castra perlatus, futurum dixerat. Ergo Senatus duplici prædictione monitus, eodem penè tempore, &*

religioni paruit, & hostium vrbe potitus est. Valerius Max. lib. 1. cap. 6.

CVM Dorienses Eleam repeterent, contra Au-*geæ posteros, quorum tunc Rex erat Eleus, Oraculum acceperunt, vt remigrationis Ducem Trioculum facerent. Forte obuius illi fit Oxylus, Aemone Thoantis filio genitus, exul ex Aetholia, quòd ludens disco, imprudenter hominem occiderat. Is cum mulum altero captum oculo ageret, Cresphontes acutè coniecit, Oraculum ad Oxylum pertinere. Itaque Dux electus, in Peloponnesum nauibus traijciendum, non pedestri exercitu per Isthmum irruptionem tentandam censuit. Paruêre Dorienses, & Eleam obtinuerunt. Pausanias lib. 5.*

LACEDÆMONII cum à Tegeatibus bello *semper superarentur, Oraculum consuluerunt, quémnam Deorum placarent, vt Tegeates vincerent? Respondit Pythia: Orestis filij Agamemnonis ossa Spartam referenda esse. Illis ambigentibus, & incertis de loco, in quo recondita essent, sic cecinit:*

ἔστι τις ἀρκαδίης τεγέη λευρῷ ἐνὶ χώρῳ,
ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήμασι κεῖται.
ἔνθ' ἀγαμεμνονίδην κατέχει φυσίζοος αἶα,
τὸν σὺ κομηστάμενος τεγέης ἐπιλύῤῥοθος ἔσσῃ.

Oraculum nemo intelligere poterat. Liches vnus Spartiatarum ἀγαθοεργῶν, *hoc est, Benemeritorum, Tegeam venit, & in officina fabri ærarij considens, admirabatur operas. Cui faber: Quid miraris hospes, inquit: multò magis mirareris, si sepulchrum quod ego in fodiendo puteo sub terra reperi, vidisses, in quo ossa septem cubitorum longi-*

tudine conspexi, & terra iterum obrui. Liches statim Oraculum tacitus secum repetit, duos fabri folles, duos esse ventos: Incudem verò antitypum, patiendo enim reagit: malleum typum, quia incudem percutit. Malum primò paßiuè, quòd à malleo pateretur: deinde etiam actiuè, quia ad hominis perniciem esset iuuentum. Hæc secum cogitans Liches, cum Lacedæmonijs re communicata, profugum se simulans, ad Tegeates reuertitur, cortemq́ fabri conducit precio: & clam Orestis ossa effossa Spartam refert. Inde factum, vt Spartani Tegeates postea bello superârint, eodem ferè tempore, quo Cyrus Crœsum Regno exuit. Herodotus lib. 1.

TIBERII Imperatoris temporibus editum est *Romæ Oraculum his verbis:*

Bis ter trecentis circumuoluentibus annis,
Seditio perdet Romanos————————

Quod Neronis tempore factum putârunt. Eadem enim Oraculi verba, cum post vrbem à Nerone miserè incensam populus recitasset, Nero populi consulendi causa, hos versus nusquam repertos esse dixit. Quo facto populus hunc versum verò Sibyllinum cecinit:

Vltimus AEneadum matrem necat Induperator.

Id quod accidit, siue verè prædictum diuino Oraculo, siue afflatu multitudinis ex statu rerum qui tum erat. Nam vltimus Nero ex Iulij familia, quæ ab Aenea profecta erat, regnauit. Xiphilinus in Nerone.

PAVLO ante aduentum Hispanorum in Ame-*ricam, Rex insulæ, quam pòst de inuentorum nomine Hispaniolam dixêre, Idolum Zemi consuluit, vt ieiunio quinque dierum religiosè obito, flagellis etiam laceratus, quid*

de Regno à suo obitu futurum esset? Respondit Dæmon: Venturos homines barbatos, vestitos, Regnum per vim subacturos, vno ictu gladijs suis multorum corpora dissecaturos, seruitute grauissima oppressuros incolas. Hoc Oraculum Rex, ad placandam Deorum iram, carmine comprehendi, quod Arentum vocant, & festis diebus cum solenni ceremonia cantari voluit. Itaq; multi incolarum, vbi Hispanos primum aduentantes vidêre, fuga sibi consuluerunt, Oraculi memoria. Petrus Cieza, tomo 2. rerum Indicarum, cap. 33.

SARDANAPALVS Assyriorum Rex, ab Arbace *Medo in vrbe Nino obsidebatur. Erat responsum progenitoribus datum, nunquam Ninum capi posse, nisi cum fluuius vrbi hostis fieret. Quod nunquam futurum ratus, spem ceperat obsidionis ferendæ, & simul futura auxilia expectabat. Cum duobus annis obsidio perseuerasset, per summum ocium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens supra modum fluuius, cum partem vrbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginti. Hic Rex existimans tempus Oraculi aduenisse, desperata salute, ne in hostium potestatem veniret, Regia incensa, se cum charissimis quibusq; exussit. Arbaces per murorum ruinas ingressus Rex creatus est. Diodorus lib. 2. cap. 7.*

HESIODO poëtæ datum fuerat Oraculum, vt *Nemæi Iouis templum fugeret. Cum ergo Nemeam Peloponnesi fugeret, fortè in Oeneonem Locridis peruenit, vbi Nemeæi Iouis templum fuerat. Eo in loco incautus ab Amphiphane & Ganetore Physigei liberis interemptus est, quòd ab eo vitiatam sororē crederent, & ex eo stupro natū esse Stesichorum. Thucyd. apud Gyrald. Dial. 2. hist. poët.*

EPAMINONDAS Thebanus acceperat ex Delphici *Apollinis Oraculo, Pelagus sibi cauendum. Quare fuit illi præcipua cautio, ne aut triremibus, aut oneraria vnquam manu veheretur. At præmonuerat Dæmon, non mare, sed saltum eum deuitandum ad Mantineam, cui Pelagus nomen, vbi occubuit. Pausanias in Arcadicis & Suidas.*

CAMBYSI Persarum Regi Oraculum Latonæ *ex vrbe Buti datum erat, eum in Ecbatanis vita excessurum. Intelligebat ille Ecbatana Medæ. At cum in Syria ageret, post interfectum Aegyptiorum Deum Apim, equum conscensurus, gladius vagina nudatus, in femore Regem vulnerauit. Metu & dolore territus, quod nomen vicina vrbs haberet, interrogauit. Vbi Ecbatana esse cognouit, errorem suum agnoscens, desperabundus obijt. Herodotus lib. 3.*

PHILIPPO Macedoniæ Regi mortem Pythia *prædixit:*

*Taurus adest, & finis adest, prieti ministe*r.

Et Græcis pariter:

O vtinam fierem Iouis ales in æthere, iuxta
Thermodoontis aquas, procul vt bella horrida ab alto
Despicerem. Victus flet, at hic qui vicit, obiuit.

Anceps hoc dictum Philippus in rem suam interpretatus est, veluti ab Oraculo prædiceretur, Persam victimæ instar mactatum iri. Sed res secus se habebat, contrariumq́; significabatur: Philippum scilicet in hominum conuentu, inter ipsa Deorum sacrificia, vti coronatum taurum interfici debere. Lætus proinde agebat, Deos sibi auxiliares, ad Asiam in seruitutem Macedoniæ trahendam, fore existimans.

Cum ampla sacrificia in Deorum honore perageret, & Cleopatræ ex Olympiade vxore filiæ, Alexandro Epirotarum Regi Olympiadis fratri desponsatæ, nuptias Aegis Macedoniæ vrbe celebrare instituisset, atq; plures ex tota Græcia ad geniale conuiuium conuenirent, magnificentissima certamina musica, & conuiuia ad amicos & hospites accipiendos lautissima faceret, in medijs sacris alba indutus veste, à Pausania vno ex stipatoribus cæsus est, ad Thermodonta fluuium, ad Chæroneam, vbi paulò antè contra Græcos insigni victoria potitus fuerat. Indignè autem ferebat Pausanias, quod de illato sibi stupro ab Attalo Olympiadis nepote questus, à Rege insuper irrisus fuisset. Diodorus libro 16. & Pausanias in Arcad.

IDEM cum consuluisset Delphicum Oraculum, *Quid euitandum sibi esset, quò ad iustam perueniret senectutem? Pythia Quadrigas vitare iussit. Quo audito, toto regno suo cum omnes quadrigas amoueri iussisset, locumq; in Bœotia, qui Quadriga vocatur, non adire vellet, demum à Pausania, qui quadrigam in capulo gladij cælatam habebat, occisus est. Valer. Max. lib. 1. cap. 8. & Cic. de Fato. Plutarchus in Alexandro. Alij dicunt, cum circuiret Thebaicam paludem, cui Currus nomen erat, trucidatum esse.*

AESCHYLVS tragicus Atheniensis Oraculo *acceperat, ex ictu desuper sibi pereundum esse. In Sicilia igitur exul, tecta vitabat, ne ruina illorum opprimeretur. Accidit vt ruri saxo insideret, capite detecto. Quod cum sublimè volans aquila, Morphos dicta (cui testudines raptas frangere peculiare est) caluitij nitore elusa, saxum esse putaret, testudinem marinam ei illisit. Eo ictu Aeschylus perijt. Idem lib. 9. cap. 12.*

DAPHIDAS Sophista, cum Delphicum oraculum ironicè consuluisset, an equum inuenire posset quo veheretur? Oraculum, posse equidem equum inuenire, respondit, sed vt eo perturbatus periret. Mox igitur cùm ad Attalum Regem venisset, quem grauiter olim offenderat, deprehensus, & de saxo, cui Equi nomen erat, præcipitatus est. Cicero de Fato, & Valerius Max. lib. 1. cap. de Miraculis.

CVM Dionysius superior Syracusiorum tyrannus Athenis in festo Bacchanalium tragœdiam edidisset, & victor declaratus suffragijs fuisset, quidam ex cantoribus Chori, splendidum honorificumq; munus se accepturum ratus, si primus hoc nuncium attulisset de victoria, nauigauit Corinthum. Ibi cum inuenisset nauem, quæ in Siciliam itura esset, conscensa ea secundis ventis vsus est, cumq; appulisset Syracusas, continuò retulit tyranno victoriam. Dionysius nuncio muneribus affecto, magnam lætitiam ex ea re cepit, gratulatoriaq; sacrificia Dijs offerens, compotationes & conuiuia magno cum apparatu celebrauit. Cum autem inuitasset amicos atq; familiares suos, & inter pocula nimium vino indulsisset, in grauissimum morbum delapsus est, propter ingurgitati vini copiam. Cum verò responsum à Dijs immortalibus accepisset, quod nunc moriturus esset, cum meliores superasset. Ipse in eum sensum accipiebat oraculum, vt referret ad Carthaginenses, eos se meliores fortioresq; esse arbitratus. Quamobrem sæpe etiam habito cum ijs conflictu, si res ad victoriam spectare videretur, subterfugere solebat, & vltrò vinci, ne fortioribus superior fuisse videretur. Verum non potuit hac versutia fati necessitatem infringere. Sed

cum

cum esset parum bonus poëta, vicisse meliores poëtas Atheniensium suffragijs iudicatus est. Itaque conuenienter oraculi veritas præstita est, vt cum meliores sese vicisset, statim vitæ terminus sequeretur. Diodorus lib. 15.

ALEXANDER Epiri Rex accitus in Italiam à *Tarentinis, Dodonæi oraculi sortibus iussus erat Acherusiam cauere, Pandosiamque vrbem. Ibi fatis eius terminum dari. Hæc illi causa fuit in Italiam maturius transmittendi, vt procul esset à Pandosia, Epiri vrbe, & Acheronte eiusdem fluuio, quem ex Molosside fluentem in inferna stagna accipit Thesprotius sinus. Cæterum fatali necessitati humana prouidentia non repugnat, ruiturque sæpius fugiendo in ipsa fata. Vicerat sæpe acie Alexander Brutios & Lucanos, ceperatque non paucas eorum vrbes, &c. Interea tres haud procul Pandosia vrbe tumulos ad Lucanos & Brutios fines infestandos communiuerat, atque inde quaque versum premebat. Assidui autem imbres adeò interiacentibus campis inundauerant, vt exercitu trifariam intercluso, nulli alijs ferre auxilium possent. Eam occasionem amplexi hostes, Alexandro opem suis ferre nequeunte, duo præsidia expugnant, inde Ducem ipsum magna copiarum parte exutum obsidione cingunt. Erant ex Lucanis exulibus circa Alexandrum circiter 200. Hi pacto occultè cum suis reditu, regem se aut viuum aut mortuum in eorum potestatem daturos pollicentur. Interim Rex ipse magnum facinus ausus, per medios hostes cum delecta manu erumpit, Ducemque Lucanorum comminus congressum obtruncat, contrahensque suos in vnum, denso globo ad amnem peruenit, cuius pontem vis aquarum non multò antea discusserat. Hic cum incerto vado transitum me-*

ditaretur, miles labore fessus, nomen fluminis Regi abominandum fortè protulit, Iure, inclamans, Acheron nominaris, quæ vox auribus excepta, ingentem Regi dubitationem iniecit, an fluuium transiret. Eum ita cunctantem Sotinus minister admonet, Lucanos quærere locum insidijs. Quos vbi ille respiciens in se ruere animaduertit, exerto gladio in flumen desilijt: Iam equus eum in aduersa ripa statuerat, quum Lucanorum vnus veruto transfixit. Eum labentem aquarum impetus, hærente hasta, in hostium præsidia exanimem traxit: ibi fœda corporis laceratio facta, medioq; præciso partem Consentiam misêre, alteram ad ludibrium seruatam, quum saxis & iaculis diutius incessissent: postremò mulierculæ condonârunt, quæ vt virum & liberos, qui captiui apud hostes erant, reciperet, cremati corporis ossa Metapontum ad hostes transmisit, vnde ad vxorem Cleopatram sunt & Olympiadem sororem missa, Magni Alexandri matrem. Strabo libro 6. Valerius Max. lib. 1.

ORACVLVM ex Iouis Ammonis fano vetus *de Annibalis clarissimi Carthaginensium Ducis exitu fuit.*

Libyssa corpus teget tuum.

Annibal Africam suspicabatur, & sepulturam Carthagine, quasi vitam illic transacturus. Est autem locus Bithyniæ sabulosus iuxta mare, nec procul exiguus vicus, Libyssa dicitur: ibi forte agebat Annibal exul, qui quòd Prusiæ Regis semper suspectam mollitiem haberet, & horreret Romanos, septem exitibus subterraneis iam ante domum ex tabernaculo suo aperuerat, aliò alijs cuniculis, omnibus procul tamen occultè se efferentibus. Vt igitur præceptum T. Quintij Flaminij legati Romani Annibalem sibi dedi à

Rege

Rege postulantis accepit, tentauit per cuniculos fugam, verùm cum in custodias Regni incidisset, statuit mortem sibi ipsi consciscere. Nonnulli referunt pallio eum collum obuoluisse, iussisseq; seruo, vt infixo clunibus genu valideq; impresso stringeret id, & contorqueret, quoad eliso spiritu necasset se. Liuius lib. 8. Decad. 4. venenum tradit eum, quod penes se habebat miscuisse, sumptoq; calice dixisse: Liberemus tandem diuturna cura populum Romanum, quando mortem inuidiosi senis expectare longum & graue censuit. Hoc modo periisse Annibalem ferunt. Plutarchus in Flaminio. Pausanias verò in Arcadicis, eum, cum in equum ascenderet, sponte ense nudato digitum læsisse, atq; inde non multorum sanè stadiorum itinere confecto, cum eius vulneris inflammationem febris esset consecuta, tertio post die interiisse. Et sic oraculi vocem fatalis vici nomen impleuisse, quem Libyssam Nicomedienses appellabant.

APPIVS CLAVDIVS, bello ciuili, quo Cn. *Pompeius à Cæsaris concordia, pestifero sibi, nec Reipublicæ vtili consilio abruperat, euentum grauißimi motus explorare cupiens (viribus namq; imperii Achaiæ praeerat) Antistenem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem coëgit descendere, vnde vt certa consulentibus sortes petuntur, ita nimius diuini (Diaboli potius) spiritus haustus reddentibus pestifer existit. Igitur impulsu capti numinis instincta virgo, horrendo sono vocis Appio inter obscuras verborum ambages fata cecinit: Nihil enim, inquit, ad te hoc Romane bellum, Eubœæ cellam obtinebis. At is ratus consiliis se Apollinis moneri, ne illi discrimini interesset, in eam Regionem secessit, quæ inter Rhamnun-*

ta, nobilem Attici soli partem, Caristumq; Chalcidico freto vicinam, interiacens, cella Eubœa nomen obtinet, vbi ante Pharsalicum certamen morbo consumptus, prædictum à Diabolo locum sepulturæ possedit. Valerius Max. lib. 1. cap. 8.

C. CALIGVLÆ fortunæ Antianæ responderunt, *vt à Caßio caueret. Itaq; Caßium Longinum Iurecons. tunc Asiæ Proconsulem, interfici delegauerat. Sed antequam imperio eius satisfieret, à Caßio Chærea interfectus, fatum vitare non potuit. Rutilius in vita Caßij.*

MICHAEL COMNENVS Palæologus Imp. *morbo cordis correptus, fertur mortis metu, eos qui adessent percontatus esse, quo nomine locus ille vocaretur? Cum Pachomij & Allages nomen audijsset, cum alto suspirio dixisse, Hic sibi finem instare, vitaq; mutationem fato decretam esse: & seipsum grauiter accusasse, quod non ita pridem honestum quendam virum nomine Pachomium excæcasset, propterea quod vulgo ferebatur oraculum de Imperatore, sub vitæ mutationem Pachomium illi successurum: quo deceptus, & imperij cupiditate amens, Pachomium imperio inutilem efficere festinârat. Gregoras lib. 5.*

VRBEM olim in Olympo celebrem Libethra *nomine fuisse aiunt, qua mons in Macedoniam se immittit. Ab ea vrbe non longè Orphei monimentum abesse. Libethrijs olim è Thracia à Liberi patris oraculo responsum allatum, à sue vrbem deletam iri, cum primum Orphei ossa Sol aspexisset. De hoc illos Oraculo solitos esse oportere se nihil putâsse, quod nullam omnino feram vel tantam, vel tantis præditam viribus existere posse crederent, quæ vrbem eiusmodi posset excindere, cum ea non*

magis fiducia quadam, quàm suo robore niteretur. Atqui vbi Dijs visum est, hæc acciderunt. Pastor quidam meridie recubuit fessus ad Orphei tumulum. Is cum fortè somno se dedisset, in somnis cœpit Orphei versus magna & suaui voce decantare. Ea voce qui proximis locis vel pascebant, vel forte arabant, commoti, intermisso opere, ad illam dormientis pastoris cantilenam accurrerunt. Ibi cum ita, vt fit, alterum alter trudentes impellerent, dum propius quisque ad pastorem certant accedere, columnam euertunt. Ea ruente fracta est vrna: quo factum, vt Orphei ossa Sol aspiceret. Ea deinde, quæ insecuta est, nocte, ingenti aquæ vi de cælo effusa, Sus amnis (vnus hic est de Olympi torrentibus) Libethriorum muros deiecit, sacras & profanas ædes euertit, homines ipsos, & animalium cuncta, quæ intra mœnia fuerunt, extinxit. Pausanias in Bœoticis.

SIPHNII insulares propter fodinas metallicas maximum thesaurum congesserant, & decimas illius quotannis Delphos mittebant. Consuluerunt Oraculum, diúne præsentibus bonis frui possent? Pythia respondit:

ἀλλ᾽ ὅταν ἐν σίφνῳ πρυτανήεια λευκὰ γένηται,
λευκοφρύς τ᾽ ἀγορὴ, τότε δὴ δεῖ φράδμονος ἀνδρὸς
φράσσασθαι ξύλινόν τε λόχον, κήρυκά τ᾽ ἐρυθρόν.

Oraculum euentus confirmauit: Habebant eo tempore Siphnij forum, atque Prytanæum ex candido marmore Pario extructum. Samij cum velocissimè ad Siphnum applicuissent, miserunt ad vrbem cum Legatis nauem, quæ (vt naues antiquæ omnes) rubrica delibuta erat. Nuncij decem talenta mutuò petebant. Negantibus Siphnijs, eorum agros populati sunt Samij, eosque ex vrbe egres-

sos caciderunt, multosq; ceperunt, quos centum talentis Siphnij redemerunt. Tunc tandem, quamuis serò, oraculum intellexêre, ligneum agmen & rubrum legatum nauem esse hostilem. Herodotus lib. 3.

MESSANENSIBVS in Sicilia olim datum fuerat *Oraculum, Carthaginenses vrbis suæ lixas futuros. Itaq; arbitrabantur Carthaginenses vrbi Messanæ ministeria pro seruis obituros, atq; inter seruitia Messanensibus habendos. Qua spe sublatis animis, Hamilcari Carthaginensium Duci magna confidentia sese opponere ausi fuêre. Verùm capta vrbe, serò tandem Oraculi ambiguitatem intellexêre. Hamilcar enim Carthaginensibus militibus tanquam seruis mandauit, vt ædificia cuncta diruerent, solo æquarent, neq; tegulas, neq; ligna, nec materiæ quicquam incorruptum dißipatumq; vsquam relinquerent, igni absumerent, contusa obtritaq; dispergerent. Nec vlla cuiquam cunctatio ad mandata fuit. Tanta simul ad diruendos parietes, & euertendas ædes properante ac feruente multitudine, breui peractum opus, obliterata protinus monumenta omnia, deletaq; loci species, ac solum, vbi vrbs prius steterat, prostratum adeò proculcatumq; apparuit, vt vix vlla habitationis vsquam vestigia discerni possent, &c. Diodorus lib. 14.*

PHOCENSES graui bello Thessalorum propemodum *attriti, misere Delphos, qui de periculo propulsando Oraculum consulerent. Qui mißi fuerunt, tale retulerunt responsum.*

Mortalem atq; Deum iubeo decernere ferro:
Victor vterq;, aliud sed enim mortalis habeto.

Phocenses ignari quid sibi vellet oraculum, trecentos spe-

culatores emittunt. Qui omnes ad internecionem cæsi sunt cum Gelone Duce suo. Ingentem ea clades pauorem in castra pertulit. Atque eò ventum est desperationis, vt coniuges, liberos, fortunas cæteras, quas agere quisque aut ferre posset, vestem, aurum, argentum, Deorum signa in vnum coëgerint: ibi maximo extructo rogo, viros 30. duntaxat reliquerunt, quibus imperârunt, si ita accidisset, vt quid ad prælium exissent, hostibus succumberent: primò fœminas ac impuberes omnes iugularent: deinde quas congesserant opes in rogum coniicerent, atque in eas ignem immitterent: postremò & ipsi vel mutuis confoderent se vulneribus, vel vltro in medium hostium equitatũ ruerent. Ex eo sæua omnia & immania consilia, Græcorum verbo Phocica desperatio appellari cœpta. His ita constitutis Tellia Elei vatis consilio contra Thessalos copias educunt. Deuoti igitur in hostem irruunt, & extrema desperatione acti, victoriam adepti sunt, omnium quæ quibusuis ante populis euenissent maxime insignem. Ac tunc Apollinis ambiguum illud responsum omnibus innotuit. Cum enim vtrinque de more à Ducibus militi tessaræ darentur, fortuito ad Oraculi verba appositæ datæ sunt: à Thessalis Itonia Mineruæ, à Phocensibus gentis auctor Phocus. Pausanias libro 10.

LACEDAEMONII optimis & sanctissimis *legibus à Lycurgo acceptis, post eius mortem non contenti amplius ocio frui, cum se Arcadibus præstantiores esse arbitrarentur, de omni illorum terra occupanda Pythiam consuluerunt. Quibus illa respondit:*

ἀρκαδίω μ' αἰτεῖς ἢ μέγα μ' αἰτεῖς. ὔτε τοι δώσω.
πολλοὶ ἐν ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν,

οἵ σ᾽ ἀποκωλύσουσιν. ἐγὼ δέ τοι οὔ τι μεγαίρω.
δώσω τοι. τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι,
καὶ καλὸν πεδίον σχοίνῳ διαμετρήσασθαι.

Hæc responsa vbi accepêre Lacedæmonij, à cæteris Arcadibus abstinentes, bellum intulêre Tegeatibus, ferentes secum compedes: videlicet captioso freti oraculo, tanquam essent ipsi redacturi Tegeatas in captiuitatem. Verum congreßi prælio ac fugati, quicunque eorum viui sunt capti, eisdem quas ipsi attulerunt compedibus indutis, campum Tegeatem metiti fune coluerunt. Compedes quibus vincti fuerant, ad nostram vsque memoriam fuêre circa templum Mineruæ Aleæ, apud Tegeam suspensæ. Herodotus libro primo.

CLEOMENI Spartanorum Regi Oraculum *Delphicum responderat, eum Argos esse capturum. Sperabat ille, vrbem Argos sese euersurum. At cum Argios in aciem progressos, in luco quodam conclusos igni iniecto cremâsset, & cuius Dei lucus ille esset, interrogâsset: vbi Argi esse cognouit, ab Apolline se delusum conquestus omnem Argos potiundi spem abiecit. Herodotus libro 6.*

PHILOMELVS Phocensis capto Delphico Oraculo, *Pythiam vt aliquid sibi de patriæ rebus prædiceret, cogere cœpit. Ad cuius asperitatem offensa mulier, cum dixisset, ei licere facere quod vellet: lætus plurimum, verbum id, vt oraculum rebus suis aptißimum, accepit Philomelus, statimque ex scriptura illud in propatulo posuit, & paßim vulgauit, sibi à Deo licentiam datam faciendi quod vellet. Postmodum concione vocata, quid sibi responsum esset exposuit: adhortatusque vti firmiores animos haberent, ad belli negocia se totum conuertit. Factum est*

& ei in Apollinis templo ostentum huiusmodi: Aquila ædem superuolans, in terram se deuoluit, educatasq́ in templo columbas persequebatur, vt earum aliquot ex ipso altari arripuerit. Idipsum earum rerum periti, Philomelo & Phocensibus fortunatum exitum Delphici belli portendere affirmabant. Quod Nouennio durauit varia fortuna ad extremum tamen cum Phocensium excidio. Diodorus libro 16.

CROESVS consulto Oraculo Delphico, *nunquid diuturnum habiturus esset imperium, à Pythia responsum accepit:*

ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς μήδοισι γένηται,
καὶ τότε Λυδὲ ποδαβρὲ πολυψηφῖδα παρ' ἕρμον
φεύγειν, μήδε μένειν, μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Crœsus nunquam sperans fore, vt apud Medos mulus pro viro regnaret, imperium æternum sibi ipsi pollicebatur: non intelligens per mulum significari Cyrum, quippe qui ex duabus diuersis gentibus ortus erat, generosiore matre Mandane, quàm patre Cambyse. Nam illa quidem Meda erat, Astyagis Medorum regis filia. Hic autem Persa, & Medis subiectus. Herodotus lib. 1.

ARCESILAVS cum Pheretima matre regno Cy*renæorum pulsus, Sami agens, vnumquemq́ sollicitabat ad spem rei agrariæ, coactoq́ ingenti exercitu, missus est Delphos ad consulendum de reditu in patriam. Cui Pythia ita respondit: Ad quatuor Battos ac totidem Arcesilaos octo hominum ætates dat vobis Apollo Cyrene regnare, vlterius vos conari dehortatur. Tibi verò suadet, vt ingressus in domum tuam, quietem agas. Quòd si fornacem inueneris plenam amphorarum, ne eas excoquas, sed ad*

auram emittas. Sin fornacem incenderis, ne committas vt circumfluum introëas, alioqui peribis tu pariter, & taurus optimè opus faciens. Arcesilaus sumptis ijs quos contraxerat è Samo, redijt Cyrenem, recuperatoq; rerum statu, immemor oraculi factus, vocatis ad dicendam caussam aduersarijs, comprehensos in Cyprum ad necem mittebat, quos Cnidij ad suam terram appulsos liberauerunt, & ad Theram dimiserunt. Quosdam, qui in grandem quandam & priuatam Aglomachi turrim refugerant, circumdata materia Arcesilaus igni cremauit. Hoc perpetrato, agnoscens id esse oraculum, quo Pythia non sinebat eum inuentas in fornace amphoras excoquere, excessit vltrò ex vrbe Cyrene, extimescens necem oraculo prædictam, & quod Cyrenem existimaret esse circumfluam, contulitq; se ad Regem Barcæorum, nomine Alazerim, cuius filius in matrimonio habebat cognatam suam. Et quidam tum Barcæi tum Cyrenæi exules, cum in foro agentem animaduertissent, obtruncarunt, & insuper eius socerum Alazerim. Herodotus lib. 4.

NERO Cæsar portendi sibi mutationem status *à Mathematicis acceperat, qui in hoc concordes, in eo discordabant, quænam fortuna imperio deiectum exciperet. His æger Delphicum oraculum experiri statuit. Responsum est, annum 73. caueret. Quod cum audisset, homini inconsiderato, & vix tricesimum ætatis supergresso, tanta securitas incesserat, vt iam nil metuens, & prosperitatem & ætatem sibi integram sponderet, quasi ante prænunciatum tempus ab Apolline mori non posset, eodemq; vanitatis & insolentiæ raptus est, vt preciosissimis quibusdam de rebus maritima tempestate deperditis, affirma-*

ret

ret, eas ad se vel piscium obsequio reuersuras. Talibus intumuerat erroribus, cum subitò ab omnibus destitutus, & ad turpissimam compulsus est mortem, vtique consiliario dignus Apolline: quamuis mendacij parens, ne quid mentitus videretur, consuetis ambagibus atque arte prouiderit, quòd ipse Nero suprema illa nocte, audito clamore militari, suum execrante, & Galbæ nomen celebrante, serò licet quiuerit intelligere, & ad infelicitatis suæ cumulum auctorem oraculi veridicum opinari, Galba enim successor tertium & septuagesimum annum agebat. Petrarcha ex Suetonio.

XERXES DARII filius, effosso vetusto Beli *monumento, vitream vrnam reperit, vbi iacebat in oleo mortuus: non tamen plena fuit vrna, vacuumque à summis labris ferè palmæ spacium habuit. Adiacebat vrnæ columna exigua, in qua scriptum continebatur, Eum qui sepulchrum aperuisset, neque repleuisset vrnam, pessimè habiturum. Quo lecto, Xerxes expauit, & oleum celerrimè iussit infundi, non tamen impletum est. Iterum infundi iussit, neque sic incrementum accepit. Donec frustratus omni labore infundendi, cessaret: clausoque monumento, summa cum mœsticia discederet. Quinquaginta myriadum exercitu aduersus Græcos conscripto, magnam cladem accepit, reuersusque turpissima morte vitam finiuit, noctu in stratis à proprio filio interemptus. Aelianus ex Herodoti lib. 3.*

SYLVESTER II. GILBERTVS antea vocatus, *natione Gallus, malis artibus (vt aiunt) pontificatum adeptus est. Adolescens enim & Floriacensi cœnobio in Aureliana diœcesi posito dedicatus monachus & addictus, re-*

licto monasterio, Diabolum secutus, cui se totum tradiderat, Hispalim ciuitatem Hispaniæ bonarum artium causa peruenit. Erat enim admodum doctrinæ & literaturæ cupidus: qua in re tantum profecit, vt breui ex discipulo optimus præceptor sit habitus. Discipulos autem eius hos fuisse Martinus testatur, Robertum Franciæ Regem, Lotharium virum nobilitate & doctrina insignem, qui postea Senonensis Archiepiscopus creatus fuit. Gilbertus igitur ambitione, & diabolica dominandi cupiditate impulsus, largitione primò quidem archiepiscopatum Remensem, inde Rauennatem adeptus, Pontificatum postremò, maiore conatu adiuuante Diabolo, consecutus est, hac tamen lege, vt post mortem totus illius esset, cuius fraudibus tantam dignitatem adeptus erat. Nam cum Gilbertus regnandi cupidus, Diabolum sciscitaretur, quamdiu Pontificatu victurus esset, respondit humani generis hostis ambiguè, vt solet: Si non attigeris Hierusalem, diu viues. Dum itaq; pontificatus sui anno quarto, mense vno, die decimo in basilica sanctæ crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato se moriturum statim cognouit: Vnde pœnitentia motus, & errorem suum coram populo fassus, omnes primò posthabita ambitione & diabolicis fraudibus, ad benè & sanctè viuendum adhortatus est.

CVM maritima Atticæ vastarent Bœoti, & A*thenienses aduersus Aeguinam expeditionem inirent, aduenit è Delphis oraculum, vt ab Aeginetis lædendis triginta abstinerent: tricesimo anno cum fanum Aeaco dicassent, bellum cum Aeginetis inchoarent, ad votum eis res successura. Sin bellum continuò inferrent, fore vt interea multa detrimenta acciperent & inferrent, sed ad*

extremum illos subigerent. Hoc oraculum Athenienses vbi audiuêre, Aeaco fanum dicârunt, quod nunc in foro extructum visitur: sed triginta annis non esse abstinendum censuerunt, quòd videlicet audissent esse fatale, multa se passuros indigna ab Aeginetis, si bello abstinerent. Herodotus lib. 5.

PERSICORVM MAGORVM sapientia, ac diuinandi *notitia multorum monumentis celebratur, qui cum alia multa, tum Artaxerxis Ochi sæuitiam aduersus subditos & cædem ex signis quibusdam arcanis prædixerunt. Nam cum Artaxerxe patre vita functo, regnum Persarum Ochus capesseret, magi cuidam ex Eunuchis præceperunt, vt posita mensa animaduerteret, quibus rebus ex obiectis Rex primum manum iniiceret. Qui cum oculos in hoc attentos haberet, Ochus vtraq; manu protensa, dextra vnum ex adiacentibus cultris arripuit: altera maximum panem accepit, quem carnibus impositum scidit, & alacriter comedit. Quibus auditis, Magi hæc duo vaticinati sunt, frugum tempestiuam fertilitatem, atq; annonæ copiam illo regnante, & cædium frequentiam, neq; falsi fuerunt. Aelianus lib. 2. de varia historia, & Diodorus lib. 17. Bibliotheca.*

APVD Pædasenses, qui super Halicarnassum habitant, *hoc fertur contingere, vt quoties Amphyensibus (qui circa eam vrbem habitant) aliquid aduersi certum intra tempus est euenturum, tunc Antistiti, quæ illic Mineruæ est, grandis barba nascatur: quæ res bis apud eos accidit. Herodotus libro 8.*

BELESES Chaldæus Arbacem Medum ad *inuadendum regnum Babyloniorum hortatus est, & vi-*

ctoriam ei certam promiserat, quam biennio post, multis vtrinq; cladibus datis & acceptis, obsesso in vrbe Nino Rege Sardanapalo, & præ desperatione ad Regiæ incendium adacto, cum imperio obtinuit. Diodorus lib. 2. cap. 7.

THALES Milesius cum ex futuro Vergiliarum ortu, *sequentem annum oleis vberrimum fore perspexisset, venditores præoccupauit, diu antè olearum eius anni fructibus emptis, haud admodum grandi precio: quod aliquot iam annis antè vber olearum fuerat prouentus. Itaq; cum, vt ipse præuiderat, eo anno copiosæ oleæ, sequente verò infœcundæ fuissent, ingens lucrum fecit. Fulgos. libr. 8. cap. 11. & alij. Plinius Democrito hoc tribuit, & idem Sextium Romanum Athenis fecisse testatur. Idem corpus suum iussit poni in abiecto quodam & contempto loco agri Milesij, cum ibi aliquando forum Milesiorum fore præuideret. Plutarchus in Solone.*

MNESARCHIDI BOEOTO cauponi à Chaldæis *responsum fuit, Euripidem filium victorem in certaminibus fore. Proinde filium in gymnicis certaminibus exerceri voluit. At postea ad Tragœdias scribendas conuersus, omnium victor extitit. Gellius libro decimo quinto capite vigesimo, ex Theopompo recenset.*

AVGVSTI Imperatoris ortus incidit in eum *diem, quo de coniuratio Catilinæ in curia agebatur. Quò cum tardiuscule Octauius pater venisset, excusaretq; vxoris puerperium, P. Nigidius, natali hora inspecta, affirmâsse dicitur, Dominum terrarum orbi natum. Ipse cùm Apolloniæ esset, Theogenis Mathematici pergulam cum Agrippa ascendit. Sed cum multa & magna Agrippæ prius consulenti Theogenes prædixisset, metu ac pudore,*

ne mi-

ne minor in illo inueniretur, vix compelli potuit, vt suam vulgaret genesim. Qua edita, Theogenes continuò exiluisse fertur, atq; eum adorasse. Quæ res tantum illi fiduciæ attulit, vt suum postea vulgauerit thema, numumq; argenteum nota sideris capricorni, quo erat natus, percusserit. Sabellicus libro octauo, Enneade sexta, ex Suetonio.

CVM Liuia peperisset Tiberium, Scribonius *Mathematicus præclara spopondit: etiam regnaturum quandoq;, sed sine regio insigni, ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum potestate. Suetonius.*

TIBERIVS Cæsar in Rhodo insula, artis Chal*dæorum gratia, Magistrum Thrasyllum habuit. Quoties super negotio consultaret, edita domus parte ac liberti vnius conscientia vtebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per auia ac derupta (nam saxis domus imminebat) præcesserat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset. Et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subiectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Thrasyllus ijsdem rupibus inductus, postquam percunctanti Tiberio imperium & futura solerter patefecit, interrogatur, an suam quoq; genitalem horam comperisset, quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spacia dimensus, hærere primò, deinde pauescere: & quantum introspiceret, magis ac magis trepidus, admiratione & metu postremò exclamat, ambiguum sibi ac prope vltimũ discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum etiam incolumem fore dixit. Die quodam cum eo iuxta mare deambulans, enixè vt meliora speraret, hortabatur. Tiberius verò*

cum contra ſentiret, & Auguſti vitrici ſui iram metueret, atq; parum abeſſet, quin, vt erat ira ſuccenſus, eum in mare præcipitem daret: Thraſyllus aliquantiſper conſtitit, conuerſisq; ad mare oculis, vt Rhodum verſus venientem vidit nauem, affirmare auſus fuit, ea naui felicia Tiberio afferri. Naue in portum delata, literas ab Auguſto Liuiaq; Tiberius accepit, quibus Romam reuocabatur. Dion in Auguſto.

CLAVDIVS Princeps, paulò ante mortem, cum *Conſules deſignaret, menſem illis, quo moriturũ ſe præſagiebat, metam ſtatuit: conſilioq; nouiſsimo filios ſuos, vt fraternè viuerent, obteſtatus, Senatui commendauit: deniq; pro tribunali ſedens, licet abhorrentibus qui aderant, & lætiora precantibus, ſeſe ad mortalitatis terminum perueniſſe iterum iterumq; profeſſus eſt. Suetonius.*

NERO cum manè ante Solis exortum naſceretur, *Aſtrologus quidam inſpecto ſiderum curſu, ſtatim reſpondit, hominem Romæ regnaturum, ſed occiſurum matrem. Quod cum Agrippina mater intellexiſſet, Interficiat, inquit, modò imperet. Euentus Aſtrologum vera prædixiſſe declarauit. Xiphilinus in Nerone.*

ASCLETARION Mathematicus ad Domitianum *Imperatorem delatus, quod de eius exitu quædam prædicere eſſet auſus, cum ne inficiaretur quidem iactaſſe ſe, quæ ex arce præuiſa ſibi eſſent, ira accenſus Domitianus, Dicas mihi, inquit, oportet, quis te tandem maneat exitus? affirmantem illum, fore vt breui laceraretur à canibus. Ad eleuandam ſcientiæ fidem confeſtim interfici iuſsit, corpusq; accuratiſsimè cremari, ſepeliriq; cineres. Hæc ille. Sed fatum mutari non potuit. Denſus imber cœlo deiectus, me-*

dio rogum ministerio restinxit, cadauerq́ semiustum à bustuarijs relictum, qui in opertum refugerant, canum superuentu cœptum est lacerari. Id ei cœnanti cum Latinus Mimus inter cæteras illius diei fabulas enarraret, ita commotus est, vt iam inde vitæ diffisus omnibus viueret casibus obnoxius. Sabellicus ex Suetonio.

DOMITIANVS Imp. Mathematicis prædictionibus *ad superstitionem vsq; deditus, cum sibi mortem instare cognouisset, pridie quàm interfectus est, cum tuberes sibi oblatos in crastinum iussisset asseruari, illud adiecit, Si illis, inquam, vti licebit. Conuersus inde ad eos qui proximè steterant, Futurum est, inquit, vt cras luna in aquario cruentetur, existetq́ facinus aliquod, de quo homines omnibus terris loquantur. Cæterum quia monitus fuerat, vt quintam illius diei horam caueret, sollicitus perseuerat aruspicis causam audire, qui de casu fulminis consultus, mutationem rerum portendi dixerat. Cum igitur inter agendum verrucam in fronte scalpendo fregisset, fluxissetq́ ex eo attritu paululum sanguinis, Vtinam, inquit, hactenus. Tum horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, sexta ex composito nunciata est. Ad eam vocem lætus, tanquam instans periculum euasisset, surgens ad curam corporis festinaret, cum Parthenius cubiculi præfectus reuocauit, adesse nuncians, qui magnum nescio quid afferret, neq; id differendum. Summotis itaq; omnibus, in cubiculum se recepit, vbi septem vulneribus a Parthenio & coniuratis contrucidatus mortem occubuit, anno ætatis quinto & quadragesimo, ex quo imperare cœperat quinto decimo. Sabellicus libro quarto Enneadis septimæ.*

HADRIANVS Imp. non tantum alijs artibus ope-

ram dedit, verum etiam Mathesi. Quod Marius Max. vsq; adeò demonstrat, vt eum dicat cuncta de se sciuisse, sic vt omnium dierum, vsq; ad horam mortis futuros actus antè præscripserit. Satis constat de Vero, quem adoptauerat, sæpè dixisse, Ostendent terris hunc tantùm fata, nec vltra esse sinent. Eo igitur anno, quo è vita excessit, vsq; ad mensem tantum scripsit, quo decessit, ea re se mensem illum non transgressurum esse ostendens. Fulgosus lib. 8. cap. 11.

L. SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX, *peritissimus Matheseos fuisse dicitur. Defuncta siquidem vxore Martia, Bassiani matre, cum de conditionibus ageretur apud eum, genituris omnium inspectis, Iuliam apud Syros, haud bono genere natam, quòd Imperatoriam haberet genesim sibi coniunxit, è qua Getam peperit. Volaterranus. Idem in Britanniam profectus, non inde se rediturum pronunciauit, idq; in laquearibus ædium, quæ erant in Palatio, in quibus ius reddebat, scriptum reliquit: ita vt ab omnibus (præter eam partem, quæ ad horam, qua natus esset, spectabat) videretur. Xiphilinus Dionis Nicæi abbreuiator in Seuero.*

AEGYPTIVS quidam è tractu Mendesio, Con*stantinopolim veniens, cauponam ingressus est. Cauponaria (artis quoq; obstetriciæ perita) dum Aegyptio vinum promit, ecce è vicinia accurrens vna, in aurem illi narrat, affinem suam de salute periclitari tertio iam nixu, nisi ocyus succurratur. Illa, relicto Aegyptio, puerperam à partus laboribus liberauit, & ad hospitem recurrit, ira exæstuanti moræ suæ causam aperit. Ille confestim tempus diei & horam obseruans, Abi, inquit mulier, & puerperæ*

dicito, quod tantum non Imperatorem enixa sit, hocq; elocutus, pleno poculo se proluit, nomenq; suum mulieri cognoscendum dedit. Nato infanti nomen fuit Ablabius, qui vsq; adeo pila & ludus extitit fortunæ, vt sub Constantino Magno præfectus prætorio, Imperatore plus potuerit. Eunapius in vita Aedosij.

HEBRAEI duo Magi & Astrologi Zitæ Arabum *principi Imperium & vitam longæuam pollicebantur, si Christianorum templa & imagines Diuorum demoliretur. Paret ille. Sed anno vix exacto repente moritur. Filius impostores punire parabat. Illi in Isauriam fugiunt, ibiq; Leonem (qui postea deiecto Theodosio III. imperium inuasit, & Isaurus dictus est) puerum ignobilem, sed optima præditum indole reperiunt, ei Imperium prædicunt, tanta fiducia, vt iureiurando polliceretur, si prædictioni euentus responderet, facturum se quicquid peterent. Posteaquam Leo ad Imperium peruenit, anno nono vrgent illi promissa, & nihil aliud petunt, quàm vt imagines Christi & Deiparæ aboleat. Imperator fidei suæ liberandæ causa, simulacra tollit, Iconolatras grauiter persequitur. Cuspinianus è Zonara.*

SIMEON Bulgarorum princeps in Crobatos *duxit, ab ijsq; in angustijs montium prælio victus, omnem suum amisit exercitum. Iohannes quidam Magus & Astronomus Romanum Lacapenum Imp. accessit, eumq; monuit, mitteret aliquem, qui amputaret caput columnæ, quæ supra Xerolophi fornicem posita Occidentem respiciebat: ita enim Simeonem, cui illa fatalis erat, statim periturum. Paruit Imperator, & qua hora statuæ fuit absciissum caput, ea ipsa (quod diligenti inquisitione postea deprehendit)*

Simeon in Bulgaria cordis morbo interijt. Cedrenus.

GVIDO Maltrauersus Patauinus, comes Lucij *vici Patauini, ex Constantia vxore, filia Obicij Marchionis Estensis, Nicolaum genuit. Quem Iambonus Andreas Astrologus & simul Magus, perniciosum patriæ ciuem fore prædixit: & Guidonem tantum mouit, vt eum exhæredare voluerit, nisi amici obstitissent. Moritur Guido. Nicolaus opibus, & gratia potens, in patriæ perniciem cum Cane Scaligero conspirat. Bellum oritur cruentissimum, in quo vltra centum millia hominum occisa feruntur, & verum Iamboni vaticinium fuisse, exitus ipse declarauit. Bernhardus Scardeonus lib. 3. classe decimatertia histor. Patauin.*

OBSIDEBANT Galli Forum Liuij, Martino IIII. *militantes, Guidonis Appij ductu, eo tempore, quo Siculi Gallicas vesperas celebrauêre. Guido Bonatus Foroliuiensis Astrologorum Princeps, & haud dubio Magus simul, Guidoni Montisferrati Comiti prid. Cal. Maias, eruptionis faciendæ contra omnium expectationem author fuit, certam victoriam comiti cum vulnere coxendicis prædicens: atq; vt medicæ artis peritus erat, oua cum stupis & enæmis alijs ad obligandum vulnus secum tulit. Nec præsagio defuit euentus, Gallis ad internecionem deletis. Platina in Martino 4. Blandus lib. 8. Decad. 2.*

ANTIOCHVS TIBERTVS CAESENAS, *insignis Chiromantes, Pyromantes, & Phisiognomon, prædixerat Guidoni Balneo, cognomento Guerræ, quòd ab intimo amico perfidiæ suspicione necaretur. Pandulpho item Malatestæ Ariminensium Tyranno, quod ex patria pelleretur, & exul in extrema egestate periturus esset. Nec multò*

pòst

pòst Pandulphus Guidonem ob suspectam virtutem obtruncat: Antiochum ipsum custodiæ mancipat, euentum præsagij expectaturus. Antiochus custodis arcis filiam ita flexit, vt resti ab ea impetrata, in fossam demitteretur, sed compedum sonitu proditus, & à fuga retractus, cum puella securi percutitur. Pandulphus tandem exul & egens ab omnibus desertus, in hospitali diuersorio senex perijt. Sic alijs futura prædicere, sibi ipsi cauere non potuit Tibertus. Iouius in Elogijs.

PETRVS LEONIVS SPOLETANVS, medicus celebris, qui primus ferè prolato Galeno veræ medicinæ limen aperuit, Astrologiæ & veteris Magiæ peritissimus fuit. Itaque cum sibi subitæ mortis periculum in aqua portendi cognosceret, è Patauio Venetijsque in vmbriam & Spoletum emigrauit, vt frequentes nauigationes effugeret. Mox vbi ad Laurentium Medicem vocatus esset, & ex astrorum fallaci scientia morbum salubrem esse prædixisset, omnemque rei benè gerendæ occasionem prætermisisset, à Lazaro Placentino illustri medico (qui à Ludouico Sfortia Ticino missus sera afferebat remedia) reprehensus, atque adeo omnibus inuisus, post mortem Laurentij, incertum an desperatione actus, an illata vi à Petro Laurentij filio in proximæ Caregio villæ puteum præceps datus mergitur. Teste Iouio in Elogijs.

BARTHOLOMAEVS COCLES Bononiensis, Antiochi discipulus, metoposcopus & Chiromantes peritissimus, Lucæ Gaurico Astrologo autor fuit, vt violenti cruciatus causas effugeret. Is monitis non parens, cum in Ephemeridibus Ioan. Bentiuolum Patria & Dominio excessurum præsagisset, à Tyranno ex alta trochlea suspenso fu-

ne quinquies quassatus, artis suæ pœnas dedit. Prædixerat ille idem Cocles Copono cuidam, quod breui scelestus homicida futurus esset: similiter & Hermeti tyranni filio, futurum vt exul in acie cæderetur. Hermes igitur fatali metu perculsus, Copono clam imperat, vt Coclitem κακὸν μάντην interficiat. Præuiderat necis discrimen Cocles, ideoq́ secreta galea caput munierat, ingenti gladio, quem peritißimè ambabus manibus regebat, semper armatus. Verum à Copono baiuli habitu personato, dum seræ ostij, calculo iniecto præpeditæ clauem insereret, adacta in occipitium securi interfectus est: nullam aliam patrati facinoris causam afferente Copono, quàm quòd ipse Cocles breui homicidam futurum asseruisset. Iouius in Elogijs.

ASTROLOGVS quidam in aula Friderici II. *Imperatoris, Rodolphum Comitem Habspurgensem, quamuis pauperem, summa obseruantia colebat, cum reliquos longe potentiores flocci penderet. Causam ab Imperatore rogatus, respondit: Imperatorem futurum video Rodolphum, cum proles tua deficiet, eiusq́ nomen longè lateq́ decantabitur, qui iam humilis plerisq́ apparet: Nec caruit euentu præsagium, nam anno Christi 1273. Calend. Octobr. Rodolphus à Germanis Principibus Francofurti in Regem Rom. eligitur, cum Basileam obsideret. Cuspinianus in Cæsaribus.*

IN Magni Sfortiæ genitura Mathematici præ*cellentem siderum posituram & sedes, aspectusq́ mirabiles conspicati, ei magnum imperium, immortalem gloriam, felicemq́ sobolem prædixerunt: idq́ demum subiunxêre, eum nequaquam exacta ætate, & morte quidem repentina periturum. Iouius in eius vita.*

Braccivs Motonensis Dux clarissimus, hostis *sui Magni Sfortiæ in Piscaria flumine submersi morte nunciata, defunctum exquisitis, verissimisque laudibus prosecutus est: Neque verò tanto præsentis belli periculo liberatus, alacriorem vultum militibus ostendit, vtpote qui fatalis arcani conscius ab Astrologis didicerat, Sfortiam violenta correptum morte antecessurū quidem, sed paulò pòst & ipsum, pari veluti sorte, eandem exitus fortunam subiturum. Vix quintum superuixit mensem, cum ad Aquilam per tredecim menses frustra oppugnantem, obsessamque, memorabili tandem prælio, Sfortiani militis gladio superatus ac interfectus, & siderum & multorum Vatum fidem impleuit. Iouius in vita Sfortiæ.*

Vladislao Iagelloni Polonorum Regi *Sophia vxor Vladislaum & Andream Casimirum filios peperit. Erat Cracouiæ Henricus Boëmus, insignis Astrologus, & Magiæ studiosus, hic infantem recens natum, longæuum, sed infelicem fore, Poloniamque multis ac magnis malis atque calamitatibus eo regnante afflictum iri prædixit: Fratrem verò eius Vladislaum, clarissimum atque victoriosissimum futurum: & ni fata longiorem ei vitam inuiderent, multis gentibus imperaturum. Quæ vtraque euentus postea comprobauit. Vladislaus enim Rex Poloniæ, & Vngariæ Rex creatus, ad Varnam à Turcis cæsus, anno ætatis 20. præclaræ spei non satisfecit. Casimirus verò qui fratri in Poloniæ Regno successit, regnat annis 45. vixit 64. venationibus potius Lituanetis, quàm Reipub. deditus. Cromerus lib. 19. & 29.*

Praedixere Alexandri Medici Florentinorum *Ducis cædem, à Laurentio Medice propinquo suo per-*

petratam, Basilius Mathematicus, certissimè autem Græcus quidam Ariolus, illi non modò cædem, sed certum quoque percussorem indicauit, qui esset ipsi intimus, habitu gracili, vulticulo buxeo, & suspensa taciturnitate ferè cæteris in aula insociabilis. Cosmo etiam Medici pro constanti pollicebantur, quando in ipsa genituræ horroscopo Capricorni felix astrum mirabili conspirantium siderum aspectu irradiatum haberet, sicut olim Augustus, fore, vt hæreditate cresceret opulenta, audiente quidem Alexandro, & subridente Cosmo, quum absumendus morte prius foret magnus propinquorum numerus, quàm vlla ad se vel tenuis hæreditas perueniret. Iouius.

IOHANNES LIECHTENBERGIVS Ba-*uariæ Principem in Ephimeridum suarum etesijs prædictionibus, vt ita dicam, seriò admonuit tum scripto, tum pictura, Leonem Aquilæ metu latebras petiturum. Spreuit ille: at non multò pòst à Maximiliano Imp. graui bello petitus est. Agricola in Prouerb. Germ.*

PAVLVS III. Pontifex, Farnesius, cum Astro-*logiæ & Magiæ peritißimus esset, filio Petro Aloysio, qui per vim Placentiæ & Parmæ tyrannidem inuaserat, scribit, vt decimum diem Septembris anni 1547. tanquam sibi infaustum caueret. Pater quidem monere potuit, at filius euitare periculum non potuit, quin à coniuratis Augustino Lando & Iacobo Scoto, Placentinis Comitibus in arce sua Colloquij prætextu interficeretur, & per pudenda diu suspensus, populo crudeliter dilacerandus exhiberetur. Sleidanus lib. 19. Commentariorum.*

FVIT Lyco amni pons Xanthiorum oppidum *impositus, in quo æneæ tabulæ fuisse dicebantur, in quibus*

incisæ erant literæ, Persarum Imperium à Græcis olim euersum iri. Tabellæ cum ponte excussæ aliquanto antea quàm ad Granicum pugnatum est ab Alexandro Magno, in amnis alueum conciderant. Tabularum fama Alexander permotus, quum aliquamdiu dubius stetisset, in quam potißimum partem flecteret victoriæ cursum, ad dexteram conuersus, omnem oram maritimam à Lydia vsque in Phœniciam, mira celeritate subegit. Sabellicus lib. 4. Ennead. 4. ex Plutarchi Alexandro.

BELLO Punico secundo præter multa visa & *audita, quæ prodigiorum loco ferebantur, Martianum carmen per id tempus conquisitum ac repertum, maximam ciuitati curam attulit. Id partim verißimo euentu probatum, haud dubiam futurorum fecit fidem. Scripserat, quisquis fuit ille Martius, Amnem Troiugena Cannam Romane fuge, nec te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manum: sed neque credes tu mihi, donec complêris sanguine campum, multaque milia occisa tua deferat amnis, in Pontum magnum ex terra frugifera piscibus atque auibus, ferisque, quæ incolunt terras, his fiat esca caro tua. Hæc quia magna ex parte sunt hominum oculis repræsentata, (nam & Diomedis campos, & Cannam vbi pugnatum erat, vulgus agnoscebat) maior cura fuit alterius carminis procurandi, quod in hæc fuit verba conscriptum: Hostes Romani si pellere vultis vomicam, quæ gentium venit longè, Apollini vouendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem, priuati vti conferant pro se suisque. His ludis præerit prætor, is qui ius populo plebique dabit summum. Decemque viri Græco ritu hostijs sacra faciant. Hæc si rectè faxitis,*

gaudebitis semper, fietq́ res vestra melior: nam is dius extinguet perduellem, qui vestros campos pascit placidè. Hoc carmine publice interpretato, ludi sunt Apollini voti, & in circo celebrati. Sabellic. lib. 4. Ennead. 5.

OCCISO Procopio Tyranno à Valente Imperatore, *Chalcedonis mœnia (quod eius vrbis ciues Procopij partibus fauissent,) solo sunt æquata. Quod dum fieret, in eorum fundamentis lapideam tabulam, cui hæc inscripta erant, repererunt.*

Vrbem cum Nymphæ Choreas ducent propè sacram,
Ornatasq́ vias sertis: postquam & miseranda lauacris
Mœnia ponendis fuerint conuersa, videbis
Mille hominum species varijs è gentibus acri
In prædam rabie ardentes, validis heu viribus, ire
Trans Istrum, & mare Cimmerium: tunc Mœsia tellus,
Tunc Scythicæ gentes clade perdentur amara.
Cum tandem ad Thracas, ducente cupidine lucri,
Irrumpet trux barbaries, fato extinguetur iniquo.

Hoc vaticinium tum non intelligabatur, sed pòst est impletum, cum Valens aquæ ductum exædificasset, & abundantiam aquarum vrbi induxisset. Is namq́ excisis mœnibus, saxis ad aquæ ductum vsus est, quem Valentem dixit de suo nomine, vt oppidanis gratificaretur, & balneæ hoc aquæ ductu iuuarentur, licet aliqui thermas Constantianas appellarent. Tandem vrbis Præfectus Clearchus, in loco cui nomen est Tauro, postea platea Theodosij dicta, Nymphæum extruxit, vti inductæ aquæ gratiam & amœnitatem demonstraret. Per has ædificationes lapideæ tabulæ iam Barbarorum aduentum denunciarunt, qui in ipsa

Thracia, post factas populationes, omnes oppressi sunt. Cuspinianus in Valente.]

ANNO sexto Iustini Magni, Edessa vrbs illuuione *& Scirti amnis miserè fœdata est, & in ripa amnis inuenta lapidea, hieroglyphicis literis inscripta in hanc sententiam:* Σκίρτος ποταμὸς σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις. *Hoc est, Scirtus amnis saltabit malo ciuium. Cedrenus.*

ALEXANDRO MAGNO ex India Babylonem *pergenti, Nearchus classis præfectus, qui ab Oceano Euphratem inuectus reuerterat, refert conuenisse se certos Chaldæos, qui monerent, Babylone vt abstineret. Nihil motus tamen progressus est, vbi periit. Plutarchus in Alexandro.*

CVM L. Vitellius in gratiam Herodis Tetrarchæ *contra Arabes exercitum duceret, ferunt Arabum Regem Aretam excepto expeditionis Vitellij nuncio collegisse ex augurijs, impossibile esse ad petram peruenire illum exercitum. Vnum enim è Ducibus prius moriturum, vel qui bellum paret, vel cuius iussu paretur, vel eum contra quem mouendum sit. Nec vanum fuit augurium. Nam cum Vitellius adhuc Hierosolymis esset, nuncius de Tiberij Cæsaris morte allatus, irritam fecit expeditionem. Iosephus lib. 18. cap. 7.*

APOLLONIVS AEGYPTIVS, C. CALIGVLÆ *Romanorum Imperatori mortem prædixit. Qui eam ob causam Romam missus, ad Caium eo die perductus est, quo ille mortem erat obiturus. Xiphilinus Dionis abbreuiator, in Caligula.*

APOLLONIVS TYANEVS, Iouis filius, Cilicem

quendam, hominem supra modum lasciuum, tertia die interemptum iri prædixit, idq́ sic contigit. Philostratus in eius vita.

Larginvs Proclvs publicè prædixit in Germania *Domitianum Romanorum Imperatorem, quo die excessit è vita, mortem obiturum. Cumq́ esset ob hanc causam ab eo qui prouinciæ præerat, Romam missus, introductusq́ ad Domitianum, id ita etiam tunc affirmauit fore. Itaq; rei capitalis damnatus est. Sed Domitianus nihilominus vitæ periculum non effugere potuit, quia eodem die necatus est. Xiphilinus.*

Ivlianvs Imperator contra Constantium mo*uens, penetrauit Illyricum, assiduè exta auesq́ rimatus, vt exitum contemplaretur. Quo tempore miles quidam exta manu erigens, humi prostratus, exclamauit, multis audientibus, Ilium cecidisse, cum Mopsocrenis Constantius moreretur in Cilicia. Quod mox ex legatis verum esse didicit. Cuspinianus.*

Alexander Severvs Avgvstvs, cum in Gal*lia exercitum alloqueretur, cupiens à fausto verbo sermonem ordiri, fortuna contrarium obtulit, quod vt malum omen fuit acceptum, incœpit enim, Occiso Imperatore Heliogabalo, ab Imperatoris morte sermonē exorsus. Inde autem cum ad Persicum bellum proficisceretur, vesana mulier Gallica lingua hæc dixit: Vade, nec tibi victoriam pollliceare, neq; te tuorum militum fidei crede. Id quod rectè monitum euentus docuit, ipso haud diu pòst à militibus occiso. Fulgosus lib. 1. cap. 3.*

Maximinis duobus mulier quædam in Foroiu*lio (cum aduersus Senatum cum exercitu venirent) ob-*

uiam facta, paßis crinibus, atratatáq; veste, Maximinos magna inuocans voce, ante eorum pedes mortua concidit. Post paucos dies exercitus Maximinos interemit. Idem.

CVM Diocletianus apud Tungros in Gallia, in *minoribus adhuc locis militans, in Caupona quadam moraretur, & cum Druyde quadam muliere familiarem consuetudinem haberet, illaq; Parsimoniam hominis incusaret, ioco, non seriò respondisse fertur, tum se fore liberalem, cum Imperator fuerit. Ad hoc illa, Noli, inquit, iocari Diocletiane, planè imperator eris, simul ac aprum occideris. Quam quidem mulieris vocem ominis arripiens vice, studiosè sectari cœpit apros in venatu: haud intelligens videlicet vaticiniј ænigma, quod euentus postea explicauit. Nam Numerianus Imperator, factione Arrij Apri soceri sui interemptus fuerat. Qua-re prodita, milites Diocletianum vindicem creant, & Augustum consalutant. Ille itaq; pro concione, quò Druydis dictũ expleret, Aprum manu sua confodit, addens Maronianum illud:*

AEneæ magni dextra cadis. Cuspinianus.

ZENO Imperator Constantinopolitanus, Ma*rianum sapientißimum Comitem arcana quædam interrogauit, Quis nam sibi in Imperio esset successurus? Respondit ille: Imperium & vxorem tuam accipiet quidam de Silentiarijs, me autem iniustè occides. Horum vtrumq; suo tempore exitus comprobauit. Cedrenus.*

AGILVLPHVS Dux Taurinensis ciuitatis, cùm *Authari Regi Longobardorum sponsam suam Theodelindam, Regis Boiariæ filiam adduceret, secum habuit Aruspicem, qui ipsi ex fulminis ictu prædixit, se paulò pòst ipsa sponsa & regno potiturum: idq; euentus comprobauit. In-*

terfecto enim Authari in bello, Agilulphus ei in Regno & coniugio successit. Paulus Diaconus de gestis Longobard. cap. 14.

ANTONINVS SOSIPATRAE & Eustathij *Cappadocis F. apud Canobicum Nili ostium scholam habuit. Prædixit discipulis, à sua morte Scrapidis delubra euersum iri. Euentus vaticinium confirmauit sub Theodosio Imperatore. Eunapius in Aedesio.*

REMEX quidam Rhodius, mente alienatus, testari *clara voce cœpit, ante diem tricesimum futuras in Græcia strages maximas, rapinasq́ apud Dyrrachium, & incendium & fugam, classem verò ipsam domum esse redituram. Id cum Cn. Pompeius, qui Prætor classi præerat, audîsset, narrassetq́ tribus, Ciceroni, Varroni, & Catoni, omnes moti, quidam etiam valde perterriti dicuntur. Paucorum autem dierum interiecto spacio, Labienus fugiens ex acie Thessalica, stragem legionum & ingenti prælio fusas Pompeij copias nunciauit: confestim raptum ex horreis publicum frumentum, totaq́ ciuitate conspersum: qui illic erant, fuga præcipiti digressi, & à Rhodijs destituti, nolentesq́ sequi naues incensæ sunt.*

PROCOPIVS libro tertio de bello Vandalico *refert, Carthagine antiquum prouerbium à pueris iactari solere, quòd Gamma quandoque Betam, & rursus Beta Gammam persequeretur. Suspicor puerorum lusum huc spectasse, quòd inter vicinos frequenter oriatur dissidium. Verùm hîc puerile dictum detortum ad rerum euentum, quòd Gensericus Rex Vandalorum Bonifacium expulisset: Postea Gilimerem Belisarius. Prouerbium non*

est natum ex euentu, sed puerorum Carthaginensium ænigma fuit, velut oraculum eius, quod accidit postea. Erasmus in Adagijs.

Extant in Leuctrico campo Scedasi filiarum, *quas Leuctridas ex loco vocant, tumuli. Nam fortè eo loco, cum vi essent à Spartiatis compressæ hospitibus, humatæ fuerant. Eo perpetrato tam atroci atque nefario facinore, Pater earum, vbi vindictam impetrare non potuit Lacedæmone, diras Spartiatis imprecatus, super sepulchra puellarum seipsum iugulauit. Inde vaticinia & Oracula Spartiatis aßiduè pranunciabant, Leuctricam vitarent & declinarent à Dijs ultionem. Id autem non ita multi intelligebant, sed ambigebant de loco, quòd etiam oppidulum Laconiæ littori impositum Leuctron nominetur: Præterea eiusdem nominis sit vicinus locus Megalopola Arcadiæ. Tandem in Leuctrico Bœotiæ campo à Thebanis atrociß. clade victi Lacedæmonij, imperium amisêre. Plutarchus in Pelopidæ vita.*

Erat apud M. Antonium triumuirum quidam *ex Aegypto Magus, qui sæpius Antonium hortatus fuerat, vt procul ab Antonio facesseret: Fortuna, inquit, tua Antoni, per se splendida & ampla est, verum cum Octauio adhæret, continuò hebetatur. Tuus, ait, Dæmon illius genium reformidat: & cum celsus per se sit, atque alacer, huius tamen appropinquatione humilis fit & pauidus. Fecit is facilius fidem, quòd siue sortibus, siue gallinaceorum aut coturnicum paria committerent, Antonius erat semper Octauio inferior. His igitur commotus, cum Octauia, ex qua iam filiolam sustulerat, Italia profectus Athenas nauigauit. Sabellicus libro nono, Enne ad. 6.*

CECINERANT vates antiquissimi, Romana arma *Ctesiphontem transire nefas esse, & Duces qui ausi fuissent, pœnas daturos esse. Putant M. Crassum id cogitantem cum exercitu perijsse. M. Vlpium Traianum transgredi ausum, Italiam non repetijsse, & quinq; prouincias trans Tygrim statim amisisse, satiusq; fuisse iter non tentasse, legiones longo labore attriuit & ferè consumpsit. Et quamuis victor longius produxerit terminos, tamen non multum profecit: Ctesiphontem cupiens transire, superato Tygride, Valerianus à Sapore rege Persarum captus est. Verum Odenatus Palmyrenus victor Romanæ maiestatis, Ctesiphontem vsq; trans Tygrim peruenit. Carus imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè victorem duxit in Persida, hostile Regnum vastauit, Selcutiam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Aelius verus Antoninus, expugnauit. Deinde Ctesiphontem petentem, & longius progredi volentem, vel morbus, vel ictus fulminis cœlo turbido & coruscante absumpsit. Cuspinianus.*

SIBYLLA de Antichristi interitu vaticinata est:

αἴλινος αὖ τότε καιρὸς, ὅταν λίνος αὐτὸν ὀλεῖται.

Locum alij de laqueo intelligunt, quo se Antichristus sit suffocaturus. Theodorus Bibliander, vir doctissimus, de arte Typographica, cuius materia est linum maceratum & conglutinatum, charta videlicet. Hoc lino Antichristus conficietur, vtpote in quo sacrum Christi Euangelium, omnesq; Prophetæ descripti continentur: quorum authoritate, tanquam spiritu oris Christi, triceps bestia profligabitur.

PSAMMETICHVS Tementem Aegypti Regem *sustulit. Deus Ammon Tementhi oraculum consulenti*

de re-

de regno, responderat: Caueret à gallis. Psammetichus Pigritato Care familiariter vtens, cum ab eo cognouisset, primos Cares gallos imposuisse verticibus, Oraculi mentem intellexit, & magnam Carum multitudinem conduxit, eosq; duxit versus Memphim, & iuxta templum Isidis castra posuit in regia, quæ distabat ab vrbe quinq; stadia: commissaq; pugna, victoriam adeptus est. Ab his Caribus pars quædam Memphis Caromemphita dicta est. Polyænus libro 7. & Herodotus.

SIBYLLA Macedonum bellicam gloriam Philippo Amyntæ filio regnante partam, alterius Philippi temporibus pessum ituram prædixit:

Aemathiæ populi (Argeadæ quis gloria Reges)
Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philip-
Namq; duces maior populis atq; vrbibus vnus (pus.
Imponet, Sed enim Hesperijs domitus minor annis,
Mox etiam Eois illustres perdet honores.

Romani enim qui ad occidentem sunt, Attali & Mysorum auxilio, qui ad Solis ortum vergunt, Perseum Philippi filium & regno & vita priuârunt. Pausan. in Achaicis.

SVB Boleslao pudico Polonorum principe, in Cracouiensi territorio, puer quispiam dentatus, eodem quo natus est die, distinctè & articulatè locutus est, donec religioni Christianæ initiatus, & dentes & sermonis vsum amisit. Alius verò semestris in vrbe Cracouiensi prolocutus Tartaros aduenturos, & Polonorum capita præcisuros esse prædixit: rogatusq;, diuinitus id se scire, & sibi quoq; illud malum impendere respondit, Quod post duodecimum annum euenit. Cromerus libr. 9.

HALI ABENRAGEL, commemorat, in Regia

se vidisse natum infantem, qui vix dum viginti quatuor horis perfectus, loqui incepit, & manu signa facere. Quare vehementius Rege conterrito, accessisse miraculum maius: Nam Rege, inquit, astante, & me quoque cum multis alijs, exclamauit infans, Sum, inquiens, infeliciter natus, ad prodendam Regni amissionem, & gentis perniciem ac desolationem. Quibus ille enunciatis concidit exanimis. Cælius lib. 29. cap. 14.

PHERECYDES BADIS filius, Syrius, Pittaci auditor, *deambulans in littore Samio, cum nauem quandam plenis velis currentem vidisset, paulò post mergendam prædixit, atque id eo spectante contigit. Laërtius, & Apollonius in hist. mirab. Apollonius quoque Tyaneus nauigium satis idoneum nactus, cum Leucadem tenuisset, Achaiam iturus, Descendamus, inquit, ex hac naui. Illa verò, quanquam tunc quieta, paulò post submersa est. Philostratus. Obsidente Cyzicum Mithridate, Aristagoras dixit, se ex Minerua accepisse, velle se modulatorem Lybicum in ponticum inducere tubicinem, proinde ciues iuberet bono esse animo. Moxque validius flante Austro, afflicta est classis Mithridatica, & machinæ parte plurima disiectæ. Cælius lib. 20. cap. 24.*

PHERECYDEM narrant in Scyro insula sitien*tem aliquando, aquam à discipulorum quodam petijsse: quam cum bibisset, pronunciasse, terræmotum post triduum ea in insula futurum. Quod dictum vt exitus comprobauit, magnam eum reportasse gloriam. Apollonius in Mirab. Histor.*

GLAVCVS EPICYDIDIS F. SPARTANVS, cum *à Milesio hospite magnam vim pecuniæ depositi nomine*

accepisset, & post eius mortem filij pecuniam repetissent, Glaucus post quatuor menses sese responsum daturum affirmauit. Interea Delphicum oraculum sciscitatus est, vtrum iureiurando interposito pecuniam depositam apud se negando, lucrum faceret? Pythia respondit:

γλαῦκ' ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὔτικα κέρδιον οὕτω
ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα ληΐσσεσθαι.
ὄμνυ' ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
ἀλλ' ὅρκου πάϊς ἐστὶν αἰώνυμος, οὐδ' ἐπὶ χεῖρες,
οὐδὲ πόδες, κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Eo responso territus Gaucus, veniam precabatur. At Pythia, idem esse tentare Deum & facere, affirmauit. Glaucus domum reuersus, Milesiis iuuenibus pecuniam quidem reddidit, verùm non multò post tota illius domus & progenies penitus extincta est. Herodotus lib. 6.

ALPHONSUS Arragonum & Siciliæ Rex, Neapolim *obsidebat. Accessit ad eum vir quidam venerando vultu, & circa Calend. Iunias eum vrbe potiturum prædixit, sed non multò post anceps futurum prælium, in quo Dux caperetur, suadens ne tanto periculo se committeret. Prior vaticinij pars vera fuit. Nam 4. Non. Iun. vrbem in potestatem redegit. Paulo post contra Antonium Caudolam in agro Campano acie dimicaturus, amicis dehortantibus, & vaticinium ei obijcientibus, respondit, virum fortem ne mors quidem terrebit, nedum ambigua oracula. Prælio facto, Caudola victus est & captus. Aen. Syl. lib. 2. com. in Panormit. Alfonsum.*

AVTOR AGATHIVS est in Gothici belli secun-

do libro, Germanos vatibus fœminis vsos quandoq; , verißimo item euentu: Sacras vocat Plutarchus in Cæsare, ac ex flaminum verticibus & strepitu futura coniectâsse. Cœlius libro 18. cap. 20.

ABARIS SCYTHIÆ F. ex Hyperboreis *Theologus, scripsit oracula regionibus quas peragrauit, quæ hodieq; extant. Prædixit is quoq; terræmotus, pestes, & similia, ac cœlestia. Ferunt eum cum Spartam aduenisset, Lacones monuisse de sacris mala auertentibus, quibus peractis, nulla postmodò Lacedæmone pestis fuerit. Apollonius in Mirabilib. hist.*

AEDESIO CHRYSANTHII Philosophi Sardiani *F. corpus in motu ita fuit agile, vt fidem omnem superaret, planeq; in sublime efferretur. Tanta eidem cum numine erat affinitas, vt capiti laurea imposita opus non esset, sed oracula vera, & ad genuinam afflati numine Spiritus speciem conformata, Solem tantum aspectans funderet, quamquam nec versuum legem sciret, nec dum Grammatices præcepta calleret. Eunapius.*

SPARTÆ ante Augusti aram in foro ænea est *Agiæ effigies. Agiam hunc diuinasse ferunt Lysandro, classe Atheniensium apud Aegos flumen potiturum, præter triremes 10. quæ è fuga se in Cyprum recepêre. Pausanias in Lacon.*

PHILVMENA puella fatidica, cuius contubernio *Apelles Hæreticus, aut vt alij volunt, Seuerus vsus est. Huic Diabolus per phantasma pueri habitu respondebat, modò Christum, modò Paulum se esse dictitans. Miracula quoq; fecit, inter quæ illud præcipuum est, quòd in angustißimi oris ampullam vitream panem grandem im-*

mitte-

mitteret, eumq́; extremis digitis leuaret illæsum, eoq́; solo quasi diuinitus dato cibo, se contentam esse diceret. Testis est Augustinus.

IDEM beatus Augustinus aduersus Academicos primo *tradit fuisse virum Carthaginé, nomine Albigerium, infamis vitæ, qui omnia abdita nosset, adeò vt cùm à discipulo Romantiani, ad quem ipse Augustinus scribit, tentandi causa interrogaretur, quidnam cogitaret? Respondit ille: Vergilij carmen. Cum rursus interrogaretur, ab eodem, quod carmen? illud recitauit. Cardanus de rerum variet. lib. 8. cap. 43.*

ISAACIVS Angelus Imperator Græcorum, *ad Radæstum maritimam vrbem profectus, Basilacium conuenit, inusitatæ vitæ hominem, eamq́; opinionem apud omnes consecutum, quasi futura præuideret atq; prædiceret. Is verba confusa, inter se dissidentia, & perplexa fundebat. Mulierum ad se venientium mammis exploratis, & talis contrectatis, obscura promebat oracula, & ad plerasq́; quæstiones nihil respondebat, & suas diuinationes discursionibus & insanis gestibus peragebat. Astabant ei cognatæ aniculæ, quæ consultoribus explicabant, quid illi Basilacij gestus rerum futurarum designarent, & taciturnitatem vt sapientem orationem interpretabantur. Imperatori salutanti nihil respondit, neq; tacito nutu capitis gratias egit, sed huc atq; illuc instar hominis furiosi saltans, accedentibus maledixit. Constantino Mesopotamitano in primis, qui tum Isaacio familiarissimus erat. Tandem Scipione quem manibus gestabat, imaginis Imperatoris, quæ in eius oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis erasis, etiam pileum de capite auferre studebat.*

Impe-

Imperator eo vt deliro despecto recessit. At non multo post à fratre Alexio & oculis & Imperio priuatus est, & opinio de Basilacio confirmata est, quæ anceps prius, & in plerisq; dubia fuerat. Nicetas lib. 3.

HECTOR BOETHIVS in rebus Scoticis *constantem fuisse famam inquit, Merlinum ex Incubi & nobilis Britannici sanguinis fœminæ concubitu genitum esse. De quo sic Vincentius libro 21. Histor. 30. narrat: Vortigernum Regem consilio capto quid ad sui tuitionem facere deberet, iussisse acciri artifices, qui turrim fortissimam extruerent. Sed cum eorum opera tellus absorberet, suasum est Regi, vt hominem sine patre inquireret, cuius sanguine lapides & cementum conspergerentur, quasi eo modo stabile redderetur cementum. Inuentus igitur adolescens Merlinus nomine, qui cum matre adducitur coram Rege, quæ illum ex Spiritu in hominis specie conceptum esse fatetur. Merlinus hic multa obscura reuelauit, & futura prædixit. Aperuit enim, sub fundamento esse lacum, sub lacu duos latêre Dracones, quorum vnus rubens populum Britonum, alter verò albus Saxonum designaret: simulq; vaticinatus est, Aurelium Ambrosium, deuicto Hengisto, & combusto Vortigerno, regnaturum. Vierus lib. 2. cap. 46. de præstig. Dæmonum.*

SCRIBIT Cælius fuisse in patria sua mulierc*ulam humili loco, Iacobam nomine, ex cuius ventre immundi Spiritus vocem, prætenuem quidem, sed tamen vbi vellet dearticulatam & prorsus intelligibilem, audiuerit ipse, verum & innumeri alij, non Rhodigij modò, sed & tota ferè Italia: quando futuri auida potentum mens sæpè accersitam ventriloquam, ac omni exutam amictu,*

ne

ne quid fraudis occultæ latêret, inspectare ac audire concupiuit. Cincinnatulus Dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione gestiens inclamanti subinde respondebat. Si de præteritis aut præsentibus sciscitarêris, quæ reconditissima forent, responsa sæpe dabat mirifica. Si de futuris, semper mendacissimus. Sed & inscitiam suam nonnunquam murmure incerto, vel bombo verius retegebat. Cælius lib. 8. cap. 10. Antiq. lectionum.

HADRIANVS TVRNEBVS Græcarum literarum *Professor regius, persimilem Eurycli Aristophanis, hominem astutum Petrum Brabantium se vidisse testabatur: qui quoties volebat, toties ex ima corporis parte labijs immotis loquebatur: & hac Dæmonis impostura multis passim imponebat. Nam cum Lutetiæ virginem quandam formosam, sed patre orbatam deperiret, nec matrem superstitem inducere posset, vt eam sibi desponderet: tandem cum vltrò citroq; hac de re colloquuntur, vocem edit è corpore, qua demortuus mulierculæ maritus de pœnarum grauitate conqueri videbatur, quas ob vxoris diffidentiam in purgatorio perpeteretur, quòd ea filiam à Brabantio toties expetitam, optimo viro denegaret. Quibus illa questubus exterrita, viriq; miserta, petitioni nebulonis assensit: quem tamen non tam filiam, quàm dotem ei à patre in testamento constitutam ambijsse, satis apparuit. Sex enim mensibus post, vbi puellæ bona decoxisset, vxore socruq; relicta, Lugdunum aufugit. Ibi mercatorem quendam ac trapezitam prædiuitem obijsse intellexerat. Qui cum haberetur iniustissimus, eò quòd omnia per fas & nefas in vita corrasisset, filium Cornutum, eius vnicum hæredem, in porticu pone cœmiterium obambulantem adit, &*

eò se

eò se missum innuit, vt quid opus facto esset, doceret. Cæterum dum ei de patris anima potius, ac fama, quàm morte cogitandum esse dicit, vox inopinatò inter loquendum patrem referens exauditur: quam cum Brabantius ex ventre daret, se tamen expauescere mirum in modum simulabat. Mouebatur autem hac voce filius, quem in statum pater iniusticia sua decidisset, & quantis purgatorij cruciatibus tum sui, tum ipsius causa exagitaretur, eò quòd iniquorum eum bonorũ hæredem reliquisset, quamq; nullo modo liberari posset, nisi iusta à nato expiatone facta, & debitis in eos eleemosynis collatis, qui maximè tum temporis egebant, eos autem esse Christianos à Turcis captos. Proinde viro, qui cum loqueretur, crederet, hunc ad redimendos eos constantinopolim à pijs hominibus ablegatum, eiusq; rei ergò diuinitus ad eum missum. Cornutus, homo minimè malus, etsi his auditis dolum haud animaduerteret, quia tamen durum videbatur istud de pecunia verbum, se deliberaturum respondit, & Brabantium eò loci postridiè redire iubet. Interea anxius, de loco subdubitabat, in quo vocem exaudierat, quod vmbrosus esset, ac opacus, & hominum insidijs Echoq; aptus. Quare postero die, cum in alium apertum, planum, nullisq; vepribus aut vmbris impeditum locum deducit: Vbi nihilominus eadem inter loquendum repetebatur cantilena, hoc etiam addito, vt Brabantio statim sex Francorum millibus numeratis, tres in singulos dies Missas redimeret pro salute patris, alioquin nullam apud inferos fore redemptionem. Vnde filius conscientia ac religione obstrictus, licet ægrè, totidem tamen Brabantij fidei commisit, omni legitimo accepti solutiq; testimonio neglecto. Pa

te

ter ignibus ac Vulcani ictibus liberatus, in posterum quieuit, nec filium amplius interpellauit. Verum miser Cornutus dimisso Brabantio, cum solito latior esset, idq; reliqui mensarij satis admirari non possent, mox vt sciscitantibus causam aperit, adeò statim irrisus fuit à cunctis, vt præ mœrore post aliquot dies mortuus, & patrem ad inquirendam ex eo rei veritatem insecutus fuerit. Vierus lib. 2. cap. 12. de præstig. Dæmonum.

AMPHIARAVS OICLEI filius, augur & vates, *quem cum Adrastus Argiuorum Rex in bellum contra Thebas vellet ducere, recusauit, ac ne cogeretur, sese occuluit, quòd præuideret, ibidem se periturum. Fraude tamen vxoris Eriphiles (quam monili corruperat Adrastus,) proditus est, & inuitus ad bellum tractus, in Bœotia, eo in loco, qui Harma postea dictus fuit, cum curru & equis terræ hiatu absorptus est. Statius in Thebaide.*

ACTIVS NAVIVS puer, & quod magis *rideas, pastor, Prisco Tarquinio regnante, litui vsum sibi vsurpans, repentè quidem è subulco augur, vulgataq; rei fama ad Regem euocatus est. Quem Rex intuens, & ætatem & habitum fortassis irridens, tentauit hoc modò: vtrum, inquit, quod nunc in animo mihi est, fieri possit, an non possit? interrogo. Nauius cum augurium peregisset, fieri posse respondit. Hic verò Rex elusisse putans: Atqui, inquit, quòd cotem hanc nouacula scinderem, meditabar. Ille mirabili constantia: Potes ergo, ait: Arreptaq; nouacula, in conspectu stupentis Regis ac populi, cotem secuit. Inde sacram Romanis augurium.*

CVM apud Nolam L. Sylla esset, vt cum seniore *Mario decertaret, perturbato admodum animo, quòd*

rem perdifficilem animaduertebat esse, augur Posthumius, qui eo præsente rem diuinam faciebat, tensis ad Syllam ambabus manibus, dixit: vt vinciri eum iuberet, ac postmodum occidi, nisi eius prælij penes ipsum victoria maneret, felicemq; euentum nancisceretur, ex eo, quòd tunc augurali scientia prauidere iussus erat. Postero enim die vrbem Romam ingressus Sylla, inde Marium expulit, animumq;, vt optauerat, expleuit. Fulgosus lib. 8. cap. 11. ex Plutarcho in Sylla.

SPVRINA prædixerat C. Iulio Cæsari, *vt proximos 30. dies, quasi fatales, caueret, quorum vltimus erat Idus Martiæ. Et cum fortè manè vterq; in domum Caluini Domitij ad officium conuenisset, Cæsar Spurinæ: Ecquid scis Idus Martias iam venisse? Et is, Ecquid scis, illas nondum præterijsse? Abiecerat alter timorem, tanquam exacto tempore suspecto, Alter, ne extremam quidem eius partem periculo vacuam esse arbitratus est. Vtinam Aruspicem potius augurium, quàm patriæ parentem securitas fefellisset. Valerius lib. 8. & Suetonius.*

AGRIPPA HERODIS MAGNI ex Aristobuli F. *nepos, Romæ in vincula coniectus à Tiberio Imper. quia Caio fauere videretur, ante Regiam stabat inter alios quosdam æquè vinctos, incumbens præ mœrore in quandam arborem. Cui cum insedisset bubo, vnus è vinctis, natione Germanus, alitem conspicatus, sciscitatus est à milite, quisnam esset ille purpuratus? & cognito Agrippam esse, Iudæorum nobilissimum, rogauit militem, vt liceret sibi propius ad eum accedere: cupere enim se quædam de ipsius patria cognoscere. Quo impetrato, & adhibito interprete, O iuuenis, inquit, contristat te quidem tam*

repen-

repentina & improuisa fortunæ mutatio, nec facilè credes propè esse effugium, sic consulente rebus tuis diuina prouidentia. Sed testor patrios Deos, quòd nihil auribus tuis daturus sum, neq; te inani consolatione lactaturus. Fieri non potest, quin confestim euadas ex his vinculis & mutatis rerum vicibus, ad amplißimam dignitatem simul atq; potentiam peruenias, vsq; ad eorum inuidiam, quibus nunc videris miserabilis. Felicem quoq; habiturus es vitæ exitum, relictis in opum succeßione liberis. Memento autem, quando hunc alitem iterum videris, quintum ex eo diem fatalem tibi futurum. Hæc sunt, quæ tibi cœlestes missa hac aue nunciant. Proinde rogo, vt quamprimum felicitatem istam repræsentari tibi senties, des operam, vt nos quoq; eripiamur ex his aduersitatibus. Verus fuit vates. Nam post sex menses Tiberius periit. Caius in imperio succeßit, qui Agrippam Regem fecit. Iosephus libro 18. cap. 8.

HISPANI Adelittos & Almoganenos *vocant populos, qui ex volatu auium, ex voce, ex ferarum occursu, aliarumq; rerum plurimarum ariolantur, quid boni maliq; sit euenturum, deniq; auguriis omnibus prognosticis libros habent diligentißimè scriptos. Horum alteri sunt Duces ac velut Magistri, alteri comites ac discipuli. Est alia horum peritia, inuestigare transitus non equorum modò, iumentorumq;, sed hominum quoq;, per uestitam, per nudam, per duram humum, per lapides, per saxa, vt nec numerus eorum qui transierunt vnquam ferè eos fallat. Qui apposita voce Inuestigatores dici possunt. Hi artis suæ specimen ediderunt insigne bello, quod Ferdinandus contra Mauros geßit. Nam cum centum*

Saraceni equerij apud Regem suum deuouissent, nunquam reuersuros, nisi præclarum aliquod aduersus Christianos facinus edidissent: & clam per inuia ad Christianorum præsidium opprimendum accessissent: Inuestigatores eorum iter numerumq; subodorati, certiores de insidijs stationarios reddidêre, & equerios insecuti, in torrentis alueo vtrinq; interclusos sese dedere coëgêre, longa serie colligatos vnico fune. Laurent. valla lib. 1. Historiar.

ALEXANDER Imp. anno Domini 904. vt Sigebertus *scribit, ignauus fuit, luxui & magia deditus. Percontatus à præstigiatoribus suis, an diu victurus esset? Responsum accepit, si apro æneo in theatro dentes & pudenda ademisset. Quo dicto significabant, eum gula & libidinibus deditum, à quibus nisi abstineret, eum sibi mortem acceleraturum esse: Id quod euenit. Nam post balneum epulis & lusibus deditus, rupta vena, sanguinis effusione interijt. Zonaras & Cedrenus.*

SIMEON Bulgarorum Dux, Crobatis bellum *intulerat, Romano Lacapeno Imperatori nunciatur, statuam in summo fornice Xerolophi versus occasum positam, in Simeonis Bulgari formam conuersam esse: cuius statua caput si amputetur, Simeonis interitum haud procul abfuturum. Eo facto, eadem hora Simeonem ex stomachi dolore expirâsse, Imperatori nunciatũ est. Zonaras.*

IN Gadibus est lapis antiquus in margine maris, *opere Saracenico optimè sculptus super transitu, deorsum latus & quadratus, sursum strictus, & tantæ altitudinis, quantum solet volare coruus in sublime: super quem eleuata est statua hominis de Orichalco, in pedes erecta, faciem habens versus meridiem, & clauem ingentem*

dextra

dextra manu tenens. Quæ clauis, vt tradunt Saraceni, de manu eius cadet, anno quo Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam Hispaniam Christianis legibus in nouissimis temporibus subiugabit. Moxq; vt viderint Saraceni clauem lapsam, gazis suis in terra positis, omnes fugient. Tradunt Saraceni, quòd Idolum illud Mahomet, dum adhuc viueret, fabricârit, & quandam legionem Dæmonum arte magica eò alligârit, quæ tam fortiter id obtineat, vt à nullo vnquam frangi potuerit, nec Christianos sine periculo accedere patiatur, sed solos Mahometanos, & aues ei insidentes subitò enecet. Turpinus Remensis apud Erfordiensem cap. 68.

APVD Septentrionales Biarmos, Lappos, Bothnicos, *Finnones, diuinationis magicæ species frequens est huiuscemodi: Conclaue ingreditur Magus, vno comite vxoreq; contentus: ranam æneam aut serpentem malleo super incude certis ictibus percutit, carminumq; murmure hinc inde reuoluit, continuoq; cadens in extasin rapitur, iacetq; breui tempore vt mortuus. Interea diligentissimè à prædicto comite, ne culex, musca, aliúdue animal eum contingat, custoditur. Ad se reuersus, annulum vel cultellum in testimonium expeditæ legationis ostendit, & quid agatur certis indicijs conductori suo declarat. Olaus lib. 5. cap. 17.*

IANNES præceptor Theophili Imperatoris, *solebat peluis vaticinio & præstigijs futura prædicere. Cum aliquando Barbari tribus ductoribus vsi Romanam ditionem infestarent, Imperator optimè sperare iussit. Inter æreas statuas, quæ erant in Euripo circi, statua quædam ferebatur extare triceps. Tres ergo malleos æreos*

fabricari iubebat Ianes, eosq́; tradi viris manu validis, qui constituta noctis hora, secum ad statuam illam accederent, iisq́; cùm ipse mandasset, capita fortiter ferirent, dum ea veluti vno ictu atq; impulsu in terram deiicerent. Magna iam parte noctis exacta cum viris istis Iannes ad statuam venit, magicumq́; carmen recitans, robur quod inerat statuæ, adimit, viros omni vi percutere capita statuæ iubet. Eorum duo validissimis ictibus duo capita statuæ decusserunt: tertius remissius aliquantum feriens, inclinauit quidem, non tamen à corpore totum auellit caput. Eodem modo cum gentis eius Ducibus actum fuit: Nam seditione coorta intestina, duo de Ducibus ceciderunt, tertius vulnus accepit, sed non lethale. Itaq; Barbari viribus suis destituti, domum rediêre. Cedrenus.

APOLLONIVS TYANEVS in Epheso cum di*sputaret, animo penè abalienatus, intentisq́; oculis, tanquam si in re præsenti fuisset, sæpius dixit, Percute peccatorem Stephane, percute. Postremoq́; addidit, Mortuus est Tyrannus. Qui cum magna omnium, qui aderant admiratione auditus esset, postea acceptum est eadem die, atq; ipso horæ momento, Romæ occisum fuisse Domitianum Augustum, ab homine cui nomen Stephano erat, sicut tunc Apollonius declarauerat. Fulgosus libro primo, capite sexto, & Xiphilinus in Domitiano.*

STEPHANVS HAGIOCHRISTOPHORITA (offi*cij nomen est) sed ob impietatem Antichristophorita aliâs dictus, postquam ex dæmonio per Sethum magum cognouit, Andronico Comneno ab eo, cuius nomen haberet initium Is, exitium imminere, Isaacium Angelum, quem Andronicus vt hominem mollem spernebat, comprehen-*

dere statuit, ac primum in custodiam dare, deinde Andronici tyranni arbitratu occidere. Igitur ad ædes Isaacij vesperi ingressus, Isaacium descendere, ac se sequi iussit. Illo verò cunctante, vim adhibuit. Isaacius sese defendens, Stephanum occidit, & stricto ense templum ingressus, eam sedem conscendit, in qua homicidæ suum facinus exponentes, ab ingredientibus & egredientibus veniam petunt. Vrbana verò multitudo maximo numero statim ad templum confluit. Eodem se confert Isaacij patruus, Ducas Ioannes, eiusq; filius Isaacius. Ad hæc alij promiscuam turbam, quæ in templum confluxerat, ac subinde accurrebat, rogabant vt secum maneret, & pro virili opem ferret, in summo periculo constitutis. Totam igitur noctem sic exegit Isaacius, vt non de Regno cogitaret, sed exitium deprecaretur. Est autem diligenti supplicatione id consecutus, vt quidam ex eo cœtu fores templi clauderent, & illatis luminibus, exemplo suo multos impellerent, ne domum abirent. Vbi diluxit, omnes vrbis Constantinopolitanæ incolæ affuerunt, omnes Deum orârunt, vt Andronico pulso, Isaacius imperio potiretur. Andronicus qui vrbe tum aberat, cognita Stephani cæde, nihil fecit aliud, nisi vt ciues breui scripto moneret, vt nouis rebus studere desinerent: Cuius hoc fuit initium, Qui habet, habet, pœna sublata est. Manè verò pluribus concurrentibus, Romanorum Imperator salutatus Isaacius, cum quidam ex æditituis, Magni Constantini coronam, quæ supra mysticam mensam pendebat, scalis depromptam eius capiti imposuisset, inauguratus est. Iam cum equi Imperatorij aureis ornati phaleris per traiectum Cioniorum aduehererentur, vnus ab equisone vi auulsus, comprehenditur, & ad Isaa-

cium adducitur. Is eo conſcenſo, ex magno templo diſcedens, Andronico ſibi fuga conſulente, palatium ingreditur, ac Imperator ſalutatus confirmatur. Nicetas.

GVLIELMVS Comes Hollandiæ, Rex Rom. Friſia *ſubacta, cum iuxta quandam ciuitatem miro opere exornatum reperiſſet ſepulchrum, ac cuiúſnam id eſſet, quæreret? Ciues reſpondent: Neminem hactenus illic ſepultum, ſed quodam occulto fato id reſeruari cuidam Romanorum Regi. Cum ergo victor equitaret cum paucis, diuerticulum quærens, vt ſecurius exercitum reduceret, in glacie cecidit. Friſones qui latitabant, erumpunt, & priuſquam Regi ſubueniretur, cæſus partim, partim in galea ſuffocatus periјt. Friſones conuocatis finitimis, Hollandos expellunt, ac trucidant, anno Domini 1255. Sic ab indigenis iuxa vaticinium, ei tumulo, anno Regni ſui nono, Rex imponitur. Sed filius, eius Florentius Quintus eius nominis, poſt viginti ſeptem annos oſſa patris ex Friſia deduxit in Selandiam, Mittelburgum, ac Monaſterio Monialium Præmonſtratenſis Ordinis, à filia eius Richarde fundato, & cenſibus aucto, inſeruit, Anno Chriſti 1282. Cuſpinianus.*

IN Gothia meridionali ſpectantur duo tumuli, *ingentibus ſaxis, cipporum loco, impoſita habentes duorum fratrum corpora, quibus ab auſpice in prima adoleſcentia prædictum fuerat, fore vt mutuis vulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotiſſimas, maximeq́ contrarias orbis partes ſuſcepêre. In extrema ſenecta demum in patriam reuerſi, cum quiſq́ fratrem iam pridem mortem obїſſe ſperaret, non procul ab oppido Ionaco ſibi inuicem ignoti occurrerunt, & ſalute*

vltrò

vltrò citroq́; dicta & accepta sub pinu proxima quieuerũt. Mox rixantibus eorum canibus, ipsi quoque ad iurgia primum, inde ad vulnera mutua proruperunt, animamq́; trahentes, & fratres se agnoscentes, in mutuis complexibus expirârunt. Olaus libro primo de ritib. Septentrional. cap. 37.

SIGTHVNIVS Rex Suetiæ, dum sacrificia *Dijs apud Vpsalam metropolim offerret, accepto per victimarios responso, didicit sibi ab auri metallo supremam perniciem & mortem fatali necessitate imminere, ideoq́; summopere ab eo cauendum esse: à ferro, aut Chalybe, cæterisq́; metallis nunquam violari aut occidi posse. Quocirca cum se inuictum putaret, multa bellorum discrimina aggressus est. Huic erat filia Gro pulcherrima. Hanc Schioldus Danorum Rex filio suo Gramo coniugem postulauit. Sed iam pater ipsam nobilissimo pugili Sumbli Finnorum Regis fratri desponderat. Itaq; Gram putans se à Sigthunio contemptum, ferarum pellibus circum amictus, magno discrimine ad Regiam Sigthunij peruenit, tempus obseruans, donec egredientem virginem in mutuum amorem alliceret, allectamq́; & sponte volentem abduceret. Prius tamen Bessus eius comes, per summam ingenij vim, virginis animum in amorem sui regis induxit. Ergo nil reluctantem virginem in suam Daniam perductam magno amore dilexit, & Guthormum postea Daniæ regem, & filiam Sibdageri Noruegiani regis coniugem ex ea suscepit. Sigthunius raptæ puellæ pater, iniuriam armis vindicaturus, bello Danos persequitur. Gramus clauam more gianteo gestans, quam auro infuso ponderosiorem effecerat, imminentem audacius capiti suo Sigthunium socerum*

occidit, non inutile documentum futuris Sueonum Regibus eo facto relinquens, quòd plus aurum quàm ferrum formidabile credant. Iohannes Magnus lib. 2. cap. 6.

In lecto Sempronij Gracchi duo angues reperti, *triste omen dederunt. Ab Aruspice enim indicatum, si marem emisisset, vxori breui tempore esse moriendum: sin fœminam, ipsi. Quod cum audiuisset Sempronius, Corneliam vxorem plurimum amans, fœminam ex serpentibus emisit. Vxorem seruauit, & ipse paulò post è vita excessit. Polydorus Vergilius lib. 3. prodig.*

M. Marcellus captarum Syracusarum, & *Hannibalis ante Nolana mœnia à se primum fugere coacti gloria inflammatus, cum summo studio niteretur, vt Pœnorum exercitum aut in Italia prosterneret, aut Italia pelleret, solenniq; sacrificio voluntates Deorum explorare, quæ prima hostia ante foculum decidit, eius iecur sine capite inuentum est, proxima iocinoris duplex caput habuit. Quibus inspectis, Aruspex tristi vultu, non placere sibi exta, quia prima trunca, secunda nimis læta apparuissent, respondit. Ita montibus M. Marcellus, ne quid temerè conaretur, insequenti nocte speculandi gratia, cum paucis egredi ausus, à multitudine hostium in Brutijs circumuentus, æquè magnum dolorem ac detrimentum patriæ, interitu suo attulit. Valerius lib. 1. cap. 6. & Plutarchus in Marcello.*

Antharis Longobardorum Rex, Garibaldi Ba*uarorum regis F. Theodelindam sponsam in agro Veronensi excepit. Non procul inde tacta de cœlo arbore, Agilulphus Taurinensium Dux consulto Aruspice, responsum tulit, Theodelindam Anthari virginem nubere, sed paulò*

post

post Agilulpho viduam. Auspicij fidem exitus confirmauit. Nam Antharis cum sex annis pulchre regnasset, Ticini veneno absumptus est. Longobardi Theodelindæ eius vxori, præ mansuetudine & comitate nimia potestatem fecêre, quem virum optaret, eum sibi sumere liceret, eumq́ue se pro rege habituros polliciti sunt. At illa Agilulphum elegit. Mediolani celebratæ nuptiæ, vbi omnium consensu Longobardorum rex ille declaratur. Bonfinius lib. 8. Decadis primæ.

Bello Cimbrico Batabaces Pessinunte aduentauit, *Matris magnæ Ideæ sacerdos. Hic Deam attulit ex adyto nunciâsse sibi, victoriam populo Romano magnumq́ue belli decus accessurum. Cum esset Senatus assensus, atque ædem Deæ victoriæ caussa decreuisset: prodeunti in concionem, vt hæc ad populum ederet, Batabaci interdixit. A. Pompeius tribunus plebis, præstigiatorem appellans, hominemq́ue cum indignitate depulit ex rostris. Quæ res commendauit potissimum dicta eius. Nam simul atque dimissa concione domum regressus Pompeius est, tanta vis occupauit eum febris, omnibus vt constaret, & peruulgatum esset, eum intra septimum diem expirâsse. Plutarchus in Marij vita.*

L. Sylla contra Cinnam & Marium in Italiam *reuersus ex Asia, in Siluinis Seruum Pontij narrat fanaticum allocutum se, qui nunciare ipsi à Bellona diceret, se belli palmam & victoriam. Quod ni maturaret, Capitolium conflagraturum: idq́ue eodem euenisse, quo ille prædixerat die, qui fuerat pridie Non. Quintiles, quas nunc vocamus Iulias. Plutarchus in Sylla.*

Creophilus in terminis Ephesiorum, Ephe-

sum

sum, inquit, ædificantes, cum loci magnopere essent dubij, ad Oraculum tandem miserunt, qui, vbi ciuitas esset locanda, percunctarentur. Respondit autem Dæmon, hic vrbem condere, vbi piscis demonstrasset, aperq́ue docuisset. Est autem fama, quod vbi nunc est fons Hypelæus vocatus, portusq́ue sacer, piscatores quidam prandium parabant. Tum quidam ex piscibus vna cum carbonibus exiluit, atque in palearum fasciculum decidit, incensus est continuò cespes, in quo aper agrestis fortè latitabat, qui igne perterritus, bonam montis partem percurrit, ac eò vsque vbi Trachea nunc vocatur, conciditq́ue iaculo vulneratus, vbi nunc Palladis templum est erectum. Tum insulam occupantes Ephesij, cum annos viginti & vnum eam habitâssent, Tracheam vigesimo secundo postea condiderunt & Corissum, Dianæq́ue templum in foro, & Pythij Apollinis in portu erexerunt. Athenæus lib. 8. cap. 11.

FVIT apud Locros lignea canis talem habens *historiam: Quippe Locro cuidam reddita sors est, Ibi ciuitatem conderet, vbi canis lignea morsum ei infixisset. Quo nomine, cum ad alterum enauigasset maris littus, calcauit* κυνόσβατον, *id est, Rubum caninam, spinæ genus, inde cum suspicaretur finem habere Oraculum, ciuitates condidit, quas Locri habent Ozolæ. Cælius lib. 17. cap. 28. ex Athenæo lib. 2. cap. 33.*

LEONIDES libro quarto de populis Atticæ, cum *Thymætes frater iunior, inquit, qui erat nothus, Aphidantem Atheniensium regem obtruncâsset, ipse regnauit Athenis. Quo effectum est, vt Melanthus Messenius exul ex patria, Oraculum, vbinam esset habitaturus, acceperit: cui responsum est, vbi primum muneribus ab hospi-*

tibus

tibus pedes & capita ei in cœna apponentibus exciperetur, quod accidit postea in Eleusina. Nam cum festum quoddam de more patrio celebrassent, omnesq; carnes absumsissent, ac pedes tantum superessent, & capita, hæc ipsa ad Melanthum detulerunt. Athenæus lib. 3. cap. 9.

BYZANTIVM, antea Lygos dictum, à Lacedæmonijs, *Pausania duce, in angustissimo Europæ Asiæq; Euripo conditum est, quibus ab Apollinis Pythij Oraculo dictum fuit, vt contra cæcos sedes locarent, id est, Megarenses: qui Chalcedonem sterili solo, omissa locuplete ripa, è regione condiderunt. Strabo libr. 7. Hanc vrbem è ruinis Constantinus Magnus, qui Imperij sedem ex vrbe Roma in Orientem transtulit, ad Parthorum excursiones compescendas, nouis mœnibus cinxit, diuinitus admonitus, sublimibusq; turribus, ac magnificentissimis ædibus ita exornauit, vt habitaculum Deorum potius quàm Imperatorum crederetur. Hanc cum Imperator Neam Romam nominare vellet, vulgus à conditore Constantinopolim vocauit. Cuspinianus,*

FAMA est, prodigiosum scrophæ occursum, au*gurium Troianis, qui duce Ænea in Italiam venerant, fecisse condendæ vrbis. Eam prægnantem fuisse aiunt, altaribusq; admotam sacrificantium manibus excussam, inde quatuor & viginti stadia procul à mari paruo tumulo consedisse, loco natura sanè horrido ac prædifficili. Aeneas Oraculi memor, cum paucis, qui fortè aderant, scropham eminus est secutus, ne vestigio instans fatali via auerteret. Tum verò naturam loci contemplatus, cum nihil in eo perspiceret, quod ad sui cultum inuitaret, consilij anceps angebatur, nec in animum inducere poterat, tam*

impor-

importunas sedes fato demonstrari. Eratq; iam dudum in re vna deliberanda occupatus, deberétne illic esse, an longius adhuc iret: cum ex proximo loco vox sine autore reddita est, quæ Troianos illic iubebat permanere. Pergerent modò ædificare, cætera fatis permitterent. Alij authores sunt Deorum penatium effigiem hic Aneneæ per quietem obuersatam, quibus iussus sit locum communire. Sed quæcunq; oraculi species ea fuit, cõstans fama est, scropham postridie cum numeroso fœtu, quem noctu enixa fuerat, repertam, Oraculo fidem fecisse. Tumulus ergo tumultuario opere munitus est, in quo postea Ascanius, qui patri Aeneæ successit, Albam vrbem ædificauit, à colore Suis dictam. Sabellicus lib. 7. Enneadis primæ.

TARQVINIVS SVPERBVS Romanorum Rex, *Iouis, Iunonis, & Mineruæ templum Sabino bello ab auo votum, in parte Tarpeij collis præcelsa & scopulosa, asperitate loci prius castigata, fundare est adortus. Sed cum de more aream inaugurare statuisset, essetq; huius spatij ambitus, sacella quædam vetustissimi operis complexus: quæ quia exauguranda erant, vt omni religionis metu sublato, opifices demoliri possent, ferunt, vt tunc malorum Dæmonum erant illusiones, cætera numina Ioui, deabusq; augurio cessisse, solum Terminum (addunt quidam & Iuuentam) sua sede moueri nequiuisse. Atq; ipsa re in omen stabilis, mansuriq; Imperij accepta, sacellum media parte templi immotum postea mansisse. Est & maius quoddam operantibus prodigium oblatum. Humanum caput recenti tabo ab ijs, qui in ima parte operabantur, est inuentum. Tarquinius (nemo enim non id prodigiosum putauit) domesticos Vates consuluit. Hi omnem eius disciplinæ laudem*

ad Hetruscos referentes, ad regem pertulerunt, vt in Hetruriam sciscitatum mitteret. Hetruscus vates respondit fore, vt ibi arx Imperij, caputq́ rerum esset, vbi id ostentum apparuisset, ac iam inde locus ex Tarpeio capitolium est dici cœptum. Sabellicus lib. 5. Ennead. 2.

ALEXANDER MAGNVS mouens castra à Troade, *peruenit ad Mineruæ templum. Ibi Sacerdos Alexander nomine, cum ante ædem Ariobarzanis, qui Phrygiæ præses fuerat, statuam humi prostratam, aliaq́ non parui momenti ostenta vidisset, accessit ad regem, eumq́ in magno equestri certamine victorem fore confirmauit, præcipuè si circa Phrygiam manus consereret. Adiunxit etiam, manibus suis insignem hostium Ducem eum interempturũ esse: Ea verò omnia sibi à Deis ipsis, & maximè à Minerua significari, quæ ei auxilio ad res feliciter agendas futura esset. Sacerdotis huius prædictionem læto animo accepit Alexander, ac statim Mineruam amplissimo sacrificio honorauit, scutumq́ ei suum dedicauit, & ex templo alterum, quod sibi firmissimum visum est, detraxit. Quo armatus pugnam primam iniuit, vbi celebrem victoriam reportauit. Diodorus lib. 17.*

CVM Græci Aulide in portu Eubœæ naues congregâssent, *Troiam profecturi, & sub platano ara extructa sacrificarent, serpens monstrosæ magnitudinis sub ara prorepens, in platanum summam euasit, & passeris nidum in extremo ramo pendentem amplexus, octo pullos, matremq́ ipsam ala correptam deuorauit, & mox ipse in lapidem obriguit. Calchas Vates augurium interpretatus est: Nouem annis Græcos Troiam frustra obsessuros, decimo tandem capturos & euersuros, tanti facti gloria æternum*

man-

mansura. Vlysses apud Homerum Iliad. β. historiam recenset.

ALEXANDRO MAGNO Gazam oppugnante, *coruus superuolans, cespite siue gleba quadam supernè demissa, Alexandri humerum percussit: inde turre bitumine oblita sedens, implicita tenaci materia alis, captus est. Plutarchus in quodam machinamento sedisse ait, ibiq́ funium nodo implicitum hæsisse. Id intuitus Aristander vates, fore dixit, vt vrbs breui caperetur, verum periculum esse, ne rex eo die vulnus aliquod acciperet. Et vtrumq́ sanè contigit. Sabellicus lib. 4. Enneadis 4.*

CAELIVS PONTIVS, cum ei ius dicenti picus su*pra caput insedisset, & Aruspices respondissent, dimissa aue hostium victoriam fore, sed necata, Reipublicæ, moriturum tamen eum qui oppreßisset: Ipsam statim auem exanimauit. Ex quo accidit, vt ipse cum quadraginta alijs Cælijs interficeretur. Volaterranus lib. 14. cap 2. Anthropol.*

ALEXANDER MAGNVS expeditione Asiana su*scepta, postquam ad bellum mouit, cum alia prodigia Deorum nunciata sunt, tum Orphei signum apud Libethra, quod cupreßinum erat, sub ea tempestate copioso manauit sudore. Eo portento omnibus exterritis, bono animo iußit illum Aristander esse, res eum gesturum nunquam obliterandas ac celebres, quæ multum sudoris & laboris decantantibus eas poëtis & Musicis essent præbituræ. Plutarchus in Alexandro. Idem Tyrum iam septimo mense obsidebat, dumq́ exercitum totum penè reficit à superioribus laboribus, paucos autem, ne respirarent hostes, mœnibus admouet: Vates Aristander victimis cæsis, cum inspiceret exta, confidentius asseruit, apud coronam, vrbem illo*

mense haud dubiè expugnandam. Qua dictum eius ludibrio & risu excipiente, quod dies ea nouissima esset, cernens Rex perplexum, fauensq́; semper vaticiniis, vetuit deinceps trigesimum illum diem, sed vigesimum octauum mensis numerari: signoq́; tuba dato murum acrius, quàm ab initio instituerat, est adortus. Cum vrbs oppugnaretur impigrè, neq; illi qui in castris erant, quiescerent, sed concurrerent ad opem ferendam, fracti Tyrii sunt, vrbemq́; Alexander illo cœpit die. Plutarcus in Alexandro.

SYRACVSANI obsessi à Nicia, ad fanum Herculis, *quòd diu solennia sacra Herculi non fecissent, ascenderunt, immolaueruntq́;. Renunciauerunt Syracusanis sacerdotes læta exta & victoriam Aruspices, si non committerent conflictum, sed vim propulsarent. Etenim superâsse omnes Herculem se defendendo prius violatum. Atq; ita profecti, prælium nauale maximum & acerrimum in ipso portu commisêre, & Athenienses superauêre. Plutarchus in Nicia.*

L. SYLLA cum ad bellum Sociale cum exercitu *mitteretur, apud Lauernam in ingentem sinum terræ labem desedisse, & ex eo grandem ignem erupisse, & lucidam flammam ad cœlum extulisse. Nunciâsse verò fatiloquos, virum egregium, & forma præcellentem atq; insignem præsentibus procellis vrbem, cum summum imperium cepisset, explicaturum. Hunc se ait esse Sylla. Nam faciei suæ peculiarem esse auri colore rutilantem comam. Virtutem verò non erubescere se si sibi sumat, tantis & tam præclaris rebus gestis. Plutarchus in Sylla. Eodem bello, cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, subitò ab vna parte aræ prolapsam anguem prospexit. Qua visa,*

Posthumij Aruspicis hortatu continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum castra cœpit. Quæ Victoria futuræ eius amplissimæ potentiæ gradus & fundamentum extitit. Valer. Max. lib. 1. cap. 6.

P. Scipio Africanus, cum eum exercitum, *qui Carthaginem solo æquauit, corruptum reperisset, correxit. Belli autem exitum, gladij capulum multo sanguine manantem portendisse ferunt: qui cum sæpe abstergeretur, subinde magis cruentatus fuerit. Id enim portentum magnam hostium cædem significare Aruspices dixerunt. Suidas.*

Ferunt aliquando arietis caput cum vnico *cornu ad Periclem fuisse ex agro delatum, ac vatem Lamponem, vt cornu validum conspexit, & firmum media enatum fronte, duarum dixisse, quæ tunc in vrbe erant, factionum, Thucydidis & Periclis potentiam ad vnum delatum iri, apud quem hoc prodigium euenisset. Anaxagoram verò cum os capitis dissecuisset, monstrâsse, non compleuisse cerebrum sedem suam, sed oui modò acutum ex tota testa deuolutum eò loci, vnde originem radix cornu duceret. Atq; in præsentia quidem habuerunt in admiratione, qui intererant, Anaxagoram: breui pòst Lamponem cum opibus fractis Thucydidis, respublica vniuersa in Periclis manum recidisset. Poterat verò rectè vterq; coniecisse, tam Physicus, quàm vates. Alter qui causam, alter exitum probè est assecutus. Illius erat enim munus, vnde prouenisset, & quemadmodum esset enatum contemplari, huius, ad quid genitum esset, & quid portenderet, prænunciare. Plutarchus in Pericle.*

Ante quàm Alexander Magnus Persas aggres-

ſus eſt, narrant Darium, cum primum regnare cœpit, Perſicam acinacis vaginam mutari iuſsiſſe in eam formam, qua Græci tempeſtate illa vtebantur. Ac tum Chaldæorum plures vaticinatos, futurum, vt Perſarum imperium ad eos tranſiret, quorum Rex eſſet vaginam imitatus. Id quod poſtea ſic euenit, Darius enim eſt ab Alexandro captus, & Perſarum Regnum ad Græcos tranſlatum. Sabellicus lib. 4. Ennead. 4.

MAXIMINO Patri ſcutum ad ſolem accenſum *eſt, & haſta fulgure percuſſa, à ſummo ad imum vnà cum ferro in duas diſciſſa eſt partes: Vnde Aruſpices dixerunt, ex eadem gente futuros Imperatores eodem nomine, qui paruo tempore durarent. Ita enim contigit. Nam pater & filius ambo Maximini, ſimul paruoq́ tempore imperârunt. Sabellicus lib. 1. cap. 4.*

DION contra Dionyſium claſſem in Zazyntho *parabat. Miltas Theſſalus vates apum oſtentum, quarum in Dionis nauigijs conſpexerunt ad puppim examen conſediſſe, priuatim apud illum & amicos timere oſtendit ſe, ne res quas geſturus eſſet magnificas, cum floruiſſent pauliſper, emarceſcerent. Plutarchus in Dione.*

QVO tempore Dionyſius Syracuſanus tyranni*de exutus eſt à Dione, aquila raptam ſatellitis lanceam in ſublime tulit, inde demiſit in profundum. Vates reſpondêre, miniſtrum eſſe aquilam Iouis, lanceam principatus inſigne. Igitur euerſionem Tyrannidis moliri Deorum principem. Plutarchus in Dione ex Theopompo.*

CVM Crœſus Lydorum Rex, contra Cyrum Per*ſarum Regem æquo Marte pugnaſſet, & Sardis ſe contineret, repente omnia ſuburbana colubris impleta ſunt, quos*

equi, dum ad pascua irent, deuorauerunt. Telmisses super ea re consulti, externum exercitum affuturum responderunt, qui indigenas subigeret: Coluber enim terræ filius est, & indigena: Equus verò hostis & aduena. Captus interea Crœsus à Cyro, & regno exutus fuit. Herodotus libro 1.

CVM Dion contra Dionysium tyrannum è Zacyntho *insula bellum moturus esset, sub libamina & solennia vota defecit luna. Nec fuit quicquam Dioni noui, eclipticos ambitus, occurrentemq́ lunæ vmbram, & obiectam Soli terram reputanti. Cæterum quia milites attoniti erant eleuandi, Miltas Thessalus vates, concione aduocata, iussit eos bono animo esse, & spem optimam concipere. Quippe denunciare Deum defectum cuiuspiam rei in præsentia illustris. Illustrius autem nihil Dionysij tyrannide esse, cuius luminibus ipsos, vt primum Siciliam attigissent, obstructuros. Ex Theopompo Plutarchus in Dione.*

MINORI Dionysio portentosa prodigia fuêre *à Deo oblata, quo tempore illum Tyrannide exuit Dion. Mare qua alluit arcem, aquam per vnum diem dulcem & potabilem reddidit: idq́, quicunq gustauerunt, percepêre. Cuius rei Plinius quoq libro 2. cap. 100. meminit. Porcelli ei editi sunt reliquis membris integri, tantum mutili auribus. Id vates exposuerunt defectionis & rebellionis ostentum esse: quòd ciues non vltrà tyrannidi futuri essent dicto audientes. Maris dulcedinem tristium & sæuorum temporum in meliora Syracusanis vicissitudinem afferre. Theopompus & Plutarchus in Dione.*

SCRIBIT Actius in Bruto, Tarquinium Su-

perbum

perbum huiuſcemodi ſomnium vidiſſe. Paſtorem ad ſe venire, arietes geminos agentem, ſeq; cum ex his alterum immolaret, aſpexiſſe ſuperſtitem irruentem obnixis cornibus, ſe autem repentino impetu grauiter proſtratum, atq; humi reſupinum, dum cœlum ſuſpicit, animaduertiſſe, Solis orbem nouum & inſuetum iter agere. Quod cum ad interpretes retuliſſet, monitum Regem aiunt, cauendum, ne quem ipſe rudem vt pecus & monſtrum putaret, ille eum latenti prudentia armatus, regno pelleret. Solis autem oſtentum commutationem ſtatus populo ſignificare. Atqui non aliter euenit. Brutus enim, cuius germanum Rex oppreſſerat, & cuius ingenium ludibrio erat, ille Regem nomenq; regium expulit: Romana res mutata, vnius in locum perpetui Regis, duos annuos Magiſtratus habere cœpit. Petrarcha de Somnijs, ex Ciceronis lib. 1. de Natura Deorum, ex Accij Bruto.

HIPPOCRATI Athenienſi, Duci fortiſſimo, *cum priuatus ſpectaret Olympia, ingens contigit portentum. Nam cum hoſtiam immolaſſet, ahena (vt impoſita erant) plena & carne & aqua, abſq; igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret. Quod portentum conſpicatus Chilon Lacedæmonius, qui forte aderat, ſuaſit ei, Primum, ne vxorem fœcundam duceret domum: Secundo loco, Si vxorem haberet, eijceret, & ſi quem ex illa filium ſuſtuliſſet, abdicaret. At Hippocrates Chiloni non obtemperans, Piſiſtratum filium ſuſtulit, qui tyrannidem Athenis inuaſit. Herodotus lib. 1. Sabell. lib. 6. Ennead. 2.*

APVD Thebas Bœotias cum in templo Legiferæ *Cereris ſub Leuctricæ pugnæ tempus, (quando auſpicijs Epaminundæ Spartanos vicerunt) araneæ albas circa*

valuas texuissent telas, adorientibus iam fines Macedonibus ductu Alexandri Magni, excidium vrbi portendentes, nigro omnia opere compleuerunt. Pausanias in Bœoticis, Signum hoc ante mensem tertium, quàm Alexander Thebas perueniret, accidit. Sub ipsum verò eius aduentum, statuæ quæ erant in foro, visæ sunt sudorem guttis prægrandibus emittere. Præter hæc magistratibus renunciatum est, stagnum quod erat Onchesti, edidisse vocem mugitui consimilem, atque in Dirce horrendam quandam speciem cruentatam in summo aquæ supernatasse. Non defuerunt & alij ex Delphis, qui dicerent culmen ædis, quàm Thebani construxissent, à Phocensibus visum esse sanguine suffusum. Vates dicebant, portendere telam illam, Deorum ab vrbe migrationem. Cœlestis arcus speciem, molestiarum varij generis perturbationem. Sudorem de statuis emissum, extrema incommoda. Sanguinem verò qui in locis plerisque comparuisset, cædis multæ ad Thebanam vrbem committendæ indicium esse. Diodor. lib. 17.

SAGVNTI, antequam Hannibalis excidium passa *est, inter magna & assidua monstra, satis constat, infantem è matris vtero penè editum, in ipsum matris aluum reuertisse. Quod prodigium Vates interpretati sunt teterrimum bellum, & fatale excidium ac imminens fatum, quo ad internecionem funditus euersa est. Alexander ab Alexand. lib. 2. cap. 31.*

ARCHELAVS Iudeæ & Idumeæ tetrarcha, propter *tyrannidem ab Augusto Cæsare Romæ accusatus est. Cæsar auditis eius accusatoribus, & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, quæ est vrbs Galliæ, mulctatum prius omni pecunia, anno Regni decimo. Sed priusquam Romam*

euoca-

euocatus est, amicis tale narrauit somnium: Visus est sibi videre decem spicas maturas tritico plenas à bubus absumi: experrectusq́, non contemnendam visionem ratus coniectores super ea consuluit. Quibus dissentientibus, cum variaret interpretatio, Simon, vir Essæus, præfatus veniam, ait hanc visionem Archelao significare mutationem in deterius: Boues enim significare miseriam, quòd in perpetuis laboribus degat hoc animal: præterea rerum mutationem, quia terra horum opera versata, nec locum eundem retineat, nec faciem. Cæterum decem illas spicas, totidem annorum præfinire numerum, eas enim redire annuis vicibus, iamq́ instare Archelao dominationis terminum. Sic ille hoc somnium interpretatus est. Post cuius visionem quinta die venit in Iudæam Procurator Archelaus, ad euocandum illum missus à Cæsare. Iosephus libro 17. capite vltimo.

MEDIOLANI Palatina domus, septimo die *antè, quàm Barnabas Vicecomes ab Iohanne Galeacio patrueli caperetur, adeò vehementer de cœlo tacta est, vt intimi cubiculi peristromata deflagrarent, & viperæ marmoreæ (Vicecomitum insigne) fastigio superstantes fulmine frangeretur. Vates quoq́ domesticus, cognomento Medicina, vt Nonas Maias eo anno trium siderum coitu infaustas caueret, multò ante prædixerat, & tum in fata sua properantem retentare fuerat conatus. Occulta enim vis fati tum maximè vrgebat, quum misero mentis arbitrium eriperet. Iouius in Barnaba.*

ZENON Imperator, audita clade suorum, in ca*stellum, quod populares Constantinopolim vocabant, in tumulo situm, confugit. Quo cognito, suis cum gemitu,*

Homo igitur, inquit, Dei ludibrium eſt, cùm & me ſic ludificari viſum ſit numini. Vates enim conſtanter affirmarunt, oportere me Iulio menſe Conſtantinopoli eſſe. Ac ego me in vrbe fore putaui, nunc & deſtitutus ab omnibus, & exul, in hunc tumulum veni, inuenta miſer appellatione conſimili. Suidas.

FRIDERICO II. quidam hariolus, qui ſpi*ritum familiarem ſibi iactabat adeſſe, prædixerat moriturum eum in agro florentino. Ergo in extrema illa è Thuſcia in Apuliam profectione, omni ſtudio terram Florentinam vitabat. At cum febri grauiter decumberet in arce Apuliæ, ſex millibus paſſuum diſtante à Luceria (Florentinum vocant) reminiſcens & prædictionis harioli, & nominis Florentini, intellexit finem vitæ ſibi adeſſe. Collenutius lib. 4. hiſtoriæ Regni Neapolitani.*

QVIDAM ſcriptores aſſerunt, Ezelinum Ro*manum, & Albericum fratres, cruentos & immanes homines, matrem habuiſſe Adelheidam, ex nobili Thuſcorum ſanguine fœminam, alti ingenij conſilijq́, & tam aſtrorum cœliq́ ſtudio, quàm Magicis artibus ſupra fidem venturi præſciam. Hæc cum ſæpe multa tàm viro quàm natis, tum præcipuè euidens vnum, circa diem ſuæ mortis, oraculi more, tribus verſiculis pronunciâſſe dicitur: In quibus & filiorum potentiam, & exitum, & mortis locum ita cecinit, vt ipſis euentibus nihil ex vaticinio demeretur. Quin etiam vt Albericum ſileam, cum Ezelinus ipſe monitus Caſſanum cauere, ignobilis vici neſcius, Caſſanum caſtrum in Paduanorum ac Hetruſcorum ſitum finibus fatale ratus, omni ſemper ſtudio vitaſſet, tandem poſt ſeptuageſimum ætatis annum, dum ſumma vi Mediolanum*

petit,

petit, ab omnibus fermè Longobardis, quibus trux & insolens spiritus odiosum illum fecerat, circumuentus est. Iam pontem fluminis transiuerat, illic in extremis sese casibus videns, loci nomen sciscitatus: vbi Cassanum audiuit, confusionem nominum recognoscens, adacto calcaribus equo, in oppositum sese flumen iniecit: Heu fatum ineuitabile, heu materna præsagia, heu arcanum Cassanum, horrendo murmure vociferans: Ac vix terræ redditus aduersæ, ab innumerabili hostium exercitu, qui iam pontẽ, & vtramq; ripam occupauerat, opprimitur. Petrarcha.

MACHABÆVS Scotorum Rex. cum Magduffum *timeret, ab Aruspicibus monitus, fatidica mulier prædixit, non illum manu casurum nati ex muliere, nec prius vincendum esse, quam nemus Birnen ad arcem Donusinnam, procul inde distantem, translatum esset. Itaq; se & inuictum, & ab insidijs tutum falsò credidit. Nam pridie quàm vinceretur, excisa sylua Birnen, quilibet ramum secum tulit, atq; ita arcem cinxerunt: Occisus deniq; à Magduffo, qui non natus, sed excisus ex ventre matris fuerat. Cardanus de Rerum varietate lib. 16. cap. 93.*

ANTONIVS à Leua Carolum V. Cæsarem *ad inferendum Gallo bellum animauit, seq; Ducem professus, quamuis sæua arthitide conficeretur, quòd à Diuinaculis accepisset, sibi in Gallia moriendum esse, ad D. Dionysij quiescendum. Id ille de victoria Parisios vsq; extendenda interpretabatur. At longè aliter accidit. Nam Cæsariano exercitu dysenteria confecto, Leua assiduis confectus vigilijs, & doloribus, in Narbonensi Gallia perijt, & Mediolanum relatus, ad D. Dionysium tumulatus est. Sabellici Supplementum libro 20.*

Amilcari Carthaginensium Duci contra Agathoclem Syracusas obsidenti, Aruspex inspectis extis, eum postridie Syracusis cœnaturum affirmauit. Ille dum Syracusis se potiturum sperat, eruptione ciuium captus, eo die inuitus Syracusis cœnauit, & diris vexatus tormentis interijt. Diodorus lib. 20.

Velitris, vbi Augustus Cæsar natus est, antiquitus tacta de cœlo parte muri, responsum est, eius oppidi ciuem quandoque rerum potiturum. Qua fiducia Velitrini, & tunc statim, & postea sæpius penè ad exitium sui cum populo Romano belligerauerant. Serò tandem documentis apparuit, ostentum illud Augusti potentiam portendisse. Suetonius.

Hadrianus Cornetanus Cardinalis, nulla maleuolentia, sed vana regnandi cupidine inductus, Leonis X. mortem expectabat. Certam enim spem adipiscendi Pontificatus conceperat ex oraculo fatidicæ mulieris, quæ, cum pleraque iam pridem interroganti de sua & publica rerum fortuna, exactissimè prædixisset: constanter etiam affirmârat, fore, vt Leone immatura morte sublato, succederet vir senex, nomine Hadrianus, obscuro natus loco, literarum studijs insignis, qui sacros honores gradatim, sola nixus virtute, sine vlla maiorum commendatione meruisset. Hæc omnia sibi vni apertè congruere putabat. Nam Corneto infami Tuscorum oræ oppido, familia tenui, & propè sordida ortus, vno bonarum literarum beneficio, singulas sacrorum ordinum dignitates fuerat consecutus. At sicuti vetulæ oraculum fidem non fefellit, ita Cornetanum fefellit. Neque enim ipse Leoni successit, sed Hadrianus senex Batauus, egeni opificis filius,

doctrina illustris, post Leonem prodigiosa felicitate pontificatum est adeptus. Iouius in Leonis vita, lib. 4.

ALEXANDER MAGNVS, cum Oxydracarum *Indorum metropolim oppugnare statuisset, Demophon quidam ex his, qui futura de ostentis, & signis alijs solent conijcere, Regem aggressus, ex augurij obseruatione se inquit annotasse, magnum ei periculum portendi, ob vulnus, quod in oppugnatione accepturus esset. Propterea admonebat, vti pro tempore ab inuadenda ea vrbe animum ad res alias conuerteret. Hominem Alexander obiurgauit, quòd talibus consilijs virorum fortium virtutem frangeret: atq; his quæ oppugnationi erant necessaria, prouisis, ipse primus sequentibus copijs vrbem aggressus est, vehementer eam vi capere cupiens. Ibi cum serius machinæ adducerentur, portam vnam adortus perfregit, irrumpensq; in vrbem, multos interfecit, reliquos in fugam versos, vsq; ad arcem est persecutus. Interim verò Macedonum multitudine adhuc in tentandis mœnibus occupata, non cunctatus, ipse scalam properè arripuit, & muro artis applicuit, scutoq; supra caput prætento, inscendere occepit. Tantam autem his omnibus celeritatem adhibuit, vt priusquam excubitores Barbari in muri custodiam venirent, ipse iam in eum summum conscenderit. Non audebant hostes proprius accedere, vt manus cum eo conferrent, sed eminus & iaculatores & sagittarij ita eum grauiter vrgebant, vt vix missilium vim sustineret. Macedones scalis, quas duas apposuerant, frequentes scandere conabantur, sed eis pondere perfractis, omnes in terram deciderunt. Igitur omni destitutus auxilio Alexander, solus & armis oneratus in ipsam arcem desilijt, Indisq; im-*

petu

petu facto in eum incurrentibus, audacissimè resistebat. Dextra arborem prope mœnia positam, læua murum ipsum, ne circumueniri posset, sibi pro munimento accepit: atq; ita cum hostibus manus conserebat, eo animo, vt tanquam Rex tot clarissimis rebus gestis, summam virtutem demonstraret, mortemq; gloriosam oppeteret. Multos galea, multos Clypeo ictus sustinuit. Tandem sagitta ei infra mammillam infixa, vi doloris in genua procumbere est coactus. Ibi statim Indus, qui vulnus intulerat, contemptim accedens, ferire eum aggrediebatur, quum Alexandri gladio subter ilia transfixus, lethali vulnere concidit. Rex ramo, qui de arbore prope se pendebat, comprehenso adiutus, surrexit, cœpitq; prouocare ex hostibus, si qui vellent secum decertare. Interim Peucestes vnus è custodibus corporis Regij, scala mœnibus superatis, primus ad sui principis defensionem peruenit: postq; alij plures, qui visi Barbaros perterruerunt, atq; à periculo Alexandrum seruârunt. Diodorus lib. 17.

SERVVS quidam Syrus, in vrbe Apamea natus, *Eunus nomine, magicis incantationibus & circulatorijs præstigijs deditus, seruiebat apud Ennenses in Sicilia. Hic se futura prædicere instinctu afflatuq; Deorum ipsi in somnis apparentium simulabat. Mox etiam non solum ex somniorum visis futura prænunciabat, sed & vigil cernere se Deos, & ex ijs res futuras audire fingebat. Quum autem in multis vaticinationibus mendax comperiretur, interim tamen casu euentus quarundam rerum verè prædictionibus eius responderunt: vt falsa quidem eius vaticinia nemo coargueret, vera autem cum applausu diligenter notarentur, hominum opinio de eo indies augebatur.*

Postremò artificium excogitauit, quo flammam ex ore cum quodam fanatico furore emittebat, & cum flamma simul vaticina verba Phœbadum in morem fundebat. Ignem enim in nucem, aut aliquid huiusmodi vtrinque perforatum, simulque materiam, quæ illum alere posset, imponebat, deinde ori indens & afflans, modò scintillas, modo flammam accendebat. Hic ante defectionem iactare consueuerat, apparentem sibi in somnis Syriam Deam dignitatem Regiam polliceri, & hoc non alijs solum, sed & suo ipsius Domino Antigeni Ennensi assidue dictitabat. Cum autem risu res exciperetur, Antigenes ex hisce prodigiosis mendacijs voluptatem capiens, in conuiuijs Eunum asseclam habebat, eumque sibi super regno interrogabat, & quomodo erga vnumquemque eorum, qui in cœtu illo erant, gerere se decreuisset. Cum autem ille ita ijs responderet, vt in suis sermonibus minime vacillaret, polliceretúrque fore vt dominos suos leniter clementerque acciperet, omnibus risum mouebat. Hunc Eunum serui rebellionem molientes, adeuntes interrogant, an suum ipsorum inceptum à Dijs concederetur? Hic illis assentiens, vt primo quoque tempore illud aggrediantur persuadet. Statim igitur coacta 400. conseruorum manu, in vrbem Ennam irrumpunt, Ducem habentes Eunum. Domos autem ingressi stragem magnam edunt, ne lactentibus quidem infantibus parcentes. Et hoc fuit initium belli Seruilis per Siciliam crudelissimè grassantis, vix tandem à Rutilio confecti. Diodorus Siculus libro 34.

CVM ad Thermopylas 300. Lacedæmonij contra *Xerxem pugnaturi essent, Vates Megistias Acarnas, à Melampode oriundus, prælocutus ex extis mortem omni-*

bus imminere, quamuis palam à Leonide dimitteretur, ne vnà periret, tamen discedere noluit, filium modò, qui ei vnicus erat vnà militantem missum fecit. Socij reliqui, quos Leonides Spartanorum Rex remittebat, abiêre. Thespienses tantum atq; Thebani perstitêre cum Lacedæmonijs, hiq; permanentes omnes cum illo occubuerunt. Herodotus libro septimo.

CVM aliâs sæpè & ab Augusto & à Tiberio va*tibus interdictum esset, ne vel absentibus arbitris, vel coram testibus de cuiusquam morte prædicerent, tandem etiam à Domitiano Imperatore Ascletario viuus comburi iussus, & Larginus Proclus capite damnatus est, quòd publicè prædixissent, quo die ille esset moriturus. Sed horum alter, qui ab eo, qui prouinciæ Germaniæ præerat, Romam missus, quæ prædixisset constantissimè Domitiano asseuerasset, breuemq; diem esse diceret, quo veritas aut vanitas artis iudicari posset, supplicium in hunc diem differri placuit. Et fuit certa diuinatio. Itaq; Neruæ beneficio liberatus est. P. Aerodius ex Suetonio.*

PERVSINVM sacerdotem Grillandus ait maxi*mum fuisse totius Italiæ magum, qui cum missam canens versus populum sese obuertisset, vt diceret, Orate pro me. &c. die quadam dixit, Orate pro castris Ecclesiæ, quia laborant in extremis: eodemq; momento casa fuisse castra, quæ Perusio (vbi canebat Missam) viginti quinq; milliaribus aberant. Similem historiam in Philippo Comminæo legimus, de quodam Italo Viennensi Archiepiscopo, qui præsente Ludouico Rege XI. die Epiphaniæ missam celebrans in æde S. Martini Turonensis, quando pacem Regi osculandam præbuit, hæc verba pronunciauit, pax tibi, ô*

Rex, hostis tuus est mortuus: & hora eadem compertum est Carolum Ducem Burgundiæ ad Nanceum in Lotharingia occidisse. Multa autem de hoc Archiepiscopo Comminæus narrat, quæ nihil magis redolent, quàm veri Magi effecta certissima.

DE DIABOLICIS SOMNIIS, VISIONIBVS, REVELATIONIBVS, ET ALIIS EIVSmodi præstigijs atq; ludibrijs malorum Dæmonum.

AGAMEMNON Græcorum ad Troiam *Dux, Achilli Briseidem eripuerat. Thethis pro filio Achille apud Iouem intercedit, vt propter iniustum Regem Græcos Troianis inferiores reddat, donec reipsa sentiant, quantum damni ex iniuria Achilli illata perceperint. Iupiter Somnum mittit ad Agamemnonem, eumq́ properè copias educere iubet,* νῦν γὰρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν Τρώων. *quod nunc esset capturus Ilium. Iouis non est mentiri, Et tamen eo die vrbem non cepit. Prauidebat Agamemnonis errorem Iupiter, & propterea in homonymo lusit. Namq; aduerbium* νῦν, *Græcis non tantum præsens instans significat, sed latitudinem habet, & ad præteritum quòd non multò antè præcessit, & ad futurum, quod non longè abest, referri consueuit. Iupiter igitur* τὸ νῦν *intellexit de decimo anno, in quo iam erant, quòd scilicet non longè abesset Ilij exci-*

dium.

dium. At Agamemnon de præsenti die somnium interpretans, Græcos eduxit in aciem, & magnam cladem passus est. Iliados β.

CYRVS Persarum Rex, contra Massagetas, *vbi perijt, ducto exercitu, per quietem imaginatus est, se Darium Hystaspis filium maximum natu cernere, duas in humeris alas habentem, quarum vna Asiam, altera Europam inumbraret. Erat Histaspi Aristimenti filio ex liberis Darius natu maximus, qui tum viginti annos natus, in Perside fuerat à patre relictus. Hystaspem Cyrus somno experrectus, suspensusq; nocturna specie, remotis arbitris affatus, se certo Deorum monitu compertum habere ait, à Dario ipsius filio sibi suoq; regno insidias parari. Iret ipse domum, daretq; enixè operam, vt cum Massagetis victis in Regnum rediuisset, sibi filium sisteret, interim in officio contineret. Hæc ille fatorum ignarus. Cæterum imago illa periturum Cyrum ea expeditione monstrauit, regnumq; ad Darium haud multò post peruenturum, quod breuißimo Cambysis regno interiecto accidit. Sabellicus libr. 6. Ennead. 2.*

SOCRATES in somnis discipuli Platonis eloquentiam *atq; Philosophiam præuidit. Nam pridie quàm ad Socratem à patre Plato puer adduceretur, per quietem vidit candidum Cygnum in sinum suum aduolasse, qui aërem miris concentibus repleret. Quod somnium viso Platone statim enarrauit. Pausanias in Atticis.*

HIPPOCRATES in Epistola ad Philopœmenem *somnium enarrat, quod sibi meditanti & sollicito de Democriti, ad quem Abderitis curandum vocatus erat, valetudine sub auroram obuenisse dicit: Videbar, in-*

quit, mihi videre Aesculapium coràm, & iam ad ipsas Abderitarum portas aderamus. Aesculapius autem non vt imagines eum aliàs ostendunt, mitis ac blandus apparebat, sed habitu concitato, & aspectu horrendo. Sequebantur autem ipsum Dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile quiddam velut in desertis ac saltibus subsibilantes. Sequebantur & socij pyxides medicamentarias probè obsignatas gestantes. Deinde porrexit mihi manum, Deus. Quam vbi libentißimè apprehendissem, rogabam vt mihi simul pergere liceret, & ne in medendo destitueret. Verum is, Nihil, inquit, in præsens me opus habes. Sed hæc immortalium ac mortalium communis Dea te peregrinum deducet. Et ego conuersus video mulierem pulchram & magnam, simpliciter ornatam, splendidam, cuius oculorum circuli puro lumine micabant, vt stellarum fulgorem putares. Et Deus quidem disparuit. Mulier verò illa apprehensum me manu, lento gradu benigniter per vrbem ducebat, & vbi prope domum essemus, in qua hospitium mihi paratum esse putabam, velut spectrum disparuit, hoc saltem dicens, Cras te apud Democritum deprehendam. Cùm verò iam se illa conuerteret, Rogo, inquam, optima fœmina, quaenam es, & quo nomine vocari debes? Veritas, inquit illa. Cæterum quam accedentem vides, (& derepente altera quadam mihi apparuit, neq; ipsa mala videbatur, audacior autem aspectu & concitatior) Opinio, inquit, appellatur, & habitat apud Abderitanos. Ego igitur vbi de somno surrexissem, mihi ipsi somnium interpretatus sum, quod non indigeret medico Democritus, quando sanè ipse medendi Deus discessisset, velut qui medendi occasionem &

materiam non haberet. Sed ipsa quidem veritas, quòd Democritus sanus sit, apud Democritum manet. Opinio verò, quòd Democritus ægrotet, reuera apud Abderitas habitat.

ALEXANDER ex gente Herculis per Caranum, *& genere materno Aeacida per Neoptolemum fuisse, pro certo creditur. Fama est in Samothrace initiatum cum Olympiade Philippum, cum esset ipse tum adolescens, illam item puellam parentibus orbam, amasse, atque inde parata fratris voluntate Arybbæ (Arymbam vocat Diodor. lib. 16.) nuptias coisse. Sponsæ ante noctem, qua thoro genitali iuncti fuere, visus est Ioue tonante venter suus de cœlo tangi, atque ex ictu largum succensum ignem, qui mox erumpens in flammas paßim dispersas dißiparetur. Philippus spacio aliquo post nuptias, vidit in somnis, uxoris se ventrem consignare. Habebat sigilli sculptura, vt visa ei est, imaginem Leonis. Ea visione vatibus interpretantibus cæteris Philippo custodijs acrioribus sepiendam coniugem, Aristander Telmesius vterum illam leoni æquandum ait ferre. Nihil enim quod inane sit signari, ac concepisse eum infantem animosum. Plutarchus in Alexandro.*

POETA Sophocles sæpe per quietem conspexit, *Herculem furem eum nominatim accusantem, qui ex fano suo aureum vas furto subripuisset. Vt rem Ephoris detexit, comprehensus, quem Hercules accusabat, verum esse furtum confessus est. Quamobrem ab eo tempore templum illud indicis Herculis nominatum est. Fulgosus libro. 1. cap. 5.*

ANNEVS Seneca, senator Romanus, à Claudio *principe ad magisterium Neronis adhuc pueri, & qui*

bonæ indolis spem dabat, assumptus, nocte statim proxima somniasse dicitur, C. Caligulam, cuius pridem famosissima crudelitas dignum exitum inuenerat, se discipulum habere. Potuit experrectus admirari. At non multò post, mutati, seu verius detecti Neronis mores, & omnis humanitatis expers animus, admirationem sustulerunt: quia tam Caligulæ similis euasit Nero, vt non alter, sed ille idem quodammodo reuersus ab inferis videretur. Petrarcha ex Suetonio & Dione.

SOCRATIS familiaris Eudemus Cyprius, in Macedoniam *proficiscens, Pheras Thessaliæ vrbem opulentam & egregiam, sed Alexandri cuiusdam inhumana tyrannide pressam, venit: illic morbo correptus est tam graui, vt de vita eius desperarent medici. Sic afflicto, iuuenis eleganti specie per noctem adesse visus, tria denunciauit euentura, vt æger mox sanitati restitueretur: vt eius vrbis Tyrannus intra paucos dies mortem obiret: vt ipse post quinquennium remearet in patriam. Et prima quidem duo clarè, vt annunciata erant, euenêre. Nam ipse præter spem conualuit, & Tyrannus ab vxoris suæ fratribus trucidatus est. Tertium verò parumper obscurius. Quinti enim sub anni finem, dum Eudemus è Sicilia, vbi tunc degebat, in Cyprum reditum expectaret, ad Syracusas bello interemptus est. Coniectores verò sic somnium excusasse legimus, vt dicerent hominem tum demum cum è corporis vinculis euaderet, in patriam reuerti. Petrarcha.*

ASPASIA HERMOTIMI filia, Phocensis, post*quam mater eius cum partu animam simul egisset, in orbitate est educata, atq; in penuria, modestè tamen & liberaliter. Insomnium autem frequenter apparebat, euentura*

fortunæ vaticinium præ se ferens, quòd viro pulchro bonoq́ nuptura esset. Adhuc autem puellæ enatus est tumor in ipso mento, aspectu teterrimus, atq́ tum patri tum ipsi puellæ summum dolorem afferens. Proinde pater eam ad Medicum adduxit, qui se curaturum recepit, sed ea lege, si tres sibi stateres persoluerentur. Cum autem pater tantum se non habere diceret, Medicus puellam incuratam dimisit, quæ ob id in acerbißimo luctu versata est. Verum posteaquam præ dolore non cœnasset, planè opportunus eam somnus inuasit. In somno autem visio oblata, hæc verba protulit: Bonum animum geras, valeantq́ medici cum suis Pharmacis. Tu verò rosea Veneris cape, eaq́ contrita tuberi impone. Hæc vbi audisset, & executa esset, tuber euanuit, & Aspasia inter omnes puellas adeò forma, vitæ honestate, incorruptis moribus emicuit, vt primum Cyro Persarum Regi, & eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta sit. Historiam eleganter descriptam leges apud Aelianum de varia historia lib. 12. à principio.

PLINII ætate, cuiusdam militantis in prætorio *mater vidit in quiete, vt radicem syluestris rosæ, quam cynorhodon vocant, blanditam sibi aspectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte. In Lacetania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuq́ accidit, vt milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola matris orantis, vt parêret religioni: seruatusq́ est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Plinius lib. 25. cap. 2.*

AESCVLAPIVS Atheniensis eandem medicinam *Plutarcho Atheniensi, & Domnino Syro Philosopho præscripsit oraculo, illi subinde sanguinem expuenti,*

huic nescio quo malo laboranti. Ea verò fuit, vt suillis carnibus implerentur. Ac Plutarchus quidem, etsi lege patria non vetaretur, talem sanationem respuit: ac somno experrectus, & vlnis in lectulo expansis, Aesculapij statuam intuens, (nam in vestibulo templi dormierat) Quid, inquit, Domnino Iudæo hoc morbo laboranti præscripsisses? neq; enim suillis eum impleri carnibus iussisses. Quæ cùm hic dixisset, Aesculapius statim sono è statua suauissimo edito, aliam curandi morbi rationem ei præscripsit. Domninus autem secus quàm instituta Syrorum ferunt, somnium secutus, non Plutarchi exemplum, & tum & postea semper eas carnes comedit: ac fertur, si quando vnum id diem intermisisset, recruduisse morbum, donec ijs impleretur. Suidas.

DESCENDENTI ad mare ob pertinentia ad *Græciam negotia Themistocli, postquam ad Xerxem confugit, Perses quidam Epixyes nomine, superioris Phrygiæ satrapa insidias struxit, paratis iam pridem Pisidis, qui in oppido, quod Leontocephalon vocant, (significat ea vox caput leonum) pernoctantem trucidarent. Cui matrem Idæam perhibent oblatam per somnium meridianti dixisse: Deuita Themistocles leonum caput, ne in leonem incurras. Pro hoc ego abs te postulo ancillam Mnesiptolemam. Vnde pauore offusus Themistocles, adorata Dea, declinauit viam Regiam, ac locum illum alio circuitu prælatus, iam nocte consedit. Cum autem vnum ex iumentis, quæ portabant tentorium eius, esset in fluuium delapsum, serui Themistoclis aulæas madefactas expanderunt ad siccandum. Interea accurrunt cum gladijs Pisidæ. Cum autem ea quæ siccabantur, non satis peruiderent ad*

lunam: arbitrabantur ea Themistoclis esse tentorium, atq; se illum intus inuenturos quiescentem. Vbi iam suggressi propius sustulerunt aulaam, intenti serui inuolauerunt in eos ac corripuerunt. Ita defunctus periculo, in Deæ, quæ sibi fuerat oblata, venerationem, Magnesiæ templum Dindymenæ condidit, cuius filiam suam creauit Mnesiptolemam sacerdotem. Plutarch. in Themistocle.

L. LVCVLLVS bello Mithridatico ad Hellespontum *profectus classem instruxit. Troadem delatus diuertit in delubro Veneris. Nocte sopitus, Deam videre visus est sibi assistentem, quæ diceret:*

Quid dormis animose leo, cum proximus adsit
Hinnulus ecce frequens?

Surgens aduocatis amicis exposuit adhuc nocte somnium. Simul adfuerunt ab Ilio quidam, qui nunciarent, conspectas ad Achaorum portum quinque remes regias tredecim quæ in Lemnum intenderent cursum. Statim igitur soluit, atq; his potitus est, Præfectum earum Isidorum occidit, &c. Plutarchus in Lucullo.

M. ARCORIVS AVGVSTI Cæsaris medicus, *(cum in campis Philippicis duo Romanorum exercitus stetissent, huic Octauij & Antonij, inde Bruti atq; Cassij, & proximo die essent manus conserturi.) somnium à Minerua accepit, vt admoneret Octauium graui morbo laborantem, ne propter aduersam valetudinem proximo prælio non interesset. Quod cum Cæsar audiuisset, lectica se in aciem ferri iussit. In qua dum supra vires pro adipiscenda victoria excubâsset, morbo liberatus est, & à Bruti militibus de cæde eius cogitantibus, eiusq; castra diripientibus, & lecticam inanem iaculis & pilis traijcientibus*

liberatus. Cicero libro 3. de Diuinat. Sueton. in Augusto.

FVIT Seleucus Antiochi filius, qui vnus fuit *ex Claris Alexandri Ducibus. Is vxorem Laodicem habuit, quæ ea nocte qua Seleucum concepit, per quietem sibi visa est cum Apolline concumbere, à quo annulum anchoræ figura insculptum, in fidei argumentum accepisset, eumq́; in lecto repertum, diligenterq́; asseruatum, Laodice Seleuco de sua origine edocto in Asiam cum Alexandro eunti dedit. Adijcitur, Seleucum, & ab eo procreatos, femur natiua anchora insignitum habuisse. Sabell. lib. 7. Ennead. 4.*

CVM Romani quondam iniquis locis à Samnitibus *circumclusi grauiter vrgerentur, P. Decius, tunc tribunus militum, visus sibi est in somnis inter densissimos cuneos occumbere, multa moriens gloria. Quo somnio vir fortissimus, gloriæ sitientissimus, non tamen territus, quam ad promissi exitus cupiditatem animatus, nullum periculi genus declinare cœpit: & ab amicis vt cautius pugnaret, admonitus, somnium ac propositum suum illis exposuit. Tunc tamen præter opinionem illæsus, saluum exercitum è faucibus hostium eduxit. Verùm pòst triennio interiecto, sera fides somno quæsita est. Bello siquidem Latino Cos. ipse se pro Repub. deuouit: & in medias inimicorum acies inuectus, tanta gloria oppetijt, vt natum ad simile mortis hæreditariæ desiderium excitaret. Hæc ad hunc propè modum & in Annalibus Romæ scripta, & apud Tullium relata sunt.*

C. GRACCHVS TIBERII fratris, in sedi*tione legis Agrariæ interfecti effigiem in somno vidit, dicentis, Quantum vellet cunctaretur, tamen eodem sibi*

letho, quo ipse interijsset, esse pereundum. Quod etiam accidit. Cum enim post leges perniciosissimas promulgatas Auentinum montem cum multitudine armata occupasset, à Lucio Opinio occisus est. Cicero libro 1. de Diuinat. Plutarchus in vita Gracchorum.

C. IVLII Cæsaris vxor Calphurnia, nocte, *quam is vltimam in terris egit, in quiete vidit, multis eum confectum vulneribus in sinu suo iacentem: somnijq; atrocitate vehementer exterrita, rogare non destitit, vt proxima die à Curia abstineret. At ille, ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, senatum, in quo ei parricidarum manus allata sunt, adire contendit, vbi à Bruto & Cassio interfectus est. Valerius lib. 1. cap. 3.*

L. CORNELIVS SYLLA, non tantum præuidit *fatum suum, verum etiam de eo aliquatenus scripsit: Siquidem vigesimo secundo commentario rerum à se gestarum biduò antè quam decessit, extremam manum imposuit: ac prædixisse ait sibi Chaldæos, vbi præclarè vixisset, in flore se felicitatis excessurum. Narrat etiam filium suum, qui paulò ante Metellam obierat, visum per somnium obsoleta in veste sibi assistere, patremq; orâsse, deponeret sollicitudines, pergeretq; secum ad matrem Metellam, ibi quietè cum illa in ocio victurum. Plutarchus in Sylla.*

SPECTATOR ludorum, qui stans in subsellio, *à mirmillone, qualem adesse videbat, se confici in somnis contemplatus erat, vt assessoribus somnium vidisse enarrauit, ita ab illo fuscina occisus, euentu miserabili verum insomnium periculo docuit. Alexander lib. 3. cap. 26.*

MAGNVS SFORTIA pridie quàm ab Orthona contra Braccium, *qui Aquilam vrbem obsidebat,*

anno 1425. discederet, sub auroram somniauit, profunda aquarum mole oppressum in extremo vitæ periculo versari, prospexisseq́ue virum gigantea specie, D. Christophoro persimilem, à quo vel magna ac iterata voce opem frustrà implorâsset. Verum somnio nihil monitus, ab Orthona discedens, in traiectu Aterni amnis (qui hodie à Piscaria oppido nomen habet) dum puero armigero periclitanti opem ferret, protensa dextra, cœnoso subsidens vado, eius equus, quanquam insignis, posterioribus cruribus defecit, atque ita grauantibus armis est submersus. Iouius in eius vita.

MALPAGA SAGITTARIVS, GALEATIO *Sfortiæ Mediolanensi Duci, inter domesticos non ingratus erat minister. Hic pridie quàm Galeatius occideretur, nocte per quietem, tanquam rei ipse interesset, vidit vulneribus confossum eum eodem loculo cum patre componi. Id quod postea ipse vigilans agi mortuo Galeatio perspexit, dum proprius ei loculus fieret. Quem visum idem Malpaga, antequam Dux occideretur, comitibus suis terrore attonitus, narrauerat. Fulgosus libr. 1. cap. 5. Exemplorum.*

MARCVS ANTONIVS TAVRELLVS Guastallæ *comes, cum in Neapolitano Regno militaret, eo bello, quod Ferdinandus senior Aragonius Rex, cum Rege Renato Andegauensi gerebat, in statiuis, quæ in Brutiorum regione habebat, manè è strato surgens, ijs qui eum circumsteterãt militibus suis narrauit, se in somnis visum in aqua submergi: & propterea decreuisse à natatione, cui assueuerat, abstinere. Cæterum cum in meridie post somnum, militari Chlamyde desuper nudo amictus, deambulatum*

ad vicinum lacum esset profectus, ac quosdam è suis natantes videret, nocturni somnij immemor, aut fortasse ita trahentibus eum fatis, natandi gratia in lacum se cum alijs quibusdam demittens, iuxta somnium quod viderat submersus est, cum suorum nullus opem ferre posset. Fulgosus lib. 1. cap. 5.

HORATIVS PERVSINVS Alexandro Medici *Florentinorum Duci minister à dapibus paulò antè quàm is à Laurentio Medici interfectus est, cum febri torqueretur, ex vapore, vti credi par est, atræ bilis, ter noctu visum habuit, quo principem à Laurentio iugulari apparebat. Quæ rerum imagines ægrum pepulerunt, vt Paschalio Principis medico enunciaret ad Principem referendas. Sed Paschalius officio sollicitè fungens, ea mente Principem reperit, vt eam somniantis ægri fabulam esse diceret, admirans, cur tota domus in Laurentij odium conspirasset. Sabellici Supplementum libro 22. ex Iouio.*

BAPTISTA CARDANVS, Papiæ studens, *nocte quadam, vt surgeret, igniculum tentabat accendere. Interim audit vocem hanc, Vade fili mi, Romam vado. Viditq; immensum splendorem, instar fasciculi paleæ ardentis. Territus abiecto focili, sub culcitra latuit, donec contubernales ex Academia redirent. Vbi redierunt, existimantes illum ægrotare, pulsant ostium, aperit. Mox causam sciscitantibus, respondet, arbitrari se mortuam matrem, narrabatq; quæ viderat, & audierat, simulq; flebat. Illi in iocum rem verterunt, partim irridentes, partim consolantes. Sequenti die, cum nondum accepisset nuncium de matris ægritudine, de morte certior factus est, quòd ea ipsa hora expirâsset, qua ille hæc præsenserat. Abest Cardanum*

oppidum

oppidum à Papia millia passuum quadraginta duo. Cardanus de Rerum varietate libro decimoquinto, capite octuagesimo quarto, hæc de suo narrat affine.

VLYSSES post reditum in patriam, territus *crebris somnijs aduersis, interpretes peritissimos conuocauit, narrans visum sibi sæpius simulachrum quoddam, inter humanum, diuinumq́ vultum formæ prælaudabilis, ex eodem loco repentè edi. Quod complecti summo desiderio cupienti sibi, porrigentiq́ manus, responsum ab eo humana voce, sceleratam huiusmodi coniunctionem, quippe eiusmodi sanguinis atq́ originis: namq́ ex eo alterum alterius opera interiturum. Dein percontanti sibi vehementius, cupientiq́ causas eius rei perdiscere, signum quoddam mari editum, interuenire visum, idq́ secundum imperium eius in se iactum, vtrumq́ disiunxisse. Quam rem cuncti, qui aderant, exitialem vno ore pronunciârunt, monentes caueret ab insidijs filij. Ita suspectus patris animo Telemachus in agros, qui in Cephalenia erant, relegatur. Ipse secedens in loca abdita semotaq́, somniorum vim euitare nitebatur. Per idem tempus Telegonus, quem Circe editum ex Vlysse apud Acæam insulam educauerat, vbi adoleuit, ad inquisitionem patris profectus, Ithacam venit, gerens manibus quoddam hastile, cuius summitas marina turturis osse armabatur, insigne scilicet insulæ eius, in qua ipse editus erat. Edoctus vbi pater Vlysses ageret, per custodes agri suspectior primo aditu prohibitus, vbi vehementius perstat, è diuerso repellitur, clamare occipit, indignum facinus, prohiberi se à parentis complexu. Ita creditum Telegonum ad inferendam vim Regi aduentare, acrius resistitur, nulli quippe compertum, esse alium etiam Vlyssi fili-*

um.

um. At iuuenis vbi se vehementius & per vim repelli videt, dolore elatus, multos custodum interficit, aut grauiter vulneratos debilitat. Quæ postquam Vlyßi cognita sunt, existimans iuuenem à Telemacho immissum, egressus foràs, lanceam quam ob tutelam sui gerere consueuerat, aduersum Telegonum iaculatur. Postquam huiusmodi ictum iuuenis subterfugit, ipse in præsentem insigne iaculum mittit. Vbi eo ictu Vlysses concidit, gratulari cum fortuna, confiteriq; optimè secum actum, quòd per vim externi hominis interemptus, parricidij scelere Telemachum charißimum sibi liberauisset. Deinde reliquum adhuc retentans, iuuenem percontari, quisnam, & ex quo ortus loco, qui consilio belloq; inclitum Vlyssem Laërtis filium interficere ausus esset? Telegonus tum cognito parentem esse, vtraq; manu dilanians caput, fletum edit quàm miserabilem, maximè discruciatus ob illatam per se patri necem. Dictys libro. 6.

PINDARVS Poëta Lyricus, exacta iam ætate in *somnis videre visus est adsistere Persephonem, & quari, vnam se ex omnibus Dijs non fuisse ipsius carminibus exornatam. Verum vbi ad eam venisset, suum etiam ipsi hymnum esse facturum. Paulò quidem pòst, atq; adeò ante decimum ab eo somnio diem, vitæ muneribus est perfunctus. Erat Thebis anus quædam, Pindaro genere coniuncta, & in multis eius Canticis decantandis valde exercita. Ei Pindarus se per quietem ostendens, hymnum in Persephonem cecinit. Illa mox experrecta, conscripsit omnia, quæ cantantem Pindarum per visum in quiete audierat. In eo sanè cantico, inter alia Ditis cognomina, est Chrysenius,*

ab aureis nempe habenis, quod ad Proserpinæ raptum pertinere satis constat. Pausanias in Bœoticis,

PHAYLLO Phocensium Regi, post spoliatum *Delphicum phanum, vix dum ad imperandum aggresso, talis oblata est per somnium species. Inter Apollinis donaria peruetus effigies quædam fuit ex ære, hominis, cui carne consumpta, sola essent reliqua ossa. Aiebant Delphi ab Hippocrate Medico dedicatam. Huic Phayllus se similem factum videre visus est. Ac paucis pòst diebus, macie contabescens, somnij euentum impleuit. Pausanias in Phocicis.*

SVB excidium Messenæ, vigesimo primo anno *belli, Aristodemus Rex Messeniorum, per quietem visus est videre, cum esset armis iam sumptis ad pugnam exiturus, victimarum extis in mensa appositis, filiam (quam ante sexennium pro patriæ salute deuotam suis manibus interfecerat) in pulla veste aßistentem, & nudato pectore vulnera ostentantem: deinde disturbatis è mensa extis, detractis armis, ab ea aurea se corona, & albis vestimentis donari. Mortem itaq; sibi somnium hoc portendere arbitratus est, quòd Messenij optimates coronatos, & candida veste velatos efferunt. Nec mora, cum filiæ deuotione patriæ se nihil profuisse videret, ad filiæ tumulum sibi ipsi mortem consciuit. Plutarchus in Cleomene.*

MACEDONIAE Rex Alexander, Cassandri pe*stiferam sibi dexteram somnio prius cognouit, quam exitu sensit: Existimauit enim se ab illo interfici, cum eum nunquam vidisset. Interposito deinde tempore, postquam in conspectum venisset, nocturni metus patefacta imagine, vt Antipatri filium esse cognouit, adiecto versu Græco, qui*

fidem somniorum eleuat, præparati iam aduersus caput suum veneficij, quo occidisse Cassandi manu creditur, suspicionem animo repulit. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7, Sabellicus lib. 6. Ennead. 4.

ALCIBIADES somnum capiens, pallio amicæ *suæ se coopertum in somno putauit. Cuius veritas mox secuta est. Critias enim cum videret Alcibiadem plurimum gratia & autoritate valere, operam dedit vt è medio tolleretur. Misit igitur Tisimenum (vel vt alij nominant Susametrem) & Bagoum, vt eum interficerent. Ille cum apud amicam esset, in eius gremio interfectus, & insepultus abiectus, amicæ suæ vestimento contectus est. Iustinus lib. 5. Plutarchus & Probus in eius vita.*

EFFICAX illa quietis imago, quæ Crœsi Regis *animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam è duobus filijs, & ingenti agilitate, & corporis dotibus præstantiorem, imperijq; successioni destinatum Atym existimauit ferro sibi ereptum. Itaq; quicquid ad euitandam denunciatæ cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessauit auertere. Solitus erat iuuenis ad bella gerenda mitti, domi detentus est. Habebat armamentarium, omnis generis telorum copia refertum, id quoq; amoueri iussit. Gladio cinctis comitibus vtebatur, vetiti sunt propius accedere. Necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim ingentis magnitudinis aper, Olympi montis culta, crebra cum agrestium strage vastaret, inusitatoq; malo Regium imploratum esset auxilium, filius à patre extorsit, vt ad eum opprimendum mitteretur: eò quidem facilius, quòd non dentis, sed ferri sautia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi Su-*

em

em omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiæ lanceam, petendæ feræ gratia ab Adrasto missam, in eum detorsit: & quidem eam potißimum dexteram nefariæ cædis crimine voluit aspergi, cui tutela filij à patre mandata erat. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. & Herodotus lib. 1.

POLYCRATIS Samiorum Tyranni filia, *videbatur sibi cernere per quietem, patrem in aëre sublimen esse, qui à Ioue quidem lauaretur, à Sole autem vngeretur. Hac visione territa, patrem monebat, ne ad Orætem Cambysis Præfectum Sardis proficisceretur. At ille dicto non parens, ob Oræte cruci affixus est. Herodotus lib. 1.*

HIPPARCHO Pisistrati filio, in somnis obie*cta est viri proceri imago hos versus pronunciantis:*

τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ,
οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Manè ad somniorum coniectores hæc referre volebat. Sed mox spreta visione, neglexit, & in pompam prodijt, vbi ab Aristogitone & Harmodio Gephyræis fuit interfectus. Herodotus lib. 5.

CIMON ATHENIENSIS, cum contra Persas *expeditionem moueret, classe iam parata, somnium tale habuit: Canis irata ipsum allatrare visa est, & vocem inde ex humana & canino latratu confusam edere, in hæc verba:*

Vade, mihiq́, meis catulisq́ futurus amicus.

Astyphilus ergo Posidoniates, diuinus homo, & Cimonis familiaris, mortem ei prædici asseruit, hoc vsus argumento: Canis homini quem allatrat inimicus est: inimico autem nemo charus est, aut amicus, nisi quando moritur.

Porrò mixta vox, Medum hostem designat, cuius copiæ ex Græcis & Barbaris mixtæ sunt. Somnium verum fuisse, exitus comprobauit. Non multò pòst enim Cimon morbo in obsidione Citij perijt. Plutarchus in eius vita.

Cvm in somnis quidam Socrati visus esset Ho*mericum versum recitare:*

ἤματι μὲν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

Æschini dixit, Tertio die moriar. Phthia erat patria Achillis. Et amici conabantur persuadere Socrati, vt in Thessaliam fugeret, quòd illic haberet bonos amicos. At ille φθίω, *ἀπὸ τοῦ* φθίεσθαι *deduxit. Et tertio post die, hausta in carcere cicuta perijt. Laërtius in eius vita.*

Atterivs Rvffvs, eques Romanus, cum *gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem Retiarij se manu confodi vidit. Idque postero die in spectaculo consessoribus narrauit. Incidit deinde, vt proximo ab equite loco Retiarius cum Mirmillone introduceretur. Cuius cum faciem vidisset, idem dixit, ab illo se Retiario trucidari putâsse, protinusque inde discedere voluit. Illi sermone suo, metu eius discusso, causam exitij misero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso Mirmillone, & abiecto, dum iacentem ferire conatur, transiectum gladio Atterium interemit. Valerius Maximus libro primo, capite septimo.*

Ivlivs Caesar non multò antè quàm in*teriret, in somnis modò supra nubes volitare, modò dextram Ioui iungere sibi visus est. Suetonius. Quin etiam nocte eadem, cùm in lecto suo cubaret, omnibus cubiculi ianuis pariterque fenestris patefactis, exterritus est simul strepitu & lumine, Calphurniamque splendente Luna aduertit arctè*

sopitam,

sopitam, voces obscuras, suspiriaq́ edere indiscreta. Imaginabatur illa lugere se eum, quem in gremio teneret confossum. Eam visionem alij negant ei oblatam. Sed cum Cæsaris ædibus esset ex Senatus consulto adiunctum, vt autor est Liuius, velut ad ornamentum & amplitudinem pinnaculum, id per quietem imaginata collabi Calphurnia, videbatur sibi ideo lamentari & lachrymari. Ac cùm lux appetisset, rogauit Cæsarem, si qua fieri posset, ne prodiret, sed in aliud tempus reijceret Senatum. Quod si somnia sua flocci penderet, at Aruspices hostiasq́ consuleret de impendentibus. Vnde fuit aliqua illi quoq́, vt videtur, oblata suspicio & metus: quippe superstitionem nullam animaduerterat ante muliebrem in ea, quam tum videbat anxiam. Vt verò multis iam cæsis hostijs renunciauerunt ei Aruspices, litari non posse, statuit misso Antonio senatum dimittere. Interea Decius Brutus, Albinus cognomento, quem Cæsar ob fidem, quàm ei habebat, in secundis hæredibus scripserat, cum coniurationis alterius Bruti & Cassij consors esset, veritus, ne si diem illum exemisset Cæsar, res efferretur, irrisit Aurispices, Cæsaremq́ castigauit, & manu præhensum eduxit. Et sic eo die in Curia, multis vulneribus confossus, miserabiliter trucidatus est. Plutarchus.

CAESARE interfecto, populus coniuratos requirebat *abditos. Helius Cinna Poëta ex amicis Cæsaris somnium horrendum priore nocte habuerat. Videbatur sibi ad cœnam inuitari à Cæsare: cum renueret autem, manu ab eo inuitus & reluctans duci. Hic audito Cæsaris corpus in foro cremari, etsi visionem suspectam habebat, & tenebatur etiam febre, honoris illius causa in forum profe-*

ctus est. Vt conspectus est, nomen quidam ex plebe quærenti alteri dixit, ille alteri: mox omnes peruasit vnum hunc esse ex Cæsaris percussoribus. Erat enim in Coniuratis alius illi cognominis Corn. Cinna: quem quòd existimarent hunc esse, impetu confestim facto, in ipso foro eum dilacerauerunt. Plutarchus in Cæsare & Bruto.

NERO, descisentibus subinde prouincijs, terrebatur *euidentibus portentis somniorum, & auspiciorum, & omium, tum veteribus tum nouis, nunquam antea somniare solitus. Occisa demum matre, vidit per quietem nauem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octauia vxore in arctissimas tenebras. Et modò pennatarum formicarum multitudine oppleri, modò à simulachris gentium ad Pompeij theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progressu: Asturconem, quo maximè lætabatur, posteriore corporis parte, in Simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. Suetonius.*

GALBA Imperator, paulò ante suum interitum, *monile margaritis gemmisque confertum, ad ornandam Fortunam suam Tusculanam ex omni gaza secreuerat. Id repentè, quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicauit. At proxima nocte in somnis visa est Fortuna conqueri, de monili erepto: & seriò minari, sese quoque ea, quæ dedisset, erepturam. Insomnio territus Imperator, summo mane præmissis, qui rem diuinam appararent, in Tusculanum excurrit: nihilque inuenit, præter tepidam in ara fauillam, atratumque iuxta senem, in Catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Suetonius.*

MINERVAM, quàm superstitiosè colebat, *somniauit excedere sacrario Domitianus, negantem vltrà*

se tueri eum posse, quòd exarmata esset à Ioue. Idem somniauit, Rusticum cum gladio accedere, & Mineruam, quæ in eius cubiculo collocata erat, arma abijcere, eandemq; ex curru, qui nigris equis trahebatur, in magnum hiatum descendere. Mox ab insidiatoribus suis interfectus est. Xiphilinus in eius vita.

ANTONINVS CARACALLA, Imperator, *paulò antequam à Martiale tribuno militum gladio confoderetur, & profectionem ex Antiochia pararet, Pater Seuerus ei cum gladio astitit in somnis, aitq;: Quemadmodum tu fratrem Getam interfecisti, ita ego te interficiam. Experrectus igitur è somno Antoninus, suæ crudelitatis atque vitæ finem instare nequaquam dubitauit, cum antea quoq; vates similia prædixissent. Dion Nicæus.*

INTRA priuatum habitum Dionysio Syracusano *adhuc se continente, Hymeræa quædam, non obscuri generis fœmina, inter quietem opinione sua cœlum conscendit, atq; ibidem Deorum omnium lustratis sedibus, animaduertit præualentem virum, flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis cathenis vinctum, Iouis solio pedibusq; subiectum. Interrogatoq; iuuene, quo gratia considerandi cœli duce fuerat vsa, quisnam esset? Audiuit illum Siciliæ atq; Italiæ dirum esse fatum: solutumq; vinculis, multis vrbibus exitio futurum. Quod somnium postero die sermone vulgauit. Postquam deinde Dionysium, inimica Syracusarum libertati, capitibusq; insontium infesta fortuna, cœlesti custodia liberatum, velut fulmen aliquod ocio ac tranquillitati iniecit, Himera eum mœnia, inter effusam ad officium & ad spectaculum eius turbam, intrantem vt aspexit, hunc esse, quem in quiete viderat, vociferata est. Id*

cognitum tyranno, curam tollendæ mulieris dedit. Valerius lib. 1. cap. 7.

CVM in Capitolium Cicero Iulium Cæsarem *prosequeretur, eiq; narraret nocte proxima à se visum Iouem, qui cathena aurea puerulum mira indole à cœlo ad Capitolij portam demiserat, cui postea flagrum in manu dederat: Perspecto tunc Octauio, quem Cæsar, voti soluendi gratia, in Capitolium duxerat, cognouit eum esse quem in somnis viderat: Triumphiratusq; eius, verè flagrum insolentis nimium Romanæ nobilitatis, certum Ciceronis somnium fecit. Fulgosius lib. 1. cap. 5. & Xiphilinus in Augusto.*

Q. CATVLVS dedicato Capitolio, per quie*tem vidit Iouem è multis prætextatis pueris vnum delegisse, cui signa Romana manu gestanda dederat, atq; sequenti nocte cum dormiens illum ipsum puerum à Iouis gremio pellere vellet, Iouem dixisse, ne puerum amoueret, quòd ad Reipub. Romanæ tutelam eum seruabat. Mane sequenti in Octauium fortè incidens adhuc puerulum, ab effigie vesteq; cognouit, ipsum illum esse, quem per quietem viderat. Fulgosius lib. 1. cap. 5. & Xiphilinus.*

SOMNVS Vespasiano Patri imperium suum fi*liorumq; ostendit. Nam cum adhuc priuatus esset in Achaia cum Nerone, ab incognito dici sibi per quietem vidit, cœpturam suam felicitatem, cum Neroni dens exemptus esset. Experrectus igitur, is in quem primò incidit medicus fuit, qui dentem ostendit, quem tunc Neroni euulserat. Itaq; haud multò pòst secuta Neronis mors, item Galbæ, ac post eos Othonis ac Vitellij discordiæ, Vespasiano ad Imperium primordia ac vires dedêre. Fulgosius lib. 1. cap. 5. Quin etiam Nero ipse vidit per quietem, Currum Iouis in*

ædes Vespasiani intromitti: Quæ cum egerent interpretatione, Iosephus Iudæus Imperium Romanum Vespasiano portendi dixit. Xiphilinus in Vespasiano.

IVLIANVS Imperator creatus à militibus in *Gallia inuitus, dixit amicis quibusdam charioribus: Nocte ea, quæ declarationis Augustæ diem præcesserat, à se visam per quietem imaginem alicuius genij, quæ hæc ei obiurgando dixerit: Dudum Iuliane vestibulum ædium tuarum obseruo, latenter tuam gestiens augere dignitatem, sed aliquoties repulsus abscessi: ac ne nunc quidem recipior, sententia concordante multorum. Ibo demissus & mœstus, id tamen retinebo in corde, quòd tecum diutius non habitabo. Cuspinianus.*

IN somnis visus est Stilponi Philosopho Neptu*nus iratus, quòd non immolâsset Hecatombem, quemadmodum mos erat. At Philosophus hoc viso nihil perturbatus, respondit: Quid ais Neptune? itáne veluti puer huc venisti, cum tua querimonia, quòd pecunia mutuò sumpta non expleuerim nidore ciuitatem? Atqui pro rei familiaris modulo sacrificaui tibi apuas aliquot. Ad hæc arridens Neptunus, visus est illi arrepta dextra dixisse: In tuam gratiam ingentem apuarum prouentum largiar ciuitati Megarensium. Quod & euenisse tradunt.*

HIPPIAE Pisistrati filio, dum exul Regium af*fectat fastigium, apud Marathonem nocturna species matris, cum qua coire videbatur, per quietem oblata est. Qua de re Imperium latè sibi portendi coniectores sibi responderunt, ipséq; somnio monitus, & spei plenus, Athenarum dominio haud multò pòst potitus fuit. Herodotus lib. 6.*

MATER Dionysij Siracusani, cum eum conceptum *vtero haberet, parere visa est Satyriscum: consultoq́ prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graij sanguinis futurum, certo cum euentu cognouit. Valerius lib. 1. cap. 7.*

CYRI superioris ortum ad imperium totius A*siæ spectantem, maternus auus Astyages, duobus prænuncijs somnijs frustra discutere tentauit. Mandanen filiam suam, quòd in quiete viderat vrinam eius omnes Asiaticas gentes inundâsse, non Medorum excellentissimo, ne in eius familiam Regni decus transferretur, sed Persarum modicæ fortunæ viro Cambysi collocando, natumq́ Cyrum exponi iubendo: quia similiter quietis temporibus existimauerat, genitali parte Mandanes enatam vitem eò vsq; creuisse, donec cunctas dominationis suæ parteis inumbraret: frustratus est enim seipse, nepotis felicitatem, cœlestium iudicio destinatam, humanis consilijs impedire conando. Valerius lib. 1. cap. 7. Herodotus lib. 1.*

CYRUM Assyriorum Regem somniasse ferunt, *maximum filiorum Hystaspis Reguli, geminis alis, altera Asiam, altera Europam obumbrare. Itaq; post Cambysem filium, Hystaspis maior natu filius Darius regno potitus, Europam & Asiam domuit. Herodotus libro 1. & Iustinus.*

DEMETRIO Antigoni filio, Mithridates Ario*barzanis filius socius erat, & æqualis, & obseruabat Antigonum, homo neq; re, neq; aliorum opinione malus. De eo sinistra suspicio incidit Antigono, propter insomnium. Nam secundum quietem visus erat sibi spaciosum campum auri ramentis conserere, inde auream primò succrescere segetem:*

tem: Paulò post se cum reuertisset eò, nihil præter stipulas offendere, & cùm grauissimè doleret, cuiusdam vocem audire, qui Mithridatem aurea demessa segete in Pontum Euxinum abiisse diceret. Perturbatus, id visum filio ad silentij prius iuramentum adacto aperuit: idque etiam, se statuisse quoquo modo Mithridatem interficere. Grauiter doluit hac re cognita Demetrius, cumque adolescens ille pro more suo ociosus ad ipsum accessisset, ob iuramenti religionem verbis eum monere non ausus, sensim ab amicis seduxit: cumque soli essent, in terram inuersa hasta cernente eo scripsit, Fuge Mithridates: isque re intellecta, noctu in Cappadociam aufugit. Insomnium autem Antigoni mox fatum comprobauit: amplam enim & bonam regionem occupauit Mithridates, Regnique Pontici, quod sub octauo circiter Rege Romani euerterunt, autor fuit. Plutarchus in Demetrio.

ACTIA Augusti Cæsaris mater, in Apollinis *templo obdormiens, visa est cum Dracone commisceri, peperitque expletis ad pariendum mensibus. Adhæc, antequam páreret, somniauit viscera sua sublimè in cœlum ferri, & in totum terrarum orbem diffundi. Eadem nocte Octauius ex vulua vxoris oriri in somnis vidit. Cum infans iam natus esset, Nigidius Figulus Senator statim patri filij summum Imperium prædixit. Xiphilinus, & Suetonius in Augusto.*

OCTAVIVS cum per Thraciam exercitum du*ceret, & Bacchi Oraculum de filio Augusto consuluisset, insequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuuijsque Iouis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bissenis*

equis candore eximio trahentibus. Q. Catulus post dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniauit: Prima, Iouem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, vnum se creuisse, atque in eius sinum signum Reipub. quod manu gestaret, reposuisse, atque in sequenti animaduertisse, se in gremio Capitolini Iouis eundem puerum, quem detrahi iußisset, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam Reipub. educaretur. Ac die proximo obuium sibi Augustum, cum incognitum aliàs haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero, de quo somniâsset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Iupiter compluribus Prætextatis tutorem à se poscentibus, vnum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, eiusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. Marcus Cicero C. Iul. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè narrabat: Puerum facie liberali demissum cœlo, catena aurea ad fores capitolij constitisse, eique Iouem flagellum tradidisse. Deinde repentè Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque auunculus Cæsar ad sacrificandum acciuerat, affirmauit ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obuersata sit. Suetonius.

CONVENIT inter omnes, tam certum Vespasianum *Imperatorem de sua suorumque genitura semper fuisse, vt post aßiduas in se coniurationes ausus sit affirmare Senatui, aut filios sibi successuros, aut neminem. Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli palatinæ domus positam examine æquo, cum in altera lance Claudius & Nero starent, in altera ipse ac filij. Nec res fefellit, quando totidem annis, parique temporis*

ſpacio vtriq; imperauerunt. Neronem diebus vltimis monitum per quietem ferunt, vt thenſam Iouis Opt. Max. è ſacrario in domum Veſpaſiani, & in circum deduceret.

HADRIANVS pridie antequam Imperator deſignatus eſſet, *vidit Antiochiæ Syriæ in ſomnis ignem de cœlo in ſiniſtram partem iuguli ſui cadere, mox ſerpere in dextram, quo igne neq; perterritus, neq; læſus eſſe ſibi videretur. Dion Nicæus, & Xiphilinus in Adriano.*

ALEXANDER dum Tyrum vrbem per menſes *ſeptem aggeribus, machinis, atq; ex mari triremibus ducentis oppugnat, per quietem Herculem vidit ex muro ſibi manus tendentem inuitantemq́;. Tyriorum multis viſus in ſomniјs Apollo eſt dicere, ad Alexandrum ſe tranſire, neq; enim ſibi cordi eſſe ea, quæ in vrbe agerentur. Illi verò ſicut transfugæ ſceleris comperti Apollinis ſimulachrum deuinxêre cathenis, clauisq́; baſi affixêre, Alexandri fautorem* appellantes. *Alia ſpecies eſt noctu Alexandro obuerſata. Satyrus ei oblatus eſt. Viſus eſt hic procúl ei alludere. Quem cum corripere conaretur, ſubducere ſe, tandem poſt preces multas ſuas & circumcurſationes venire in manus ſuas. Ei Vates diſſecto nomine non abſurdè reſponderunt, σὰ τύρος. Tua erit Tyrus, quòd σὰ Græcis tua ſignificet. Oſtendunt fontem, apud quem videre ſecundum quietem viſus eſt Satyrum. Plutarchus in Alexandro.*

EVMENES, cum Neoptolemum & Craterum *contra ſe mouiſſe ſentiret, & pararet de nocte mouere, mox prodigioſa ſopore oppreſſo oblata viſio eſt. Alexandros duos viſus eſt videre ad prælium inter ſe committendum inſtruentes aciem, ac ſingulas vtrumq; ducere pha-*

langes: hinc vni Mineruam, alteri cererem auxilio venire. Commisso acri certamine fusum eum, à quo stabat Minerua, Victori Cererem desectis spicis coronam contexere. Hoc visum protinus coniecit secundum esse sibi, qui pro optimo agro, & id temporis præclaram habente in Calyce spicam dimicaret. Plenus enim totus sementis erat, & speciem præbebat pax splendidam magna comantibus vbertate campis. Iam magis erectus est, postquam accepit signum pugnæ hostibus Mineruam & Alexandrum esse. Itaq; signum ipse quoq; suis Cererem & Alexandrum dedit, præcepitq́; omnibus, vt corona caput & arma spicea redimerent. Commisso prælio, Craterum & Neoptolemum interfecit. Plutarchus in Eumene.

TIMOLEON Corinthiorum Imper. classe in au*xilium Siculorum contra Dionysium Tyrannum comparata, subministratisq́; omnibus quibus opus erat exercitui, Sacerdotes Proserpinæ Cererem & Proserpinam visæ sunt videre ad peregrè proficiscendum se ornantes, & cum Timoleonte dicentes, nauigaturas se in Siciliam. Quare triremem sacram Corinthij parauerunt Drabus nuncupatam. Naues habebat Corinthias septem, duas Corcyrenses, decimam Leucadij præbuêre, cum his soluit. Nocte cum in alto esset, & secundo vento veheretur, visum ei repente cœlũ est fissum, & super nauem copiosam effudisse & luculentam flammam. Inde fax elata mysticis germana, comitansq́; & tenens eundem cursum, quam potissimum Italiæ partem gubernatores petebant, in eam est delata. Vates hanc speciem consonare cum Sacerdotum somnijs asseuerârunt, & huic expeditioni esse præsto Deas, atq; hoc iubare cœlitus prælucere. Esse enim Proserpinæ Siciliam*

sacram

sacram, nam raptam quoque ibi fabulantur, atque hanc insulam ei nuptiali dono datam. Ac diuinitus quidem ad hunc modum confirmata classis fuit. Plutarchus in Timoleonte.

HANNIBALIS Carthaginensium Ducis, vt *detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium, cuius non vigiliæ tantum, sed etiam ipsa quies hostilis imperio Romano fuit. Hausit enim proposito, & votis suis conuenientem imaginem, existimauitque missum sibi à Ioue mortali specie excelsiorem iuuenem, inuadendæ Italiæ ducem. Cuius monitu, primò vestigia nullam in partem secutis oculis, mox humani ingenij prona voluntate vetita seruandi, ponè respiciens, animaduertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu, omne quicquid obuium fuerat, proterentem: postque eum magno cum cæli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis inuolutam tenebris. Attonitus deinde, quidnam esset monstri, ecquid portenderet? interrogauit. Hic Dux: Italiæ vides, inquit, vastitatem: proinde sile, & cætera tacitis permitte fatis. Valer. Max. lib. 1. cap. 7.*

AMANDATVS à Mardonio est ad Amphiarai o*raculum seruus, scitatum super ijs quæ administrarentur. At is per quietem putauit, Dei ministrum sibi assistentem, primò quidem voce repellere, ceu abesset Deus: mox verò, vt minus obsequentem, manu etiam obtrudere: postremò pertinacius perseueranti, lapidem benè magnum in caput impegisse.* Ταῦτα δὲ ἦν ὥσπερ ἀντίφωνα τῶν μελλόντων, id est, *Hæc autem erant velut futurorum antiphona. Superatus namque Mardonius est ad Platæas ingenti prælio, ac lapide ictus cecidit. Cælius lib. 19. cap. 15. ex Plutarcho.*

Xerxes Darii filius, Persarum Rex, bellum Græcis illaturus erat. *Artabanus Hystaspis filius Xerxis patruus, vehementer obstitit. Xerxes quamuis stomachabundus, tamen Artabano parére proposuerat. Verùm vrgentibus fatis, bis idem habuit somnium. Heroica specie virum vidit, obiurgantem se, quòd Græciæ bellum inferre differret. Re cum Artabano communicata, Artabanum Regijs vestibus indutum, in Regio solio somnum capere coëgit. Artabano quoq; eadem species ob oculos versata est. Itaq; non minore studio, quam ante obstiterat, Xerxem ad Græciæ bellum inflammauit: nimirum sic vrgente malo Xerxis fato, vt insolentissimus Rex suæ temeritatis & superbiæ pœnas daret. Idem visus est sibi in somnis surculo oleagineo coronatus esse, cuius oleæ ramis vniuersa tellus obrueretur: & mox corona capiti circumdata euanuit. Clarius & certius hoc somnium priore. Totum orbem bellico apparatu terruerat Xerxes, & de Græcia iam triumphum egisse videbatur, captis Athenis, cum Themistoclis solertia fractus, turpi fuga vitæ suæ consulere fuit coactus. Herodotus lib. 7.*

Ad Arginusas Spartani Duce Callicratida na*uali prælio cum Atheniensibus pugnaturi erant, vatibus vtrinq; dissuadentibus. Lacedæmonijs enim victimæ caput in litore iacens disparuit, æstu fluctus haustum: hæc omnia portendi, prætorem classis eo certamine periturum, nunciârunt Aruspices. Quo audito, ferunt Callicratidam respondisse, nihil Spartanæ dignitati, si pugnado caderet, se detracturum. Thrasybulo verò Atheniensi, qui tum Prætor classem ductabat, cuiq; ea die summa imperij pro sorte obuenerat, per noctem somnium huiusmodi apparuit. Vide-*

batur

batur sibi, unà cum sex alijs prætoribus, Athenis in Theatro frequenti Tragœdiam Euripidis agere, cui Phœnissas titulus inscribitur. Aduersarijs verò Tragœdiam, cui nomen Supplices, agentibus, visum esse. Cadmeam victoriam illis obtigisse, cunctosq́ interijsse, Duces imitando, qui ad oppugnandas Thebas castra posuerant. His auditis vates ad coniectandum accitus, ita est interpretatus, septem Duces eo prælio casuros. Ac sacris alioquin victoriam palàm spondentibus, iubet Duces, vti collegis suis solis de interitu cuiq; nuncietur, victoriam verò ex ipsis sacris portentam, per vniuersum diuulgent exercitum. Pugna commissa, Callicratidas aliquot ante hostium nauibus oppressis, occubuit: victoria penes Athenienses mansit, 25. nauibus desideratis, hostium 77. depressis. Vtrinq; nauibus paulò minus quadringentis pugnatum, idq́ prælium omnium maximum memoratur, quod quidem vnquam Græci cum Græcis decertârint. Diodorus libro 13.

PYRRHO EPIROTARUM Regi Spartam obsidenti *tale somnium est oblatum. Videbatur ei Lacedæmon fulmine ab ipso icta inflammari tota, atq; ipse inde exultare. Lætitia excitatus imperat Ducibus, vt milites habeant instructos, somniumq́ exponit amicis, quasi vrbem esset expugnaturus. Cui cum alij mirificè assentirentur, non placuit Lysimacho visum. Vereri ait se, ne vt loca, quæ vt fulmine afflantur, manent inaccessa, ita Pyrrho Deus non ingressurum significaret eum vrbem. Huic vbi Pyrrhus respondit, meras eas esse præstigias, atq; incertitudinis plenas: illud verò in manibus arma tenentem sibi quemq; subijcere debere.*

Optimum id augurium pro Pyrrho exponere vitam. Primo diluculo vrbem aggreditur, Sed impigrè & supra vires se defendentibus Lacedæmonijs, obsidionem soluere coactus fuit. Plutarchus in Pyrrho.

CN. POMPEIVS Mithridatem Regem ad *Euphratem assecutus, noctu cecîdit. Quo tempore fama fertur vidisse Mithridatem in somnus speciem, quæ futura ei prænunciaret. Videbatur sibi in mari Pontico secundo nauigare vento, Bosphorumq; iam prospicere, & comiter vnà vectos affari, vt qui certa & indubitata incolumitate gaudeat: verùm repentè ab omnibus se reperisse desertum, ac fragmento exiguo nauigij iactari. His occupatum motibus & imaginibus assistentes amici excitauêre, Pompeium nunciantes adesse. Pugna igitur pro vallo commissa, victus est. Longè plus decem millia cecidere, & castra capta sunt. Ipse Mithridates initio octingentorum equitum cum eo per Romanos erupit. Mox cæteris di ipsis solus relictus cum tribus est, in quibus Hipsicratia fuit pellex, quæ semper quidem virilis audaciæ fuerat: quare Hipsicratiam eam Rex appellauit. Tunc verò veste amicta virili Persica, & equo vecta, nec corpore ex fuga prolixitate fatiscere visa est, nec curando Regis corpore & equo est fatigatus: vsq; dum ad arcem Inora ventum est, vbi Regia pecunia & Thesauri erant cumulata. Inde sumpsit Mithridates vestes preciosas, quas confluentibus ad ipsum ex fuga distribuit. Præterea lethale virus cuiq; amicorum ferendum secum dedit, ne quis in manus hostiles veniret. Inde in Armeniam ad Tigranem contendit. Quod ille cum ei interdiceret, ac centum talenta in caput*

eius pronunciasset, præteritis Euphratis fontibus, intendit per Colchidem fugam. Plutarch. in Pompeio.

Ante pugnam Pharsalicam nocte visum Cn. *Pompeio est in somnis theatrum ingresso sibi populum plaudere, templumque se Veneris victricis multis spolijs exornare. Hæc visio partim erexit eum, partim solicitauit nonnihil metuentem, ne Cæsaris familiæ Venerem contingenti accederet ab se decus & claritas: atque exciuerunt eum Panici quidam terrores ex somno. Quarta vigilia supra Cæsaris castra, vbi omnia quieta erant, ingens effulsit lumen. Ex eo fax accensa flammea, in Pompeij castra est delata. Ipse se Cæsar hoc, dum excubias circumiret, ait vidisse. Idem Ibidem.*

Hecuba prægnans, facem ardentem, quæ *Asiam & Europam combureret, sibi parere visa est. Peperit non multo post Paridem, cuius incestis amoribus Troia patria diruta, vires attritæ, Græcia longo bello confecta fuit & perdita. Sabellicus lib. 1. cap. 1. Volaterranus lib. 18. Anthropol.*

Cambyses Persarum Rex in somnis vidit *Smerdem in Regio sedentem solio, cœlum contingere vertice. Ob id metuens, ne frater Smerdes Regnum occuparet, Prexaspem misit ad eum interficiendum. Neque tamen vel hoc parricidio auertere potuit, quo minus Smerdes magus, qui se verum Smerdem Cyri filium esse simulabat, Regnum inuaderet. Cambyses equum conscensurus, gladio in fæmore vulneratus, obijt. Herodotus lib. 3.*

Darius è Susis mouerat contra Alexandrum, *copiarum subnixus multitudine (quippe sexcenta millia militum sub signis habebat) fretus somnio quodam, quod*

blandientes ei magis quàm pro verisimilitudine interpretati fuerant Magi. Macedonum agmen magno ignis fulgore visum est collucere: Alexander autem, quo antè ipse cultu fuerat indutus, cum Regis esset Ascandes (id est, nuncius, vel ascantes, id est, cubicularius) sibi ministrare: Ac cum in Beli templum esset ingressus, ex oculis esse subductus. His mea sententia portendit Deus magnificas & claras res Macedonas gesturos, & potiturum Asia Alexandrum, sicut potitus ea Darius fuerat, ex ascende factus Rex, verum breui vitam cum gloria depositurum. Plutarchus in Alexandro. Curtius castra magno fulgore collucere Regem imaginatum prodidit. Sabellicus libr. 4. Ennead. 4.

DOMITIANVM ferunt somniasse gibbam sibi *ponè ceruicem auream enatam: pro certoq; habuisse, beatiorem post se, lætioremq; portendi Reipublicæ statum. Sicut sanè breui euenit, abstinentia & moderatione insequentium principum. Suetonius.*

ECELINVS cognomento Monachus, sangui*narius, & crudelissimus Tyrannus, per quietem filiorum vidit fortunam, ea nocte, qua primum cum vxore congressus est, quæ Adela nomine, Tusca ex comitum antiquorum Montaionis gente fuit. Visus est enim sibi videre collem, in quo Romanum oppidum in agro Patauino situm erat (cui ille imperabat, & Romanus inde dicebatur) ita efferri exaltariq;, vt culmine cœlum contingeret, eundemq; paulo post veluti niuem liquefieri, adeoq; demitti, vt amplius non extaret. Liberorum casus hunc effectum tulêre. Nam maior natu filius, & ipse Ecelinus nomine, Veronæ, Patauij, Vincentiæ, Feltrij, Ciuidaliq; ac Mar-*

chiæ imperium occupauit. At minor Albericus, Taruisij, aliorumq́ locorum tyrannidem inuasit. Cæterum postea variante fortuna, Salutis anno ducentesimo quinquagesimo sexto supra millesimum, cum Papa Guelphiq́ simul in Ecelinum filium arma mouissent, Patauium cum toto agro amisit. Cum autem confideret, se astu Mediolanum vrbem occupaturum, & ob id Abduam amnem traiecisset, circumsessus ab hostibus, prælio victus, vulnere accepto, iuxta Soncinum captus, eo ipso in loco perijt, ac conditus est. Hoc casu frater Albericus perculsus, cum diffideret Taruisium retinere posse, in sancti Zenonis arcem se recepit, vbi salutis anno 1200. à suis proditus, in hostium potestatem venit. Illic intuitus coram se sex filios occidi, vxoremq́ Margaritam cum duabus puellis comburi, ipse minutatim per singulos artus cæsus, Romanam gentem suam, sicut in somnijs pater habuerat, finiri secum vidit. Fulgosus lib. 1. cap. 5.

PHALARIDIS mater Mercurium (cuius simula*chrum pateram manu tenens, inter Deorum effigies domi sua colebat) in somnijs vidit ex ea patera sanguinem humi spargere, pauimentoq́ illisum rebullire, donec sensim domum omnem fastigiotenus inundaret. Quod in vna visum, in multis domibus verum fecit cruenta nati sæuitia. Huius visionis auctor est Ponticus Heraclides, doctus vir, vt ait Tullius, & discipulus Platonis. Petrarcha.*

DVX Carthaginensium Amilcar, Syracusas ob*sidens, in somnis audire visus erat, se postridie intra obsessæ vrbis mœnia cœnaturum. Ea re ad victoriæ spem reflexa, manè alacris ad oppugnandam vrbem instruebat aciem. Talia voluenti ac molienti, quod sæpè fit, grauis*

tumultus in castris exortus est, Chartaginensibus ac Siculis inter se dissidentibus. Oppidani occasione freti, repentè portas egrediuntur, & fusis hostibus victores, Ducem turbatis suorum ordinibus succurrere cupientem, atq; ideo negligentem sui, intercipiunt. Et sic in vrbem ductus, & in compedibus cœnans, intellexit, quàm falsus interpres veri somnij fuisset. Valer. Max. lib. 1. cap. 7. & Cicero lib. 1. de Diuinat. Scribit Artemidorus, speciem in somno cuidam obuersatam, seu cum Saturno cœnaret, ac ita contigisse, vt insequenti die in carcerem impingeretur. Cælius lib. 13. cap. 21. Antiq. L.

T. LATINO homini ex plebe Iupiter in quiete *præcepit, vt consulibus diceret, sibi præsultorum ludis Circensibus proximis non placuisse, quæ res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre vrbis periculum. Ille veritus, ne cum aliquo incommodo suo religioni summum implicaret imperium, silentium egit. Euestigioq; filius eius, subita vi morbi correptus, interijt. Ipse etiam per quietem ab eodem interrogatus, an satis magnam pœnam neglecti imperij sui pependisset, in proposito perseuerans, debilitate corporis solutus est. Ac tum demum ex consilio amicorum lectica ad tribunal Coss. & inde ad Senatum perlatus, ordine totius casus sui exposito, magna cum omnium admiratione, recuperata membrorum firmitate, pedibus domum redijt. Valer. lib. 1. cap. 7. Cicero lib. 1. de Diuinat. & Liuius lib. 2. Decad. 1.*

TARTARI vltra montem Belgiam, mari inter*iecto, habitabant, Changius aut primus illorum Imperator, equitem candidum, qui sibi Imperium prædixerat, in*

somnis iterum vidit, voluntatem esse immortalis Dei, in monte Belgia transmisso, in occidentem pergerent, & regna omnia subijcerent. Quam primum autem ad montem Belgiam venissent, qua parte mare montem alluit, descenderent, & in Orientem versis faciebus nouem ingeniculationibus Deum immortalem adorarent. Paruit Changius, & educto omni populo, tota nocte eum in orationibus perseuerare coëgit. Mane facto, mare per nouem pedes à monte recessisse vidit, & illac per siccum traduxit vniuersum exercitum per vastas solitudines in Asiam. Haithonus Armenus in libro de Tartaris.

HANNIBAL Dux Carthaginensium, *in templo Iunonis Lucinæ repertam columnam auream asportare decreuerat. Incertus autem an solida ex auro, an superficietenus inaurata esset, celebrando tentauit: & certior factus est auream totam, in proposito rapiendi firmatus erat. Cui inter somnium Iunonis species adesse visa, vt auaris & sacrilegis cœptis absisteret monuit: minata si pergeret, se quoq; illum vno quo solum videret lumine priuaturam. Quo somno Dux alioquin ferox, & cui nullus Dei metus, nulla religio (vt de eo scriptum est) motus tamen traditur, nihil loco mouere ausus, ex eo ipso auro, quod ex foramine, dum tentaretur, exciderat, buculam fieri, & supremæ columnæ imponi curauit. Petrarcha.*

VIDIT in somnis Valens Cæsar hominem *quendam sibi hac verba dicentem:*

Magnum ad Mimantem vade festinans, te tibi
Extinguet horrentem grauis fati impetus.

Somno experrectus, astantes quæsiuit, quisnam Mimas vocaretur locus? Et cum tandem ex Grammaticis seu

Oratoribus quispiam, qui Regias aulas sequuntur, dixisset, esse Asia montem Mimanta, cuius & in Odyssea Homerus meminisset: Ad aëriumq; Mimanta. Ridens Imperator suscepit, Quæ me vrget necessitas hunc visendi, & fatum quærendi? Sed cum contra Alanos pugnans, in tuguriolo circa Hadrianopolim Thraciæ exustus esset Imperator, abeuntibus illinc Barbaris, milites quidam Valentis cadauer disquisiuerunt. In eo tugurio vbi periit, inuentum est antiqui cuiusdam viri sepulchrum, cum hac inscriptione, Præfectus Macedonum Mimas hic situs est. Itaq; impletum est somnium illud Valentis. Cuspinianus.

QVOD olim Iulio Cæsari, antequam in citeriorem *Galliam mouisset, & infesta in vrbem ferret arma, in somnis oblatum est, cum sibi per quietem visum fuit, matri stuprum intulisse: Quo somnio ad spem amplissimam coniectores illum excitârunt, dominium orbis sibi dari interpretati. Idem somniũ Hippiæ, Pisistrati filio, qui Tyranni successor, patriam crudelius occupauit, dum priuatus adhuc Regiũ affectat fastigium, haud dispari euentu oblatum fuisse memorant. Siquidem nocturna species matris, cum qua coire videbatur, sibi per quietem oblata fertur, qua de re imperium latè sibi portendi, coniectores responderunt. Ipseq; somnio monitus, & spei plenus, Athenarum dominio haud multò post potitus fuit. Hic est enim ille Hippias, qui tyrannidem non sine immani scelere aggressus, patre impotentior effrenatiorq;, quum exul solum vertisset, impia contra patriam arma molitus fuit: Deniq; cum Dario conspirans, in pugna Marathonia casus, pœnas patriæ & penatibus dedit. Alter verò eiusdem Pisistrati filius, Hipparchus, qui multorum Tyrannorum sæuitiam antecessit,*

cum patriam & ciues impotenti dominatu opprimeret, coniuratione in caput Tyranni facta, ab Harmodio & Aristogitone fortissimis iuuenibus, non sine omnium salute, cæsus fuit: quorum nomina deuota libertati, ne quando seruis indere liceret, Athenienses publica detestatione sanxerunt. Alexander lib. 3. cap. 26.

SABACUS Aethiopum Rex, quinquaginta annis *Aegypti regnum occupauit, quibus exactis, visus est ei Deus, qui Thebis colitur, dicere, Regnum suum in Aegyptios neq; felix, neq; diuturnum fore, nisi Sacerdotibus Aegypti omnibus occisis, per media ipsorum cadauera cum suis transiret. Hoc somnium sæpius oblato, omnes vndiq; Sacerdotes conuocauit, narratisq; quæ per somnium acceperat: Nolle se, inquit, in Aegypto manentem alicui perniciem struere, sed malle purum, omniq; scelere solutum ab Aegypti regno abstinere. Diodorus Siculus & Herodotus libr. 3.*

SETHON Aegypti Rex, Vulcani sacerdos, *cum Aegyptios contemneret, externo milite vtebatur, & Aegyptios agris exuebat. Ob hanc iniuriam factum est, vt cum postea Sennacheribus Arabum Assyriorumq; Rex cum magnis copijs inuasisset Aegyptum, noluerint ei Aegyptij opitulari. Tum sacerdos consilij inops, in cœnaculum se contulit, ibiq; apud simulachrum complorauit, quantum periclitaretur. Ei igitur inter lamentationem obrepsit somnus, & inter quietem visus astare Deus exhortans, nihil eum molesti passurum, si copijs Arabum obuiam iret, se enim auxiliarios ei missurum. His somnijs fretus Sacerdos, sumptis Aegyptiorum voluntarijs, institoribus & operarijs, castra in Pelusio posuit, hac enim Aegy-*

ptus inuaditur. Eò cum peruenisset noctu, ingens multitudo agrestium murium repentè exorta, tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas in castris hostium arroserunt, ita vt postera die hostes armis exuti, fugam fecerint, multis amissis. Eoq; nunc iste Rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atq; hæc per literas dicens: In me quis intuens, pius esto. Herodotus lib. 2.

DE MIRACVLIS DIABOLICIS, SEV DE VARIIS PRÆSTIGIIS ET LVDIBRIIS MALORUM Dæmonum, ad confirmandam Idolatriam Gentium.

VIRGINIS Aemyliæ discipulam extincto igne, *tutam ab omni reprehensione Vesta numen præstitit, qua adorante, cum carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit. Valerius lib. 1. cap. 1.*

PENATES Deos aiunt Aeneam Troia aduectos *Lauinij collocâsse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quam ipse condiderat, translatos, pristinum sacrarium repetiuisse: & quia id humana manu factum existimari poterat, relatos Albam, voluntatem suam altero transitu significâsse. Valerius Max. lib. 1. cap. 8.*

ISIDEM non Aegyptij tantum, sed omnis ferè *orbis antiquitus propter miracula colebat: Hæc enim in somnis non rectè valentium morbos sanabat, & qui moni-*

tis eius obtemperabant, præter opinionem curabantur. Visu quoq; aut alia corporis parte debiles, eius Deæ numen implorantes, in pristinam valetudinem restituebantur, Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. de Rebus antiquis.

In Aesculapij templo apud Epidaurios, qui *Deum precatum venêre, obdormiunt, & in somnis sanitatis recuperandæ rationem discunt. Pilas inde ponunt in templo, nomina eorum, qui curati sunt, continentes, & curationis modum.* Pausanias in Corinthiacis. *Idem mos fuit apud Romanos, vsq; ad Antoninorum tempora, id quod ex tabella marmorea Romæ in Aesculapij templo in insula Tybernia inuenta, & vsq; ad hanc diem apud Maphæos conseruata, intelligere licet, in qua Græcè hæc Latino sermone reddita leguntur, vt testatur* Hier. Mercurialis Medicus doctiss. libro primo de Gymnastica. *Hisce diebus Caio cuidam cæco Oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad læuam, & poneret quinq; digitos super altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos, & rectè vidit populo præsente, & gratulante, quòd grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino. Sanguinem reuomenti Iuliano desperato ab omnibus hominibus, ex Oraculo respondit Deus, veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet vnà cum melle per tres dies: & conualuit, & viuens publicè gratias egit præsente populo. Valerio Apro militi cæco Oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus vteretur supra oculos, & vidit, & venit, & gratias egit publicè Deo. Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis homi-*

nibus, Oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & vnà cum vnio commisceret, & poneret supra latus, & conualuit, & publicè gratias egit Deo: & populus congratulatus est illi.

ARISTIDES RHETOR Smyrnæus, cum *terræmotus instaret, iussus est Aesculapio paulò antè ad auitam domum proficisci, & in Atys collis vertice sacra facere, arasq; extruere. Quæ cum vix absoluisset, obortus terræmotus, omnem quidem interiectam Regionem ita concussit, vt nullum relinqueret diuersorium, sed ad Atym non processit, nec vltra quicquam attigit. Stobæus Sermone 3.*

VEIIS à Camillo expugnatis & direptis, quod *in arte erat Iunonis signum Romam deportare, vt vouerat, visum est. Conuocatis ad id artificibus Camillus sacra fecit, precatusq; Deam, vt studium amplecteretur Romanorum, volensq; & propitia Dijs Romam incolentibus commigraret: Signum ferunt summissa voce velle & annuere dixisse. Liuius tradit inter precandum attrectasse Camillum Deam & inuitâsse, inde velle & annuere ac sequi libentem respondisse ex astantibus nonnullos. Plutarchus in Camillo.*

ALEXANDRO MAGNO ad expugnandum *Tyrum aggerem in mari ducente, repente cetus incredibilis magnitudinis adnatauit, & corporis parte altera aggeri inclinata, diutius ibi constitit, cum maximo inspicientium omnium terrore. Rursus demum in mare enatauit. Hincq; religio maxima vtrosq; occupauit, existimantes illud portendere, Neptunum Macedonibus auxiliarem fore, animo vtiq; in id, quod optabant, inclinato.*

In

In urbe quidam visum huiusmodi sibi apparuisse narrauit, tanquam Apollo dixisset, Tyriam urbem sibi deserendam esse. Id ipsum cum ab eo homine in Alexandri gratiam confictum fuisse plebs suspicaretur, iamq; lapidibus eum impetere iuniores quidam vellent, à Magistratibus subtractus ille è medio, in Herculis templum confugit, atq; ita Dei præsidio, quem implorauit, ab imminenti pœna est liberatus. Sed nihilo magis Tyrij eius rei superstitione se excoluerunt, qui catenas aureas Apollinis signo iniecerunt: ita impeditum non amplius ex urbe posse eum demigrare censentes. Capta urbe, Apollini catenas aureas & compedes à Tyrijs iniectas, Alexander detraxit, atq; Philalexandrum appellari iussit. Herculi magnificentissimum sacrificium peregit. Diodorus libro 17.

PHILIPPIDES Atheniensis Lacedæmonem legatus *missus de Persarum in Græciam irruptione domum rediens, cunctationemq; Lacedæmoniorum incusans (qui exercitum educere ante plenilunium nolebant) in Parthenio saltu Pana obuium habuit, qui se Atheniensibus in pugna ad Marathonem præstò futurum pollicitus fuit. Ex eo nuncio Deo Athenis honores haberi cœpti. Pausanias libro 1.*

BELLO MITHRIDATICO, cum Mithri*dates Cyzicum obsedisset, videntur Cyzicenos Dij quoque probantes eorum fortitudinem excitasse, cùm alijs perspicuis signis, tum instante Proserpinæ festo: quo cum nigra boue ad immolandum deficerentur, farinaceam fictam admouerunt aræ. Sacra vacca, quæ Deæ alebatur, trans fretum pascebat cum reliquo armento Cyzicenorum. Hæc illo die armento relicto ad oppidum tranauit sola, & se sa-*

cris admonuit. Dea insuper publico Ludimagistro Aristagoræ offerens se in somnis: Equidem, inquit, adsum, & tibicinem Africum in tubicinem Ponticum impellam. Tu ergo iube ciues bono animo esse. Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, prima luce fluctuauit mare quasi immenso incumbente vento, & admotæ muris Regis machinæ, insignia Thessali Nicomedis opera, stridore & crepitu primum, quid instaret indicauerunt. Inde Auster supra modum procellosus coortus, horæ breui momento, cum alia conuulsit machinamenta, tum turrim ligneam in altitudinem centum cubitorum excitatam, tanta vi concussit, vt proruerit eam. Iam memoriæ proditum est, compluribus Ilij Mineruam in somnis fuisse obuersatam, quæ copioso manabat sudore, partemq́ pepli discissam ostendebat. Eam dixisse, modò venire se ab ope Cyzicenis ferenda. Mithridates fame pressus, re infecta in Bithyniam redijt, Lucullo insequente. Plutarchus.

BOEOTII capti à Thracibus, cum in Trophonij *antrum fugissent, isq́ per somnium dixisset, Bacchum illis adiutorem fore: ebrios aggressi Thraces, alij alios redemerunt, & Bacchi redemptoris ædem condiderunt, vt scribit Heraclides Ponticus.*

CLEOMENI Spartanorum Regi, post Argios *superatos, aiunt apud Iunonis templum litanti effluxisse flammam è pectoribus simulachri, signo non obscuro, eum non esse Argos expugnaturum. Si enim è capite simulachri flamma extitisset, fore, vt vrbem ab arce caperet. Cum verò è pectoribus fulgur extiterit, id omne fuisse confectum, quod Deus confici voluisset. Herodotus lib. 6.*

FVNESTA pugna, qua ad Pharsalum à Cæsare

victus est Pompeius, magnis quidem & multis fuit signis antea præmonstrata. In Elide simulachrum Victoriæ, quod in templo Mineruæ fuit, à ianua auersum, eo die, quo sic dimicatum est, sua sponte ad valuas se conuertit. Antiochiæ in Syria & Ptolemaide bis eodem die tantus est clamor circa vrbem auditus, vt cum armis sit populariter in muros discursum. Pergami in templo tympana exaudita sunt. Valerius lib. 1. cap. 6.

Quum Attila Hunnorum Rex, expeditionem in *Romani Imperij fines suscepisset, Deorum simulachra non solum noctu, sed & interdiu visa, quæ sibi pro se quemque præcauere iuberent. Sanguineæ cœlo guttæ defluxere, bicipites infantes editi. Sacra tecta in plerisque locis de cœlo tacta. Vox nocte audita sæpè, Caue tibi Italia. Bonfinius lib. 3. Decad. 1.*

Pavlo ante Troianum excidium in æde Mi*neruæ sacris subiectus ignis pepercit. Qua re turbati populares, ad Aram Apollinis confluunt, atque ibi superpositis extorum partibus, ibi flamma admota est, repentè cuncta quæ inerant disturbata, ad terram deciderunt. Quo quidem spectaculo perculsis atque attonitis omnibus, subitò aquila stridore magno extorum partem rapuit, & ad naues Græcorum detulit. Dictys lib. 5.*

Erexit Tonanti Ioui ædem in parte Capito*lij Cæsar Augustus, quam Cantabrico bello vouerat, dedicatamque quotidiè frequentabat. Visus itaque est ipsi per somnium Iupiter Capitolinus queri, sibi cultores abduci, seque respondisse, Tonantem pro ianitore ei appositum: ac mox tintinnabulis fastigium ædis redimiuit, quod ea ferè tunc ianuis dependebant. Sabellicus lib. 9. cap. 5.*

ZONARAS Annalium tomo 3. recitat, sub Anastasio Imperatore Manichæo, Mago, homine sceleratissimo, simulachrum æneum Fortunæ vrbanæ muliebri specie, quod alterum pedem in naui ante se posita ænea & ipsa haberet, alicubi in vrbe Constantinopolitana stetisse, cuius nauis vel vetustate corruptæ, vel per insidias contusæ, fragmentaque quædam ablata fuerint. Ex eo naues onerarias Byzantium amplius non appulisse, sed cum propè accessissent, violentia ventorum repulsas esse, ac nisi longæ naues, multis concitatæ remigibus, sarcinas in vrbem peruexissent, populum fortassis fame periturum fuisse. Quæ res cum ad tempus durasset, curæ fuit Magistratibus, causaque mali à Mago quodam solerti coniectura indagata, fragmentis nauis illius æneæ studiosè conquisitis, & in suum locum restitutis, expeditionem, nauigationem, & mare nauigijs repletum fuisse. Vt autem certò scirent, illud appellendis nauibus obstitisse, denuò sublatis fragmentis, quæcunque naues tum appellerent, iterum vi ventorum reiectas fuisse. Ea re comperta, nauem illam magno adhibito studio esse renouatam.

FVERE in arce Athenis oleæ Palladi sacræ, quæ dicebantur Moriæ. Eas Halirrhotius Neptuni filius securi excidere adortus, quod earum productione pater à Minerua superatus fuisset, securim sibimet impegit, & ex eo vulnere obijt. Cælius lib. 12. cap. 20.

AESCVLAPIVM dicunt quidam non ex Nympha Coronide natum, sed ex ouo corniculæ, quia κορωνὶς vtrumque significat, & Nympham ita vocatam, & corniculam, vt asserit Lucianus in Dialogo de falso vate. Fertur quidam ex antiquis sacerdotibus serpentem perexigu-

um in

um in ouum vacuum cornicula inclusisse, ceraq; studiosè oblitum luto in quodam loco occultâsse, mox ara extructa populum in concionem ad eum locum aduocâsse, cum nunciaret omnibus palàm, se Deum esse ostensurum. Post concionem incognitis quibusdam vocibus vsus, Apollinem & Aesculapium inuocauit, vt dexter ac felix illi ciuitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens in profundum demersa, ouum illud vnà cepit, quod præsentibus multis fregit, pullumq; recentem serpentis inueniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Postea verò serpentem insignis magnitudinis, paucis diebus elapsis, in loco subobscuro ostendens, artificiosè se mouentem, illum ita creuisse aiebat, ac Deum esse Aesculapium Apollinis filium. Inde verò serpentes in eius tutela crediti sunt, & eius gestamen putatus fuit baculus serpente inuolutus, vt scribit Dercylus. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11.

ANNO post Romam conditam, CCCC.LXXIIII. *Atronius quidam Maximus, seruum suum verberatum, patibuloq; constrictum ante spectaculi commissionem per circum egit. Ob hanc causam indignatus Iupiter, Annio cuidam per quietem imperauit, vt senatui nunciaret, non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. Quo dissimulante, filium ipsius mors repentina consumpsit: ac post secundam denunciationem, ob eandem, ipse quoq; in subitam corporis debilitatem solutus est. Sic demum ex consilio amicorum lectica delatus Senatui retulit, & vix consumato sermone, sine mora recuperata bona valetudine, curia pedibus egressus est. Ex Senatus itaq; consulto & Mæuia lege, ad propitiandum Iouem additus est illis Circensibus dies, isq; lustratiuus dictus est, non à patibulo, vt*

quidam putant, Græco nomine ἀπὸ τοῦ σαυροῦ, *sed à redintegratione, vt Varroni placet, qui instaurare ait esse instar nouare. Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 11.*

ARGONAVTAE tradunt, ex Sigæo digressos *fœda tempestate iactatos, cæterisque in manifesto discrimine desperantibus, Orpheum voto Samothracibus Dijs nuncupato, remedium aduersus sæuientem procellam demonstrâsse. Quum Minyæ medio periculo tenerentur, duplex lumen Castoris & Pollucis capitibus effulsisse ferunt, nec ita multò post pelagus sæuire desijsse, & ob eam rem credita iuuenum diuinitate, subitos eiusmodi ignes in mari Castoreos appellatos. Geminæ sunt, velut fulgurum effigies, quæ aliàs nocturnis militum vigilijs in pilorum cuspidibus sedere, aliàs per antennas, cæterasque nauium partes vagæ, vocali quodam sono vagari solitæ. Graues cum solitariæ venere, mergentesque nauigia, geminæ & tunc quidem, & semper aliàs salutares, prosperique cursus nunciæ, suoque aduentu diram illam & minacem, quam eodem argumento Helenam dixêre, fugare creduntur. Res miraculi loco accepta, fecit vt Castor & Pollux religiosè à nautis colerentur, portuque soluturi Samothracibus Dijs pro soluentium salute sacra facerent. Sabell. lib. 5. Ennead. 1.*

MARCVS TVLLIVS Tusculanarum Quæ*stionum libro primo tradit, Trophonium & Agamedem exædificato templo Apollini Delphico, venerantes Deum, laboris sui mercedem petijsse, nihil quidem certi, sed quod esset optimum homini: Quibus Apollo se id daturum ostendit post diem ab illo tertium, qui vt illuxit, mortui sunt reperti.*

CROESVS Lydorum Rex, à Cyro victus, & ro-

go, vt cremaretur, impositus, cum Solonem ter alta voce inclamasset, & Cyrus causam intellexisset, pyram extingui iussit. Verùm cum ignis iam præualuisset, Crœsus Apollinem inuocauit, vt si vnquam ab eo donum illi gratum fuisset oblatum, ipsum præsenti malo liberaret. Repentè igitur nubes è sereno & tranquillo aëre collecta, copiosissimam aquam effudit, rogumq; extinxit. Herodotus lib. 1.

XERXE contra Græcos classem ducente, in ora *Magnesiæ terræ, feruntur Athenienses Boream inuocasse ex Oraculo, quod ei redditum est, vt generum suum ad sibi opitulandum inuocarent. Habet enim Boreas in matrimonio Orithyiam Atticam Erechthei Regis filiam. Itaq; dum in Chalcide pro Europa excubarent, inuocauere Boream & Orithyiam, vt sibi auxilio essent, & Barbarorum naues corrumperent, quemadmodum prius fecerant circa Athon. Borea igitur id præstante, digressi illinc, delubrum ei extruxere ad amnem Ilissum. In eo autem naufragio, qui paucissimas naues, ij non pauciores quadringentis ex Xerxis classe periysse aiunt, viros quoque innumerabiles, ac vim pecuniarum immensam, præter naues onerarias & lembos. Herodotus lib. 7.*

IN Vulcanali colle iuxta Agrigentum, viridia *ligna quæ aræ superimponebantur, si preces iustæ erant, sponte ignem concipiebant. Quod si iniquæ, nullum concipiendi ignis signum edebant. Fulgosius lib. 1. cap. 6.*

ROMVLVS Sabino bello, quod circa Capitolium *Palatiumq; gestum est, cum turpem suorum fugam quodam prælio sistere non posset, Statori Ioui ædem voto nuncupauit, si fugientibus suis metum ademisset, sisteretq; Romanum aduersus hostem, qui à tergo victor instabat. Vix*

bene

bene preces effuderat, atque illicò factus est voti compos: restituta enim acie, non tantum æquata est pugna, sed ad Curtium usque lacum Sabinus, qui victoria exultabat, est cum cæde & strage repulsus. Sabellicus libro 2. cap. 5. ex Plutarchi Romulo.

QVID Numa Pompilius (successit is Romulo, ex *Curibus Sabinis in Regnum accersitus) quàm efficax illius precatio, aut quàm audax, quæ è cœlo Iouem elicuit. Res (quod satis constat) non solum credita, sed ab alijs etiam tentata. Tullus Hostilius, qui post illum Regno potitus est, quia parùm scitè id sacrum obijsset, cum tota domo fulminis est igne concrematus. Sabellicus lib. 2. cap. 5.*

TVLLVS HOSTILIVS, cum ad Tiberis & *Anienis confluentem, in Fidenates & Veientes aciem direxisset, cognita Albanorum ad hostes defectione, 12. Salios vouit Marti: extititque confestim victor exercitus, qui pro victo iure habebatur, iam spe & viribus impar hostibus factus. Ibidem.*

MAIVS adhuc pietatis imitamentum (nam pietatem *quis dixerit malorum Dæmonum cultum?) in Tuccia, & ipsa quidem Vestali, extitit: dubium maior fœminæ in eo fiducia, an Dæmonum obsequium. Iussa dicere causam, crimenque diluere, quod ab accusatore intendebatur, Vestam precata est, ut si caste sancteque eius sacris ad id tempus operam dedisset, propositum teneret. Hoc tantum precata est, simulque ad ripam fluminis progressa, multis comitantibus, ut rei euentum cognoscerent, cribrum fluuiali aqua plenum, ad Pontificum conspectum (quorum ea cognitio erat) detulit. Adijciunt huic mira-*

culo,

culo, accusatorem attentè requisitum, nusquam apparuisse amplius. Ibidem.

PARI miraculo illustrata Claudia, eiusdem ceremoniæ cultrix, *cuius liberior vita cum calumniam incurrisset, vt eam hominum animis opinionem magno aliquo testimonio eximeret, facinus adorta est, plus admirationis quàm fidei ad posteros habiturum: nauem qua Deorum mater vehebatur, Tiberino vado hærentem, Vestam prius suppliciter precata, cingulo alligat, mox eam remolita est, traxitq́ue aduerso flumine, quod pars Rom. ciuitatis post multos & varios conatus nequiuerat. Ibidem.*

ADRIANVS Imperator Lucio Commodo in *spem Imperij adoptato, Seuerianum & Fuscum nepotem eius, quòd illud ægrè ferre viderentur, suspectos & inuisos iussit occidi, quorum alter nonagenarius, alter verò decem & octo annos natus erat. Sed Seuerianus priusquam iugularetur, ignem poposcit, atque incenso thure, Vos, inquit, ô Dei, testor, me nihil mali commisisse, De Adriano hoc tantum imprecor, vt cum mori cupiet, non possit, Et hic quidem mortuus est. Adrianus post morbum sæpius frustra inuocata morte, sæpe etiam seipsum occidere voluit. Extat eius Epistola, quæ hoc ipsum significat. Scribit enim: Quam miserum est, mortem optare, & mori non posse. Dion Cassius, in vita Adriani.*

ATHENIENSES cum Peste aliquando laborarent, *responso accepto à Pythia, vrbem expiandam esse: Niciam Nicerati filium naui miserunt, qui Epimenidem ex Creta aduocaret. Ille profectus Olymp. 27. lustrauit vrbem hoc modo: Oues sumpsit nigro & candido vellere, duxitq́ue in Areopagum; atque inde quò vellent abire permi-*

sit comitibus mandans, vbicunque illæ accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo. Sic quieuit lues. Hinc factum, ut per Atheniensium pagos passim Aræ sine nomine inueniantur. Qui fortè ignotus ille Deus est, cuius occasione D. Paulus Atheniensibus Christum prædicare cœpit. Laërtius.

VIGTIS ad Platæas Persis, Græcis de sacrificio *consulentibus respondit Apollo, Ioui liberatori erigerent aram, at sacra antè facerent, quàm extincto per totam Regionem igne, quòd esset per Barbaros pollutus, purum Delphis ex communi foco accendissent. Itaque Magistratus Græcorum illicò circumuecti, subegerunt eos, qui igne uterentur, omnem extinguere. Ex Platæensibus pollicitus Euchidas, quàm ocyssimè fieri posset, allaturũ se à Deo ignem, Delphos profectus est, lustratoque corpore, & lympha asperso, laurea coronatus, ignem sumpsit ex ara, currensque retrò Platæas contendit, & ante Solis occasum reuersus est, eodem die mille stadiorum emensus. Salutatis ciuibus, vbi ignem tradidit, concidit confestim, & paulò pòst expirauit. Sustulerunt eum Platæenses, atque in Eucliæ Dianæ fano funerauerunt; inscripseruntque hoc tetrametrum:*

Euchidas Delphos cucurrit, & die reuersus vno est.

Plutarchus in Aristide.

HERCVLEM Alcmenæ filium tradunt Ioui *porricientem in Olympia, cum muscas abigere non posset, abactori muscarum, ἀπομυῖον Elei appellant, hostiam mactasse. Cumque perlitatum esset, omnes repentè muscas trans Alpheum euolâsse. Inde seruatum ab Eleis, vt ad abigendas ex Olympia muscas, idem sacrum vsurparetur. Pausanias lib. 5.*

Avrelianvs Imperator aduersus Marcomannos, *cum Mediolanum vsq; ad Placentiam venisset, mouens, ad Senatum scripsit, vt inspectis Sibyllinis libris, quæ necessaria essent sacra, ad impetrandam Deorum opem conficerent. Quæ cum Senatus egisset, ac diuino nutu magis quàm humanis viribus atq; consilijs, Barbari vltrà progredi grauibus ostentis territi non auderent, Aureliano ad victoriam via patuit. Is autem ne parùm gratè cœlo demissam agnoscere opem videretur, præter munera huius victoriæ gratia per vrbem Romam multis templis data, soli Capitolino Ioui quindecim millia auri pondo, & magnam gemmarum vim pluribus collationibus dedit. Fulgosus libro 1. cap. 1.*

Persae imperantes Asiæ, cum omnia Græcorum *loca sacra expilassent, solum semideæ Rheæ templum quod in Castamo Chorronesi extat, nec mœnibus nec custodijs cinctum, intactum reliquêre. Latrones insuper singula rapientes, hoc solum haud quaquam muro cinctum, vt absq; periculo spoliari queat, inuiolatum sinunt. Huius rei causam tradunt, Deæ communem in omnes beneficentiam. Nam & ægros per somnum curas morborum docet, & multis insuper sanitatem desperantibus salutem præbet. Mulieres præterea parturientes à laboribus ac vitæ discrimine hæc liberat Dea. Diodorus libro 5.*

Extra Crotonem olim Iunonis Laciniæ templum *fuit, multa religione sacrum. Lucus proceris abietibus septus. Læta in medio pascua, vbi omnis generis pecus Deæ sacrum sine custode pascebatur, gregibus sub noctem ad stabula sponte remeantibus, nulli hominum ferarumue iniuriæ obnoxijs. Miraculum narratur ex ara, quæ*

ibi sub dio fuit, nunquam cinerem ventorum impulsu dissipatum. Sabellicus libro 3. Ennead. 5.

PELASGI orta agrorum sterilitate, ver sacrum Dijs *vouerant. Voti compotes, exoluere neglexerant. Pestilentia inde vexati, Oraculum de causa mali interrogauere. Responsum accepere,* ὅτι τυχόντες ὧν ἐβούλοντο, οὐκ ἀπέδοσαν ἃ ηὔξαντο. *Itaq; ad placandum numen, decumanas hostias exoluendas esse. Dionys. Halicarn. lib. 1. & Euseb. lib. 4. præparat. Euangelicæ.*

IN Italia ad Posidoniacorum petram scribunt *miraculum tale accidisse: Erat Venator in regione, quæ dicitur Andragathia, solitus antea eorum quæ ceperat capita ac pedes Dianæ dicata, arboribus affigere. Cum aprum ingentem cepisset, contempta Dea, ait se caput solum dicaturum: arboriq; cuipiam suspenso, cum meridianum æstum deuitans, sub arbore quieuisset, in somnum incidit: tum ligaculo suo sponte dissoluto, caput decidens hominem peremit. Diodor. lib. 4. cap. 3.*

OENEUS Colydoniæ Rex in Oetolia in magna *frumenti copia, cum cæteris Dijs, sola Diana neglecta, sacrificasset, irata Dea, Calydonium aprum, ingenti magnitudine celebrem, ad vastandam latè regionem propinquam immisit. Ad hunc delendum Meleager ætate viribusq; integer, multis assumptis secum socijs, aprum iaculatus, occisæ bestiæ præmium (id erat animantis pellis) omnium consensu tulit. Cum in venatione Atalanta Schœnei affuisset filia, eius amore captus, pellem veluti præmium occisæ feræ ei concessit. Quod factum qui unà venati fuerant Thestij filij agrè ferentes, aduenam eis fœminam præferri, improbato Meleagri facto, Atalantæ per insidias, cum*

in Arcadiam rediret, pellem abstulêre. Meleager tum amore motus, tum incensus ignominia, primum raptores, vt virtutis ab se datum mulieri præmium restituerunt, hortatus est: eius verbis contemptis, omnes (ij erant Altheæ fratres) necauit. Illa suorum cæde mœsta, Meleagrum execrata est, ab Dijs immortalibus, qui eius votum exaudierunt, filio mortem imprecata. Scribunt quidam, in Meleagri ortu Parcas noctu insomnis Altheæ dixisse, tunc vitæ Meleagri filij finem fore, cum id lignum (is torris extinctus erat) combureretur. Orto puero, existimans in eius ligni custodia filij salutem contineri, diligenter custoditum seruauit. Postmodum fratrum morte irritata, torre combusto, causa interitus filij extitit. Cuius facti pœnitens, laqueo vitam finiuit. Diodorus lib. 4. cap. 2.

STYMPHALVS fluuius in Arcadia lacum efficit, *& terram per cuniculum subiens, in Argolico se demum agro profert, ibiq; mutato nomine, pro Stymphalo Erasinus vocatur. Pausaniæ tempore hoc miraculum contigit. Cum Stymphaliæ Dianæ solenne sacrum ab Arcadibus indiligentius omni ex parte factum esset, ac imprimis patrij ritus prætermissi, lucus repentè supra eam cauernam corruit, quam subter Stymphalus amnis meat. Obsepto igitur ostio, aqua refluens, latè omnem campum haud minus stadium 400. perpetuo stagno occupauit. Fortè ita accidit, vt venator ceruum fugientem persequens, cum illa se in eius paludis cœnum abiecisset, animi impetu concitatus, per aquam natans, eam vrgere non prius desierit, quàm idem hiatus & feram & venatorem absumpserit: mox & stagnantem aquam, amni via patefacta, consecutam, ac totam paludam vno die siccatam tradunt.*

Sacrum Dianæ apparatius & magnificentius factum. Pausanias in Arcadicis.

GLAVCVS Sisyphi filius, qui apud Potniam regnauit, *sacra Veneris spernens, ab equabus suis, quibus ad currum vtebatur, dilaceratus est. Seruius libro 3. Georg.*

HERCVLES Iolao nepoti templum magnificum *erexit, & in eo sacra multa instituit: Quòd si à solitis deficerent sacris incolæ, mutescebant prorsus: rursus verò si ex more perficerent, in pristinam sanitatem restituebantur. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 14.*

CYANIPPVS SYRACVSANVS, quod Bac*cho sacra facere neglexisset, irato Deo in tantam ebrietatem incurrit, vt occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanquam reluctantem, violârit. Ea verò anulum scortatori surripiens, nutrici commendauit, vt violatoris indicium esset. Postmodum verò cum grauis pestilentia vrbem inuasisset, ob tam crudele perpetratum facinus, ex Pythio delatum est Oraculum, vt impietatis author liberatoribus Dijs immolaretur. Conscia igitur rerum Cyane, tractum capillis patrem mactauit, vt Deos iratos placaret. Dositheus lib. 3. Rerum Sicularum, & Plutarchus cap. 39. Parall.*

IN Phocide ad Tithorean Isidis templum est, re*ligione sanctißimum eorum omnium, quotcunque Græci Aegyptiæ Deæ consecrârunt. Neque enim ad id penetrale accessus est alijs, quàm quos Isis ipsa per somniorum visa sibi præ cæteris delectatos aduocauerit. Isidi Tithoreæ binæ celebrantur quotannis nundinæ. vere scilicet, & autumno. Institores tabernas sibi erigunt ex arundine, & alia fortuita*

quauis

quanis materia. Postremò tertio die, qui ad eum mercatum conuenêre, emunt mancipia. Pomeridianis iam horis ad sacra animum adÿciunt. Immolant lautiores, boues & ceruos: tenuiores, anseres, & Meleagrides aues, &c. Hominem aliquando aiunt profanum, cùm cœpta iam esset pyra incendi, præ curiositate & confidentia ingredi ausum. Ac sibi illum visum videre Lemurum plena omnia. Reuersum tamen Tithoream, cum quæ viderat cuncta enarrâsset, statim animam efflâsse. Pausan. in Phocicis.

CABIRORVM Thebanorum (qui Cererem colebant) religiones qui violassent, inexpiabilis sceleris pœnam effugere non potuisse, euentu compertum est. Nam quæ Thebis fierent sacra, cum essent Naupacti profani homines ausi vsurpare, non multò pòst fraudem luerent. Ex Persis etiam de Xerxis copÿs, qui duce Mardonio in Bœotia statiua habuerunt, quæ pars in Cabirorum fanum introire non dubitauit, vel ingentis prædæ allecti cupiditate, vel potius ad numinis contemptum, insania omnes correpti, partim se in mare abiecêre, partim de præruptis rupibus præcipites dedere. Cum Alexander superatis prælio Thebanis, vrbem & agrum igni ferroq; peruastasset, qui è Macedonibus intra fanum Cabirorum irruperunt, omnes aut fulminibus, aut è cœlo missis ignibus exanimati sunt. Tanta fuit iam tum ab initio eius templi religio. Pausanias in Bœoticis.

PENTHEVS Rex Thebanorum cum Liberum patrem multis contumelÿs vexaret, & alia insolenter faceret, postremò etiam, vt fœminarum operta sacra specularetur, ad Cytheronem profectus, in arborem ascendit, atq; inde omnia conspicatus. Quod cum Bacchæ adnimaduer-

tissent, impetu facto viuentem eum lacerauerunt, ac membratim discerpserunt. Corinthij redditum sibi Oraculum narrant, vt eam arborem quærerent, & inuentæ diuinos honores haberent. Illius igitur Oraculi monitu arbore inuenta duo signa lignea Liberi patris in foro posuêre, inaurata, præter ora tamen, quæ minio oblita sunt, Lysium alterum Baccheum nominant. Pausanias in Corinthiacis. Euripides in Bacchis Cadmi filias, sororesque Semeles, quæ Dionysium educauerant, Pentheum discerpsisse scribit, & commemorat, quas corporis partes singulæ abstulerint. Natalis comes Mythol. lib. 5. cap. 13.

CVM Potitij sacrorum Herculis ritum, quem *pro dono genti eorum ab ipso assignatum, velut hæreditarium obtinuerant, authore Appio Claudio censore, ad humile seruorum ministerium transtulissent, omnes, qui erant numero supra triginta puberes, intra annum extincti sunt, nomenque Potitium in duodecim familias diuisum, propè interijt. Appius verò luminibus captus est.] Valer. lib. 1. cap. 2. Liuius lib. 2. Decad. 3.*

C. TERENTIVS Varro ædilis, cum ludos *Circenses in Iouis opt. max. templo faceret, eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuit. Quod factum multos post annos memoria tum repetitum, tum expiatum est. Consul enim longè pòst factus, apud Cannas, ob iras Iunonis, tam infeliciter pugnauit, vt ferè quinquaginta Romanorum millia cæsa sint. Valer. Max. libro 1. cap. 2.*

CARTHAGINENSIVM duces Annibal & Hi*milco Agrigentum obsidentes, militibus mandârant, vt sepulchra eruerent, eaque ruina aggerem ad mœnia duce-*

rent. Nec segnis, ad imperium multitudo facilè deduxêre opus. Ibi inter eruendum ingens quædam religionis reuerentia, & Deorum pauor cepit exercitum. Nam Theronis sepulchrum miræ molis artisq; opus, fulminis ictu concussum tremuit. Quo portento procurato, nonnulli vates cum ad illud eruendum, properare multitudinem vidissent, obsistere prohiberéq;, ne id committeretur, conati sunt: moxq; repentè pestilentia inuasit castra, quæ multos absumpsit, nec paucam turbam in varias afflictiones, grauesq; calamitates distortam traxit, in quibus Hannibal Dux interijt. Tum ex his qui in vigilijs pernoctabant, nonnulli vidisse se per noctem manes & simulachra vita defunctorum per vmbram vagantia. Himilco ab eruendis sepulchris destitit, mox Dijs supplicia peregit. Saturno infantem immolauit. Neptuno turbam sacerdotum summersit. Diodorus lib. 13.

ILVS cum Mineruæ templum ardere videret, *cursu concitus, demissum cœlo palladium eripuit, & statim oculis captus est. Postmodum verò placata ira Deæ pristinum recuperauit visum. Plutarchus cap. 34. Parall.*

PEGASO imagines Dionysij ex Eleutheris ciuitate *Bœotiæ in Atticam Regionem portante, Athenienses Deum neglexerunt, neq; vt mos erat, cum pompa acceperunt. Quare Deus indignatus pudenda hominum morbo infestauit, qui erat illis grauissimus. Ab oraculo, quo pacto liberari possent, petentibus, responsum, vt cum honore & pompa Deum reciperent. Ex ea rerum priuatim tum publicè lignea virilia thyrsis alligantes per eam solennitatem gestabant. Natalis comes lib. 5. cap. 13.*

IAPYGVM Duces Deorum imagines diripie-

bant è templis, cum dicerent potentioribus eos cedere oportere. Ea propter de cælo percussi sunt telis & igni. Apparebant enim procul tela, quæ de cælo mittebantur. Atque omnes eorum posteri in hodiernum vsque diem, ad cutem detonsi, stolamque lugubrem gestantes viuunt, omnibus qui vnquam fuerunt viris bonis rariores. Athenæus lib. 12. cap. 7.

CVM Aegnietæ Epidauriorum inuasissent, & *simulacra Damiæ & Auxesiæ Oleagina asportassent, quarum caussa quotannis Epidaurij sacra Erichtheo Athenas ferre cogebantur (ea namque lege olearum potestatem Epidaurijs concesserant) Epidaurij pactum soluere renuebant. Athenienses igitur ad statuas repetendas triremem in Aegniam miserunt, vt simulachra tanquam è suis lignis facta asportaret: Conati sunt igitur circumdatis funibus statuas in nauim vi pertrahere. Sed dum trahunt, statuæ in genua procubuêre, & ex eo tempore semper eo gestu permanserunt. Interea cum tonitru terræmotus extitit, & remiges in amentiam versi, mutuis cecidere vulneribus, vno duntaxat cladis nuncio relicto, qui ad Phalerum se recepit. Herodotus lib. 5.*

ARTABAZVS Persa, Pharnacis filius, à Mar*donio 60. millibus præfectus, cum in templum Neptuni & in eius simulachrum, quod est in suburbanis Potideæ, impius fuisset, in obsidione vrbis, æstu maris vexatus, & obsidionem soluere coactus, cum in Pallenem cum exercitu concederet, æstuatione maris magnam copiarum partem amisit. Herodotus lib. 8.*

PVB. Scipio Africanus minor, cum Cartha*ginem militibus diripiendam concessisset, Quidam Apol-*

linis templum ingressus, eius simulachrum aurea veste indutum, spoliare tentauit. Qua re indignatus Apollo id egit, vt sacrilegæ manus inter fragmenta vestis & fimbrias à corpore abscissæ reperirentur. Valerius Maxm. lib. 1. cap. 2.

AVLIDE conuenerant Græci, ad Troiam nauigaturi. *Agamemnon longius ab exercitu progressus, conspecta circa lucum Dianæ caprea, ignarus religionis, quæ in eo loco erat, eam iaculo transfigit. Non multò post ira Dianæ exercitum lues inuadit. Mulier quædam Deo plena, Dianam ob necem capreæ, quæ maximè lætabatur, sacrilegij pœnas ab exercitu expetere, nec leniri, priusquam autor tanti sceleris, filiam natu maximam victimam immolâsset, asserit: &c. Dictys lib. 1.*

PANCRATES ARCADICVS in inscriptis Marinis *operibus, narrat, pompilum piscem, quem & Nautillum dicunt, non Neptuno solum haberi in precio, sed ab omnibus etiam Dijs, qui sunt in Samothracia. Cum aureum adhuc genus hominum viueret, Epopeus, ex insula Icaro, cum piscaretur vnà cum filio, nullumq́; alium piscem caperet, præter pompilos, ab ijs edendis non abstinuit, sed omnes cum filio vnà comedit. At paulò post pœnas luit suæ impietatis. Nam cete ad nauim accedens, Epopeum in conspectu filij sui deglutiuit. Narrat præterea Pancrates, quod pompilus est Delphinis inimicus, quodq́; nechi impunè habent, vbi pompilum comederint, nam inutiles facti, perturbatiq́; postquam comederunt, ad littora vndis proijciuntur, mergisq́; ac fulicis fiunt esca. Athenæus libro 7. cap. 6.*

HOMINEM quendam aiunt sacram pecuniam,

quam in fano Delphici Apollinis compilasset, abdidisse in ea Parnaßi parte, quæ maximè esset syluestribus arboribus condensa. Lupum verò in dormientem impetu facto, illum occidisse, ac deinde quotidie cum vlulatu solitum intra vrbem penetrare. Id cum non nisi diuinitus fieri existimare Delphi cœpissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam, lupum ex ære dedicârunt Apollini. Pausanias lib. 10.

SAMBICVS quispiam Eleus, vnà cum socijs aliquot, *non paucas apud Olympia æreas statuas concidit, vendiditq́. Deinde maiora etiam ausus, Dianæ præsidis templum diripuit. Est enim illius in Elide templum, quod Aristarcheum nominant. At ille mox comprehensus, dum socios prodere recusat, annum perpetuum exquisitis cruciatibus dilaceratus est, inter quos etiam animam efflauit. Plutarch. in problemat. Græc.*

PHILOMELVS, qui primus Phocensium *Delphicum fanum occupauit, à rebus sacris, quarum neceßitas permisit, manus continuit. Sed qui ei succeßit Onomarchus, multum de pecunia in belli sumptus est. Tertius Phayllus, frater Onomarchi, non pauca munerum, quæ in templo fuerant consecrata, ad pecuniam signandam conflauit, vt conducto militi stipendia exolueret. Dicatos siquidem à Cæsare Lydorum Rege lateres aureos centum viginti, quibus pondus erat talenta bina, acceptos pro conficiendis numis disiecit, pariter & aureas trecenta sexaginta phialas binis minis expensas, leonisq́ & fœminæ signa aurea, vt ea omnia auri talentis & triginta æstimata fuerint, redactisq́ omnibus quæ ex auro erant conflata, ad argenti rationem talenta quatuor millia perficerentur.*

rentur. E rebus autem argenteis, quæ tum à Crœso, tum ab alijs fuerant consecratæ, Duces omnes absumserant, ad summam talentorum supra sex millium: vt auri argentiq; totius ratione inita, talenta essent plus decem millibus. Sed hi omnes suæ impietatis & contemptus Dei graues pœnas dederunt. Philomelus enim contra Bœotos sacrilegij vindices pugnans, multis affectus vulneribus, in locum quendam præruptum, & vnde non facilè posset euadere, inclusus, supplicia, quæ nonnunquam in captos edi solent, timens, sese illinc præcipitem dedit, & ad eum modum persoluta Deo pœna debita, extinctus est. Diodorus lib. 16. Onomarchus, à Philippo Amyntæ filio acie fusus, ad triremes Atheniensium litus legentes adnatans, in mari interfectus est. Phayllus longa tabe absumptus. Qui verò post omnes eos quicquid in donarijs reliquum erat corripuit, Phalacus, in varijs magnisq; periculis & timore vitam longam satis duxit, non quo sors eius melior quam cæterorum sceleris impij sociorum esset, sed vt longiori tempore cruciatus, multisq; ex sua miseria notior factus, insigniorem celebratamq; magis calamitatem subiret. Varijs agitatus erroribus, dum in Creta Cydoniam oppugnat, fulminis incendio perijt.

Q. FVLVIVS FLACCVS impunè non tulit, *quòd in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equestris, quam Romæ faciebat, transtulit. Negatur enim post hoc factum mente constitisse, quin etiam per summam ægritudinem animi expirauit, cum ex duobus filijs in Illyrico militantibus, alterum decessisse, alterum grauiter audisset affectum. Cuius*

casu motus senatus, tegulas Locros reportandos curauit. Valerius lib. 1. cap. 2. & Liuius lib. 42.

PERSÆ, XERXIS ductu, vbi Delphos spo-*liandi animo templum celeberrimum peruenêre, magna rerum miracula sunt eorum oculis oblata. Nunquam mali Dæmones, quorum haud dubiè fuit domicilium illud, maiorem hominum capturam sibi oblatam videre, quàm cum ea tempestate, Xerxem & totum orbem, quem ille secum trahebat, nouæ licebat superstitioni addicere. Duo scopuli ex Parnassi vertice repentè concussi, in subiectos hostes deuoluti, multos subeuntium obtriuere. Fulmina adhæc de cœlo cum fragore deiecta, & sacra arma sua sponte è penetralibus mota, vociferatioq́; ex proximo Mineruæ prouidæ templo exaudita, subitam Barbaris consternationem iniecit, vt præcipites se inde, quasi furore perciti, per decliuia montis eiecerint, in quos Delphij saxa & tela torquentes, stragem ediderunt insignem. Hisq́; phantasmatum ambagibus templum inuiolatum mansit. Trogus quatuor millia hominum Delphos venisse ait, quæ manus tota sit fulminibus, fœdaq́; tempestate consumpta, ac tum demum palàm factum, quanto maior offensa esset Deorum quàm hominum, tantò præsentiorem pœnam grauioremq́; sequi oportere. Diodor. lib. 11.*

THERON Rex Hispaniæ citerioris, cum ad *expugnandum Herculis templum, quod apud Gades est, ageretur furore, instructo exercitu nauium, Gaditani ex aduerso venerunt, prouecti nauibus longis, commissoq́; prælio, adhuc æquo Marte consistente pugna, subitò in fugam versæ regiæ sunt naues, simulq́; improuiso igne correptæ, conflagrauerunt. Paucissimi qui superfuerant ho-*

stium

stium capti, indicauerunt apparuisse sibi leones, proris Gaditanæ classis superstantes, ac subitò suas naues immissis radijs, quales in Solis capite pinguntur, exustas. Macrob. lib. 1. cap. 20.

SCYTHÆ finibus suis egressi, cum Ascalone in *Palæstina Veneris Vraniæ templum essent deprædati (erat autem fanum vetustissimum) Dea & ipsis, & eorum liberis immisit muliebrem morbum, quem illi, quos Scythæ vocant Enareas, curare tantum possunt. Asiæ imperio 28. annis potiti, tandem à Cyaxare Medorum Rege conuiuio excepti, inter pocula ex composito trucidati fuerunt. Herodotus lib. 1.*

ALEXANDER, PHILIPPI Macedonis filius, cum *Miletum Ioniæ vrbem munitissimam oppugnasset, eius milites in Cereris templum spoliantes irruerunt. Sed Milesia Ceres factum vlciscens flammas obiecit, quæ spoliantium priuaret oculos. Valer. lib. 1. cap. 2.*

FANVM PROSERPINAE apud Locros *multa religione insigne Pyrrhus Epirotarum Rex ex Sicilia reuersus, cum Locris præterueheretur, hostiliter spoliauit, per derisum inquiens: Intempestiua religio superstitio est, & opes cogere sine labore prudentia. Postridie verò quàm id sacrilegium perpetrârat, classe fœda tempestate iactata, omnes naues, quæ sacram pecuniam habebant, Italiæ sunt littoribus impactæ. Qua clade territus, conquisitam pecuniam in pristinos Deæ thesauros reponi iussit. Nec illi postea quicquam prosperè euenit: Multis aduersis casibus iactatus, postremò Argos ingressus infeliciter periit. Suidas & Liuius lib. 9. secundi belli Punici.*

HIMILCO Carthaginensium Dux, cum tota

ferè Sicilia in ſuam redacta poteſtatem, Syracuſas obſideret, templa ſpoliauit cætera, imprimis verò Cereris & Proſerpinæ fanum. Dumq́ſtationem cingere, muroq́ obducere caſtra ſtudet, omnia propè proxima operi ſepulchra demolitus eſt ad murum educendum, in quibus Gelonis & eius coniugis Demaretæ monumenta, miro opere olim extructa. Sed huius ſacrilegij, impietatisq́ in Deos inſolentius commiſſa, breui poſt meritum ſupplicium pendit. Mox namq́ res ei in peius cedere, cuncta fieri deteriora cœpta, cumq́ deinde Dionyſio paulatim audacia creſceret, crebrisq́ laceſſere excurſionibus, & eruptionibus leuibus conſerere manus aſſueſceret, ex omni ſemper congreſſu ſuperiores redibant. Excitabantur etiam crebrò per ſtationem medio noctis ſilentio, vani tumultus inter milites, ſubitiq́ terrores, quibus ad arma fruſtrà, cauſa quæ id moueret incomperta, currebatur, miſcebanturq́ trepidationibus caſtra, perinde ac hoſtes vallo irrumpere cernerent. Peſtilentia in loco paluſtri feruentiſſima æſtate obſidentes inuaſit Apros, quæ ad 150. millia abſumpſit. Ea occaſione vſus Dionyſius, claſſem illorum incendit, & ad eam neceſſitatem redegit, vt 300. talentorum mercede ſibi & Carthaginenſibus tutum abitum, relictis & proditis ſocijs, à Tyranno mercari cogeretur. In patriam reuerſus, expoſitam opprobrio omnium vitam egit, eoq́ infelicitatis proceſſit, vt in tenuiſſima tunica ſuam arguens impietatem, confeſſamq́ ſcelerum in Deos, pœnam numini exhibens, vrbis templa circuiret. Deniq́ deſperans, mortem ſibi ipſe conſciuit, ingentem violatæ religionis formidinem ciuibus relinquens. Diodorus lib. 14.

CVM eſſet Delos totius olim Græciæ empo-

rium, eaq; sola religione munita, contra omnes omnium iniurias incolas tueretur, exortus est Menophantes quidam Mithridatis copiarum dux, qui vel suapte insolentia, vel Regis imperio impulsus in insulam, tum murorum, tum armorum præsidio carentem, cum classe inuasit: vbi omnibus cæsis, direptis, compilatis, atq; etiam sub corona venditis, ipsam tandem vrbem solo æquauit. In ea populatione Apollinis effigiem, petulanter sede sua motam, in mare abiecit: ea maris æstu in Bœotorum in Laconiæ fines delata, loco nomen dedit Epidelium. Verum Dei iram neq; Menophantes, neq; Mithridates ipse effugit. Non multò enim post Deli calamitatem, cum in altum proueheretur, qui eius manum effugerant, negociatores hominem occiderunt. Mithridatem verò coëgit Deus ipse manus sibi consciscere, cum amisso iam regno, à Romanis huc illuc pulsus, nusspiam posset consistere. Sunt qui illum dicant, ab vno de Barbaris mercenarijs magni beneficij loco impetrâsse, vt se conficeret. Pausanias in Laconicos.

CVM Achæi supplices è templo Neptuni, quod *erat in vrbe Helice, per vim abstractos trucidâssent, ingens terræ ac repentinus motus, non ipsa tantum mœnia, & ædificiorum superficiem subuertit, sed vrbis etiam totius aream ita obruit, vt ne vestigia quidem vlla posteris agnoscenda relinquerentur. Accessisse & alteram huiuscemodi cladem memorant. Maris eluuione & hyeme anni Helicen totam circumquaq; incinctam, ipsumq; Neptuni lucum ita inundatione ea obrutum, vt vix summa extarent arborum cacumina. Quo factum, vt repentè cum terræ motione violentissima, tum verò effusius maris æstu stagnante, vrbs tota cum omni ciuium numero pes-*

ſum terit. Olympiad. 101. anno quarto. Pauſanias in Achaicis.

LACEDAEMONII cum in Ilotas ſæuiſſent, *qui ſupplices in templum Neptuni Aſphalij, id eſt, tuti, vt inquit Suidas, quod ad Tænarum eſt, euaſerant, Sparta tam vehementibus, tamq́ crebris terræ impulſibus concuſſa eſt, vt nulla propè domus ruinæ expers fuerit. Ex vniuerſa vrbe, quatuor ſolùm ædificia relicta. Pauſanias in Achaicis, & Aelianus lib. 6. variæ hiſtoriæ.*

CVM Sybari Cytharædus caneret in certamine, *quod in honorem Iunonis erat inſtitutum, inter Sybaritas propter eum eſt orta contentio: cumq́ mutuò ad arma venirent, citharœdus cum ipſa ſtola ad aram Iunonis confugit. At illi ne in iſto loco quidem manus à citharœdo abſtinuerunt. Paulò verò pòſt videbatur in Iunonis templo ſcaturire ſanguis, non ſecus quàm ex perenni fonte. Sybaritæ autem, cum Oraculum Delphicum conſultum miſiſſent, tale reſponſum acceperunt:*

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens,
Deſtillansq́ recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram
Muſarum innocuum ſtrauiſti cæde miniſtrum.
Non immortales hoc Dij patientur inultum.
Si quis enim prudens ſcelerata è mente profectum
Committat facinus, grauis hunc ponè pœna ſequetur.
Non exorabit, neq́ ſi genus ab Ioue ſummo
Duceret, ipſe ſuo collo, colliſq́ nepotum
Hoc luet, & generi cumulatim damna ſequentur.

Neq́ vltio tardata eſt. Cum enim aduerſum Crotoniatas

bellum gererent, subacti sunt ab illis, & ciuitas eorum euersa est. Aelianus lib. 1. de var. histor.

In monte Halesio, propè Mantineam, templum *fuit Neptuni equestris, quernis tabulis à Trophonio & Agamede extructum, non obicis alicuius oppositu, sed laneo duntaxat funiculo obtenso, cui occulta vis ad homines arcendos inerat, ab aditu prohibens. In hoc templum nullus vnquam intrauit, præter Aepytum Arcadiæ Regem, qui filio consciſſo, vbi primum templum intrauit, marinæ aquæ è sacris scatebris erumpentis vi subita excæcatus, neq; multò post suo oppressus est fato. Adrianus Imperator cum illud reædificaret, speculatores adhibuit inter fabros, ne quis intra vetus templum aspiceret, aut ruderis ex eo quidquam sineret aliò transportari. Pausanias in Arcadicis.*

In Lycæo monte Arcadiæ area est Lycæi Iouis, *quò hominibus non est accessus. Si quis loci religione contempta introierit, necesse omnino est intra annum eum è vita excedere. Mirum est etiam quod aiunt, tam homines quàm bestias, quæ fortè intra eius loci ambitum se immiserint, nullas è corporibus suis vmbras reddere. Ac feras quidem venator illuc confugientes non consequitur, sed foris consistens, nullam sanè vmbram ab eis mitti animaduertit. Ea certè anni parte, qua Cancer solem gestat, Syenæ, quæ Aethiopiæ vrbs est, nullæ è corporibus vmbræ se ostendunt, verum in Lycæo hoc nulla non anni parte contingit. Pausanias in Arcadicis.*

In Cerynea oppido Achaiæ Eumenidum fanum *est, dedicatum ab Oreste tradunt. Huc si quis vel cæde, vel quouis incesti, aut impietatis genere pollutus in-*

trârit, spectandi causa, statim eum mente capi diris terroribus exagitatum credidêre. Quare omnibus etiam aliò contendentibus templi aditu interdictum. Pausanias in Achaicis.

CVM Cereris nemus Erisichthon quidam Thessalus *exscidisset, illi Ceres perpetuam famem immisit, fecitq́ ne vnquam posset cibo saturari. Hic filiam habebat Mestram nomine, veneficiorum peritissimam, quam in varias animalium formas mutatam frequenter vendebat, quæ paulò pòst effugiens, rursus ad patrem priore forma recepta redibat, itaq́ pro suis viribus paternæ fami opem ferebat. Postremò ad tantam famem redactus est, vt sua ipse membra corroserit. Natalis comes Mythol. lib. 5. cap. 14.*

CAMBYSES Persarum Rex, cum ad Thebas *Aegyptias vsq́ peruenisset, quinquaginta millia ad Ammonios diripiendos misit, & vt Oraculum Iouis Ammonis incenderent præcepit. Cum igitur septem dierum itinere per arenas processissent, & inter Oasim vrbem & Ammonios pranderent, validus Auster ingestis arenæ cumulis totum oppressit exercitum. Ipse cum reliquo exercitu contra Aethiopes Macrobios profectus, cum vix quintam itineris partem confecisset, commeatu destitutus, Memphim rediit. Vbi cum propter Apis apparitionem festum diem agerent Aegyptij, ratus id fieri in suam contumeliam, quasi pro rebus malè gestis ei insultarent: sacerdotes & Aegyptios feriantes interfecit, Apim vulnerauit, ex quo vulnere postea contabuit. Mox fratrem Smerdem, & sorores germanas interfecit, dignas scelerum suorum pœnas luens. Herodotus libro 2.*

PERSAE Anactorium templum Cereris in Eleusine concremârunt. *Mox cum ad Plataeas victi essent à Graecis maxima clade, ne vnus quidem Persarum visus est intrâsse fanum Cereris, quod ibi erat, neque circa templum occubuisse: quasi Dea arceret eos, qui fanum suum diripuissent. Herodotus lib. 9.*

SVIDAS commemorat, Anagyrasion quendam *genium fuisse, sic à loco Atticae Anagyro cognominatum, qui senem vicinum, quod lucum suum incidisset, hunc ad modum vltus est. Senis concubinae insanum quendam amorem immisit in illius filium, quae cum adolescentis animum pellicere non posset, eum vltrò apud patrem detulit, quòd sese de stupro non desineret interpellare. Pater persuasus à muliere, filium è tecto praecipitem dedit ac interemit. Deinde facti poenitens, semetipsum laqueo praefocauit. Postremò mulier sese in puteum deiecit. Huius rei citat authorem Hieronymum, in opere de Tragoediarum scriptoribus. Hinc prouerbium Anagyrum commoues. Erasmus.*

AESCVLAPIVS consecratum templo suo *lucum apud Coos, à Turulio praefecto Antonij, ad naues ei faciendas, magna ex parte succisum dolens, inter ipsum nefarium ministerium deuictis partibus Antonij, imperio Caesaris morti destinatum Turulium, manifestis numinis sui viribus, in eum locum quem violauerat, traxit, effecitque, vt ibi potissimum à militibus Caesarianis occisus, eodem exitio, & euersis iam arboribus, poenas lueret: & adhuc superantibus, impunitatem consimilis iniuriae pareret, suamque venerationem, quam apud colentes maximam semper habuerat, Deus multiplicauit. Valerius*

libro 1. cap. 2. Lactantius lib. 2. de Origine erroris cap. 8.

SCRIBIT Pollux Onomastici lib. 5. apud *Athenienses* ἀρκτεύεσθαι *virgines dici, hoc est, Dianæ, priusquam tempus appetat nuptiarum, consecrari, initiariue. Decreto namque sancitum Atheniensium erat, ne qua viro puella traderetur,* εἰ μὴ ἀρκτεύσειε τῇ θεῷ, *id est, nisi sacra obijsset Dianæ. Quod mense Ianuario fieri consueuisse, indicat Libanius in oratione, quam de Diana laudibus dixit. Induebantur autem veste, quam Crocotam nominant, nec decimo ætatis anno grandiores, nec quinto inferiores. Iis autem placari credebatur Diana, quæ causa eiusmodi indignationem concepisse videatur. Ferunt quandoque vrsam feram in Attica ita cicurem factam, vt homines nihil auersaretur omnino, sed compasceretur, multaque licentia huc illuc, nemine impedimentum inferente, peruagaretur. Contigit puellam quandam lasciuiusculè cum bellua colludere, quæ irritata, puellam facto impetu proscidit. At fratres rem intuiti, ac commoti acrius, vrsam iaculis impetitam necârunt. Ex qua causa, pestilens morbus latius per regionem grassari cœpit. Consultis oraculis, respondit Deus, mali non defuturum finem, nisi virginum nonnullas compellerent,* τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ἀρκτεύειν, *id est, vrsæ peremptæ honori Dianæ necati. Cælius lib. 26. cap. 19.*

APVD Tanagræos Bœotos est templum *Mercurij Criophori dicti, eò quòd pestilentiam Mercurius auerterit, circumlato in murorum ambitu ariete: ob eamque rem Mercurium Tanagræis Calamis fecit arietem humeris portantem. Qui sanè puberibus cæteris forma præstare iudicatus fuerit, is festo Mercurij die agnum humeris*

portans muros circumambulat, quod præsentissimum contra pestem remedium fuit. Pausanias in Bœoticis.

OCTAVO anno regni Numæ, pestilentia, quæ *per Italiam vulgabatur, vrbem quoq; Romanam vastabat. Perculsis ciuibus, tradunt peltam æneam in manus Numæ cœlitus delapsam. De hac mira prædicâsse Regem, ex Aegeria se & Camœnis accepisse: esse ea arma ad salutem vrbis missa, & seruanda cum vndecim alijs, quæ pari figura, amplitudine, & forma facienda erant, ne quis fur commodè propter similitudinem interuertere cœlestia valeret. Camœnis item eum consecrandum campum, & circumiecta prata, vbi plerumq; cum ipso congrediebantur: fontem quo irrigatur campus, sacrandum virginibus vestalibus, cuius aqua lustrarent & aspergerent quotidie penetralia. His fidem factam narrant ex eo, quòd morbus statim conquieuerit. Plutarchus in Numa.*

AESCVLAPII fanum Naupacti à fundamen*tis olim erexit vir priuatus Phalysius. Ei aliquando grauiter ex oculis, & ferè vsq; ad cæcitatem laboranti, qui Epidauri colitur Deus Anyten misit nobilem versibus faciendis fœminam, cum tabulis obsignatis. Eas per visum in quiete mulier sibi accipere visa fuerat. Sed vero euentu res est comprobata. Tenuit enim manibus iam vigilans obsignatas tabulas. Naupactum igitur cum appulisset, iubet Phalysium amoto signo literas inspicere. Ille primò putare literas à se aspici non posse, qui oculis captus esset. In spem deinde erectus, salutare sibi fortasse aliquid ab Aesculapio apportari, tabulis resignatis, in ceras aspexit, & simul se oculorum calamitate leuatum sensit. Pausanias in Phocicis.*

DEFVNCTO Sesostre Aegyptiorum Rege, eius *filius (quem Herodotus vocat Vahronem) regnum capiens, assumpto patris nomine, nulla in re gloriam paternam est imitatus: sed eodem quo pater casu afflictatus est: oculis enim captus, siue propter communem patris naturam, siue vt quidam fabulantur, propter impietatem erga Nilum, in cuius alueum spiculum torsit, coactus est ad Deorum auxilium confugere, ac plurimo tempore varijs peractis sacris ad placanda numina, nulla ope adiutus est. Decimo pòst anno responso ei reddito, vt placato Deo, qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium nôsset virum, ab vxore propria incipiens, cum multas expertus esset, nullam reperit incorruptam, præter hortulani cuiusdam, quam visu restituto vxorem cepit, reliquas omnes in villa quadam viuas combußit. Quem locum postea Aegyptij Sacram glebam vocitârunt. Deo autem Heliopolis gratias secundum oraculum acceptum reddens, duos erexit vnius lapidis obeliscos, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum. Diodor. lib. 1. cap. 4.*

HADRIANO Imper. grauiter laboranti cum *mulier quædam diceret, per quietem à Dijs se monitam, vt eum hortaretur, ne sicut morbi tædio videbatur constituisse, se occideret, quoniam breui valetudinem recepturus esset. Mulier ipsa, quia principis valetudo in tempore dictis non respondebat, se excæcauit. Denuo etiam monita, vt Adriani genua oscularetur, & aqua quæ in templo erat, oculos lauaret, monita per quietem secuta, statim visum recepit. Similiter quidam à natiuitate cæcus, è Pannonia profectus, tacto Adriano, oculorum lu-*

men assecutus est, & Adrianus ad pristinam bonam valetudinem restitutus.

VXOREM quam duxit Amasis Rex Aegyptiorum, *alij volunt filiam fuisse Batti, filij Arcesilai: alij Critobuli, inter suos populares viri spectati, nomine Ladicen, cum qua dum in thoro cubaret, concumbere non poterat, cùm tamen alijs mulieribus vteretur. Id cum diu fieret, ad eam Amasis: Tu verò, inquit, vxor, veneficio me læsisti, ideoq́ue nullo machinamento vales effugere, quominus inter omnes mulieres teterrima pereas morte. Ladice cum pernegando nihilo placatiorem redderet Amasim, vouit intra se Veneri, si ea nocte secum coiret Amasis, statuam Cyrenas se illi missuram. Concepto statim voto, coijt cum ea Amasis, ac deinceps quoties adiret, cum ea coibat, ac postmodum eam valdè dilexit. Et Ladice votum Deæ persoluit, facta statua, Cyrenasq́ue missa, quæ ad Herodoti vsq́ue memoriam incolumis erat, extra vrbem Cyrenensem posita. Herodotus libro 2.*

MILO EPIROTA, cum hastam in Laodami*am filiam Pyrrhi coniecisset, quæ ad aram Dianæ, velut ad asylum confugerat, Dea vindicante, in furorem versus est, quo intra duodecimum diem perijt.*

HALICARNASSI, cum sacrificium quoddam *Ioui Ascræo peragitur, gregem caprarum ad fanum adductum consistere, votisq́ue absolutis, vnam earum, nemine ducente, progressam ad aram accedere, qua sacerdos arrepta litet. Apollonius de hist. mirab.*

IN Bœotia Cereris Mycalessiæ templum occludi *singulis noctibus, & aperiri ab Hercule putant. Præterea ad simulachri pedes, poma omnia quæ fert autumnus, ex-*

ponunt, ea quàm recentiſsima totum annum perdurant. Pauſanias in Bœoticis.

INTER Tralles atq; Nyſſam vicus eſt Nyſſaen-*ſium, non procul ab vrbe nomine Achraca, vbi Plutonius eſt, luco ſumptuoſo circundatum. Item Plutonis ac Iunonis delubrum, & antrum Charonium, natura admirabili, quod luco imminet. Tradunt ægrotos, qui horum Deorum curis vocant, eò proficiſci, atq; in vico ſpecui vicino, apud ſacrorum peritos immorari, qui pro eis indormientes, curas ex inſomniјs captant. Hi Deorum remedia inuocantes, ſæpe illos in antrum ducunt, vbi tanquam in cauerna manentes, multos dies & ieiuni & quieti exudant: nonnunquam ægrotantes, propriјs inſomniјs intendunt, ductu & conſilio ſacerdotum. Strabo libro 14.*

EPIDAVRVS Peloponneſi ciuitas, Aeſculapij *claritate nobilitata, quem varia morborum genera curaſſe ſcripſerunt veteres. Erat verò templum ægrotantium multitudine vſquequaq; refertum, pendentibusq; tabellis, in quibus ſanati languores erant inſcripti. Quemadmodum & in Coa fiebat inſula, pariter & Trica. Sita vrbs eſt in ipſo Saronici ſinus receſſu intimo. Strabo libro 8. Idem Strabo ſcribit, fanum AEſculapij inſigne fuiſſe Tetrapoli, quæ ciuitas ab Ionibus & Caribus habitabatur. Erat id templum multitudine ægrotantium, & varijs morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis vbique tecti, in quibus ſcripti erant morbi & nomina eorum, qui ab illo Deo ſanati eſſent.*

IN Daulia memorant Iliados Mineruæ templum, *in quo alantur canes, quibus inſitum planè ſit, perinde ac ratione quadam, aduentantibus ſubblandiri Græcis, Barba-*

ros autem, vbi se ostentârint, latratu insectari. Cælius lib. 23. cap. 30. Antiq.

ROMAE in Boario foro, ædes Herculi rotunda *præcipuæ admirationis, ad quam ferunt nec canes, nec muscas ingredi: Sicut Achillis ædem ante Borysthenem nulla ales ingreditur. Alexander ab Alexand. libro 2. cap. 14.*

APVD Methonem Peloponnesi vrbem pallados *fuit templum ἀνεμώτιδος, Diomede simulachrum dicante, quod ante id violentiores loca ea venti insigniter obladeretur, haud tempestiuè satis perflantes, qui mox fusis Deæ precibus desierint, nullumq; deinceps calamitatis genus incolis indidem enatum. Vnde cognomentum Minerua est adepta. Cælius lib. 20. cap. 24. Antiq. lect.*

CVM diuturna siccitate Græcia laboraret, ac *non minus reliqua, quæ extra Isthmum est, Græcia, quàm tota Peloponnesus, cœlestium aquarum penuria affecta esset, missi Delphos sunt, qui ex Oraculo calamitatis causam ac remedium cognoscerent. Ibi respondit Pythia, Iouem placandum, vtendum verò, modo vt velit obsequi, Aeaco deprecatore. Ex eo itaq; responso missi ex singulis vrbibus ad Aeacum, vt deprecationem susciperet, oratum. Ille panellenio Ioui sacris ritè peractis, & votis nuncupatis, imbrium Græciam compotem fecit. Ad rei memoriam, legatis Aeginetæ statuas posuerunt. Pausanias in Corinthiais.*

MESSENE in gymnasio Aristomenis Messenij *visitur sepulchrum, quod sanè esse inane, atq; honoratium duntaxat, negant. Etsi enim expugnata à Spartanis Era, exul mortuus est, tamen Pythij Apollinis iussu, ossa*

eius in Patriam reportata fuerunt, & sacra instituta talia. Aræ destinatum taurum ad pilam non procul à sepulchro alligant. Is cum ferox, & vinculorum sit insolens, euadere conatur. Quod si dum trepidat & exilit, pila moueatur, secundum id est Messenijs omen: sin prorsus immota ea pila steterit, calamitatem sibi aliquam portendi interpretantur. Interfuisse vero heroa Aristomenem Leuctricæ pugnæ 187. annis post eius obitum, & auxilio Thebanis fuisse, & eius maximè opera magna clade afflictos Lacedæmonios prædicant. Pausanias in Messenicis.

Apvd Pachynum Siciliæ promontorium, Apol*lo Lybistinus eximia religione celebratur. Nam cum Lybici inuasuri Siciliam, classem appulissent ad id promontorium, Apollo, qui ibi colitur, inuocatus ab incolis, immissa ab hostibus peste, & penè cunctis subita morte interceptis, Libystinus cognominatus est. Macrobius libro 1. capite 17.*

Cvm Persæ ductu Xerxis ad sacellum Mineruæ, *quod est ante templum Delphicum, accederent, interea è cœlo fulmina in eos deciderunt, vt à Parnasso duo abscißi vertices, magno cum fragore sunt deuoluti, permultosq; eorum interceperunt. Atq; ex ipso sacello Mineruæ voci feratio iubilatioq; extiterunt. Barbari fugæ se mandârunt. Delphi descendentes magnam eorum stragem edidere. Qui superfuere, rectà ad Bœotios effugerunt, referentes, se duos vidisse armatos, humana natura augustiores sese insequentes. Hos duos Delphi aiunt indigenas Heroas esse, Phylacon, & Autonoum, quorum fana visuntur. Phylaci quidem, secundum ipsam viam, super ædem Mineruæ:*

Autonoi verò prope Castaliam, sub Hyampeo vertice. Herodotus lib. 8.

CVM bello Sabino, quod virginum raptarum *gratia commissum est, Romani portam quæ sub radicibus collis Viminalis erat (quæ postea ex euentu Ianualis vocata est) claudere festinarent, quia in ipsam hostes irruebant: postquam est clausa, mox sponte patefacta est. Cumque iterum ac tertiò idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt. Cumque ex altera parte acerrimo prælio certaretur, subitò fama pertulit fusos à Tatio Romanos. Quam ob causam ij, qui aditum tuebantur, territi profugerunt. Cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Iani per hanc portam magnam vim torrentium, vndis scatentibus, erupisse, multasque perduellium catervas aut exustas feruenti aqua, aut deuoratas rapida voragine perijsse. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 9.*

SVNT qui in Apollonia in Ionico sinu sacræ So*lis oues, quæ interdiu secundum flumen pascuntur, quod è monte Lacmone per Apolloniatum agrum fluit in mare, iuxta Oricum portum. Eas noctu stabulantes, in antro non procul ab vrbe, custodiunt delecti viri, diuitijs & genere inter populares suos splendidissimi, singulis annis singuli, quod ex Oraculo quodam Apolloniatæ eas oues permagni faciant. Ibi Euenius quidam cum aliquando delectus ad custodiendas oues obdormisset, ingressi antrũ lupi, circiter sexaginta oues iugulârunt. Id Apolloniatæ vbi acceperunt, adductum in iudicium Euenium condemnauerunt, & quia vigiliam edormisset, visu priuaretur: quem posteaquã excæcauerunt, mox eis neque pecora fœtificauêre, neque terra*

pro consuetudine fructum ferre. Erant autem illis pecora & in Dodona & in Delphis. Interrogati Prophetæ causam mali præsentis, responderunt causam esse, quia custodem sacrarum ouium Euenium iniquè luminibus orbassent: Deos enim immisisse lupos, nec prius ab illius vltione cessaturos, quàm ei satisfecissent ex ijs, quæ in eum perpetrassent, prout ipse sibi suo arbitrio satisfactum putaret. His perfectis, Deos postea daturos tale donum, quod habentem pleriq; hominum putarent beatum. Hæc Oracula Apolloniatæ silentio supprimentes, quibusdam è ciuibus exequenda delegauerunt. Isti hunc in modum putârunt exequenda. Euenium in statione sedentem adeunt, eiq; aßidentes alijs de rebus verba faciunt, donec deueniunt ad miserandam hominis calamitatem. Ita introducta eius rei mentione, percontantur, quam mulctam optaret, si eam vellent pendere Apolloniatæ. Hic qui Oraculum non audisset, se optare dixit duo prædia ciuium, quorum matrimonia omnium Apollonitarum putabat esse pulcherrima, & præterea domicilium, quod sciebat in vrbe esse optimum. Assensere statim ciues, & Oraculum, quod acceperunt, narrârunt, eaq; prædia à dominis mercati, Euenio dedêre: Qui mox deinde à Dijs diuinationem obtinuit, vnde celeberrimus euasit. Herodotus lib. 9.

PILAPPII extremam Scandinauiæ peninsulæ *partem ad mare glaciale inhabitant. Hi nec agros colunt, nec vllum animal alunt, præter Tarandum, quo vtuntur pro iumento, tempore hyemis, quando congelatæ aquæ constiterunt, & omnia obriguerunt frigoribus. Viuunt ex venatione & piscatione, & coluerunt hactenus pro Dijs ligna & lapides. Ituri venatum aut piscatum, aut aliquid aliud*

inceptu-

incepturi, præmissis quibusdam adiurationibus, suos Deos, quos consulunt, tentant loco mouere. Hi si facilè sequantur, annuunt instituto, & successum promittunt: Si renitantur, successus negant: Si omnino moueri se loco non patiantur, offensos se ostendunt. Tales ergo sacrificio placandos existimant, quod in hunc modum instituunt. Tympanum habent æneum, in quo depicta sunt ea quadrupedum, auium, & piscium genera, quæ ipsis non est difficile consequi. Habent & ranam æneam, ferreæ perticæ annexam, quam in medium tympani ad perpendiculum defigunt. Postea adiurationibus editis, pulsant tympanum, ad cuius sonitum desilit rana in depictorum animalium aliquod. Illud animal cuius effigiem petijt rana, mactant Dijs. Caput suspendunt ab arbore, quam sacram habent. Reliqua coquunt, & amicis adhibitis consumunt, seq́ꝫ illo omnes perfundunt iure, cum quo hostia decocta est. Talibus peractis sacris, succedere quæ moliuntur & parant, experimento sese didicisse aiunt. Olaus.

DE MIRABILIBVS SATANAE PRAESTIGIIS, LVDIBRIIS ET IMPOSTVRIS, AD STABILIENDAM & confirmandam Idolatriam de adoratione & inuocatione Sanctorum mortuorum, cultu statuarum siue imaginum, & ad confirmandum commentum de purgatorio, &c. iuxta vaticinium S. Pauli Apostoli, 2. Thess. 2.

THEODO-

THEODOSIVS Imperator suspectum habens *falsi criminis Iohannem Damascenum Monachum, quod Persis, apud quos captiuus fuerat, proderet imperij arcana, abscissa manu eum mulctauit. At ea D. Virginis ope palam restistituta est, vt ante erat, licet Ecclesiæ valuis affixa fuisset per multos dies. Fulgosus lib 1. cap. 6.*

NICEPHORVS lib. 15. cap. 23. narrat, archi*synagogum Iudæorum quendam Constantinopoli cum pueris duobus, in tumultu concitato sub Leone Imperatore, perinde atq; is autor eius esset, comprehensum, & crudeliter à viro consulari excruciatum, inter tormenta varia vociferâsse: O Deus sancti Sergij adiuua me. Sancte Sergi, tu nosti. Iudices fingere hæc Iudæum suspicati, ad ignem eum condemnârunt. Sed in media flamma equites duo candidis induti stolis apparentes, horis multis illum ab igne intactum conseruârunt. Multitudo postremò in flammam insiliens, hominem inde eripuit.*

CVM Leuinnæ virginis corpus anno 1058. per *vicos & castella Flandriæ maritimæ circumferretur, paralytici, surdi, claudi, & alijs morbis detenti, subitò sanati sunt. Duo itidem cerei vento extincti, vbi ad ossa perferrentur, ipsorum vi accensi sunt. Iacobus Meyer, ex scriptis Dogonis tum temporis Morinorum Episcopi.*

AD sepulchrum Martini IIII. Pontificis belli*cosi satis, multi valetudinarij delati, multi cæci perducti, multi & claudi, pristinam valetudinem recepêre. Platina.*

CVRRVS quo corpus S. Ladislai Vngariæ Re*gis defuncti ferebatur, custodibus dormientibus, & iumen-*

tis pascentibus, sine vllo impulsu, Varadinum vsque tanta celeritate peruenit, vt neque custodes eum assequi, neque quisquam remorari posset. Dum sepulchro mandatur, os cuiusdam, qui fœtere illud dixerat, in tergum ita retortum est, & mentum in humeris hæsit, vt nulla arte in integrum restitui posset. Sed cum vociferaretur, peccaui in sanctum principem, sancte Ladislaë, miserere mei, & supplici veneratione iratum sepulchri numen placaret, mentum in suum locum reductum est. Bonfinius libr. 4. Decadis. 2.

ADELBERTI Pragensis Episcopi in Liuonia ob *Christum occisi digitum, quo inter prædicandum vsus sæpe fuerat, in Vandalum amnem proiecerunt carnifices. Proiectum piscis absorbuit. Absorptus in facis speciem, in ventre piscis illuxit. Piscatores hoc edocti portento, mira industria ceperunt piscem, in exenterati ventre Adelberti digitum facis more lucentem inuenêre. Idem libro primo, Decadis secundæ historiæ Vngar.*

GENARIVS Beneuentanus Episcopus, Neapoli *pro Christi fide capite mulctatus est. Diuersis templis condita caput, sanguisque eius ampulla conclusus. Quo die per vrbem solenniter feruntur, sanguis qui in pilam induruit, cum in caput incidit, liquescit totus in ampulla, non aliter, quàm cum primum cæso capite ex martyris corpore defluxit. Cum autem à capite disiungitur, in sphæricam formam, vt antè erat, durescit. Id etsi satis patet, nos tamen vt certius rem intelligeremus, eorum qui in re præsenti fuerunt, intentisque oculis diligentes sese spectatores præbuerunt, testimonium habere voluimus. Fulgosus libro 1 capite 6.*

VALENS Imperator Arianus, cum transferre

Constantinopolim Iohannis Baptistæ caput vellet, currus cui impositum erat, moueri loco nunquam potuit: itaq; omittere coactus est opus, quod susceperat. Hoc autem ipsum caput posteà facillimè à Theodosio orthodoxo perlatum fuit. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

OTHONIS & Philippi Imperatorum bello, Coloniam *visa sunt in templum redire vndecim milia virginum, trium Regum corpora, ab Abbatia Fuldensi ex Thuringia, quò à Colonia fuerant translata. Manè enim dum nocturni Psalmi cantarentur, Abbas monachiq; eius Monasterij egredi templo corpora ipsorum trium perspexêre Regum, quæ haud multò pòst Coloniæ in templo, vbi antea erant, fuerunt inuenta. Idem ibidem.*

CVM Iohannes Eleemosynarius esset sepultus, *Mulier quædam per triduum sepulchro aßidens, continuo fleuit, propterea quòd tradidisset ei schedam, in qua grande peccatum ei aperuisset: indeq; metueret, ne illa ad alienas manus deueniret, vt facinus fieret manifestum. Ibi Eleemosynarius apparuit mulieri, reddiditq; schedam obsignatam, cui deleta priori scriptura, ita erat inscriptum, propter Iohannem seruum meum, deletum est peccatum tuum. Metaphrastes in vita eius.*

CONRADVS quidam Germanus scelerum pœnitens *Romam venit. Hildebrandus Pontifex loricam loco interulæ illum ferre iubet, quinq; catenis ligat, literas peccatorum Catalogum continentes obsignatas dat, loca sancta totius orbis obire præcipit, sicubi veniam exorare, & peccatorum remißionem consequi posset. Paret ille, & diu multumq; vagatus, ne Hierosolymis quidem prætermißis, in Vngariam tandem venit, & sancti Stephani Regis se-*

pulchrum

pulchrum in Alba Regali accedit. Quum à prima hora diei ad nonam vsque obsecrationibus incubuisset, ante aram graui somno correpto, diuus Rex apparet, Surge mox, inquit, amice, ne meis quidem meritis opéue apud tribunal Dei veniam impetrabis. Sed filij mei Emerici monumentum, quod iuxtà est, adito, qui præ virginitate sua præcipuam apud Deum gratiam promeruit. Ille somno experrectus, exorat Diui nomen, & opinione celerius vincula, quibus erat obstrictus, vndique disrupta concrepuêre. Pugillares rescisso sigillo spontè patuêre, in quibus nullum peccatum, ne minima quidem litera inspici poterat. Ex eo postea huic sacello tantum Relligionis accessit, vt è remotissimis regionibus homines confluerent. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

ANNO circiter tertio post cladem ad Nicopolim *à Turcis acceptam, Sigismundo imperante, cum multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa subinde vocem exaudiuêre,* IESV CHRISTI *Saluatoris, & Mariæ virginis nomina resonantem. Loquax inter cadauera caput inueniunt. Quod, vbi homines sibi adesse nouit, Quid tam, inquit, stupidi hic statis viui? Christianus ego sum, inexpiatus, inconfessusque in hoc bello incubui. Maria mater me æterni supplicij reum esse non patitur, hîc me adhuc linguæ compotem seruauit, & vt delicta fateri, & animum sacris Apostolicis lustrare queam. Proinde Sacerdotem, qui confessionem exaudiat, & me expiatum reddat, accersite quæso. Rogatus, quî tantum à Virgine beneficium promeruisset? Respondit, Peculiare in vita sibi id fuisse numen, septena quotannis in vita sua festa reuerentissimè celebrâsse, religiosissimisque ieiunijs ex pane duntaxat & aqua decorâsse, sacris fuisse quàm studiosissimè*

operatum, illi tantum numini cunctas animi vires dedicâsse. Accersito è pago proximo sacerdote, confessionem ritè transegit, & impetrata erratorum omnium remissione, acceptaq; nouissima lustratione, repente conticuit, perpetuoq; quieuit. Bonfinius lib. 3. Decad. 3.

MERCVRIVS quidam Vngarus basilicæ Albensis *æditiuus, quum Ladislaus Rex imperâsset tumulum diui Stephani aperiri, ne quid è reliquijs subtraheretur, cum plerisq; alijs procul amotus, tristi vultu in sacrum chorum se recepit, valde mœrens, quòd sanctissimum corpus neq; videre, neq; osculis attingere potuisset. Tum iuuenis quidam intempesta nocte coràm adstitit, forma incredibili, liberali facie, candidissimoq; habitu, nescio quid bysso inuolutum deferens: Accipe, inquit, Mercuri, quod optâsti, & hoc donum preciosissimum, quod tuæ fidei committitur, commendatissimum habeto, asseruatoq; diligentissimè, & cum tempus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris ritè peractis, Mercurius petita latebra, rem traditam explicat, sancti Regis dexteram & anulum inuenit. Mox ad Carpathij montis radices secedens, qui Transyluaniam ab Vngaria dirimit, cœnobium quoddam ligneo opere confectum gubernaturus, dexteram neq; sibi neq; alij credere audens, terra infodit, & quotidianas ex Monachis excubias instituit, ne quo modo surripi posset. Demum id ex ordine Ladislao Regi aperuit. Cuius edicto, habito Pontificum conuentu, solennis dies Regiæ dextræ decernitur. Quam vniuerso collegio sacerdotum ostensam basilicæ Rex intulit, eamq; splendidè instauratam, multis reditibus donauit. Anno Salutis 1078. Abbatiam Regiæ dexteræ nunc appellant. Bonfinius lib. 1. Dec. 2.*

Dum octauam natiuitatis B. Mariæ aliquando *Bruno Hildesianus Episcopus solennem ageret, in templo ipsi videndam se præbuit Maria. Quam in genua procidens Episcopus sic compellauit: O cœli Regina, quid ex sublimi ad me miserum homuncionem venire dignata es? Cui illa respondit: Ex animo lætor, quod te autore, mea Natiuitatis memoria tanta celebritate peragitur, vnde & singularis meo filio honor emergit. His dictis, in tenues auras euanuit. Hinc deinceps octaua Natiuitatis Mariæ maximè sacra haberi cœpit. Chron. Saxon.*

Anno 1495. Nicolaus Sigismundi Quinquecclesiensis *Episcopi quæstoris familiaris, Buda ad Regem Vladislaum properans, in villa cui Solita nomen est, magna in aëre luce, cum ingenti fragore oculis auribusq́ suis obiecta, repentè rei nouitate exterritus, in terram procubuit, suspiciensq́ inde in cœlum, B. Virginis speciem cum filio, nimbo fulgentissimo circumfusam per aëra descendentem, & Budam versus cursum intendentem vidit, idq́ ipsum statim Boënno cuidam & vxori eius hospiti, & aurigæ suo venerabundus ostendit. Is erat dies, qui Deiparæ virginis conceptioni dicatus, quem postea semper Vngari religiosius coluerunt. Bonfinius lib. 5. Decad. 5.*

Sarolthae, Vngarorum Ducis Geisæ con*iugi dormienti, cum vterum gereret, Stephanus protomartyr apparuit, eamq́ his verbis affatus est: Confide in Domino* Iesv Christo, *mulier, & ex me diuino mandato sic habeto te propediem scitum fortunatumq́ puerum edituram, cui Pannonici Regni debetur diadema: ac talis is vir erit, qualem nunquam deinceps visura est Pannonia. Demum inter Diuos ipsi locus erit. Et cum ego Stephanus*

ſim protomartyr, qui nunquam non ei adero, meum filio nomen imponito. His dictis euanuit. Sarolthà ſomnio confirmata, protomartyri ad omnes aras ſacra fieri præcepit, & anno 909. puerum enixa eſt. Bonfin. lib. 1. Decad. 2.

NICOLAI TOLLENTINATIS parentes de *futura ſobole Oraculo quodam inſtructi, voti cauſa Barium profecti ſunt. Vbi cum ad Diuī (qui religioſè illic colitur) conditorium venerabundi diutius iacuiſſent, caſu an potius prouidentia, dubium, ſomno ſuccubuêre. Hic inopinato monitu inſtructi, perceptam multò ante ſpem prolis augent, auctam votis & ſolenni precatione ſibi ratam deſpondent. Neq; preces incaſſum miſſæ, omnia maiora ſanctioraq; ſecuta, quàm mens hominum ſperare auſa eſſet, vt ex non ſanctis ſanctus naſceretur. Sabellicus lib. 1. cap. 1.*

HVLDRICVS Leodienſis Epiſcopus, cum cir*ca anum cancro laboraret, nullamq; Medici ſalutem ſponderent, iuſsit ſe in Turones ad beati Martini fanum deferri. Illic cum ſeptimum diem inter lachrymas genituſq; iuxta aram ageret, & feſſus in ſomnum incidiſſet, viſus eſt videre Martinum Bricciumq; ſimul de ipſius morbo loquentes: atq; Martinum crucis ſigno frontem eius notare, ac pedo, quod manu gerebat, morboſam contingere partem. Itaq; à ſomno experrectus, præ lætitia magna voce exclamauit. Ad quem eius familia, cum clamorem mirata accurriſſet, amotis faſcijs, quibus læſa pars deligata erat, liber eſt inuentus, ſolaq; cicatricis parua nota in eo eſſe loco, vbi cancer erat. Fulgoſus lib. 1. cap. 5.*

ERAT iuxta Brundulum templum D. Michaëli ſa*crum, quod vnum Clodia, Matemaucum, Venetiaq; ipſa,*

ſum-

summa pietate colerent. Accidit verò, vt apud Senogalliam Sergius quidam, opibus & authoritate princeps graui morbo laboraret: cui noctu vox audita fertur, vt si quamprimum votum nuncuparet inuisenda ædis Diuo Michaëli sacræ, statim incolumis fieret. Qua ex re pactum statim factum, vt reus voti, relicto patrio solo, fanum inuiseret, ampluśq; muneribus donaret, tum verò saluus penates suos inuiseret. Egnatius lib. 1. cap. 6.

IOHANNIS ORPHANOTROPHI, MICHAELIS *Paphlagonis Imperatoris fratris os vlcus depascebatur. Cum verò Medici de ope ferenda desperassent, per insomnium ei visus Magnus Nicolaus, monuit, vt quamprimum Myra iret, ibi sanitatem recepturus. Celerrimè igitur eò profectus, Nicolai clericos vnguentis, aliјsq; sumptuosis rebus demeritus, metropolin Myra muro validissimo cinxit, morboq; solutus rediјt. Cedrenus.*

HENRICVS II. Imperator cum Apuliæ ciui*tates perlustraret, calculorum labore sic est infestatus, vt plerіq; de eius salute desperarent. Sed tanta patientia hunc morbum sustinuit, flagellum correptionis sibi à Deo missum iudicans, vt cum montem Cassinum ascenderet, petiturus intercessionem à Sanctis, Diuo Benedicto & S. Scholastica, (nam Medicorum arte nullam recuperare potuit valetudinem) in somnis visus est videre diuum Benedictum astare sibi, & ferro pudenda aperire, & calculum ingentem eximere, vulnereq; solidato, calculum in manum Regis dormientis collocauit. Qui è somno experrectus, grande miraculum cernens, satellites ad se vocauit, vt principes accerserent, quibus rem hanc mirandam & supra humanum captum incredibilem ostendit, vnà*

cum cicatrice vulneris obducta. Agens itaq; immensas Deo immortali optimo maximo gratias, oblatisq; templo diui Benedicti preciosissimis donarijs, ac annuis ex prædijs adiacentibus reditibus Cassinum reliquit. Cuspinianus.

MANVEL THEOPHILI Imper. Dux (*qui viuo Theophilo, simulachrorum cultum improbauerat, & tum quoq; nutabat) incidit in grauissimum morbum, adeò quidem, vt iam de vita eius desperaretur. Eum accessêre quidam Monachi, ex Studij collegio, quibus nunciatum fuerat esse mortuum: cumq; ad lectum aggressi, viuere adhuc & spirare sensissent, lætum ei de pristina sanitate recuperanda nuncium prædicauerunt. Ille tenui ac imbecilla voce: Quomodo, inquit, hoc mihi contingat? cuius & animæ facultates defecerunt, & corpus omninò confectum exaruit? Respondêre Monachi: Deum nihil non posse. Quòd si ergo sanitate recepta operam sit daturus, vt Imagines secundum vetera Maiorum decreta restituat, se ei vitam certò promittere. Atq; hæc fati, discesserunt. Statim verò & morbus remisit, & naturales facultates omni impedimento sunt liberatæ, breuiq; temporis spacio infirmitate prorsus est solutus. Cedrenus.*

AMICVS quidam Iuliani, cum ad eum in Persia *existentem properaret, & in loco quodam via publica diuertisset, ac penuria domestici hospitij coactus, in Ecclesia, quæ illic erat, dormiret, noctu ad eum, siue vigilantem siue dormientem, multi ex Apostolis & Prophetis congregati, de contumelia Imperatoris aduersus Ecclesias conquesti sunt, ac quid faciendum esset, inter se consultauerunt: & postquam ea de re multis deliberâssent, ac veluti perplexi essent, duo in medium surgentes, aliosq; bono*

animo esse iubentes, ac festinanter tanquam ad destruendum Iuliani Imperium properantes, concilium illud reliquerunt. Homo ille, rerum istarum admirabilium spectator, susceptum iter deinceps negligens, vt quis esset visionis illius futurus exitus videret, rursus eodem loco dormiuit, iterumq́ eundem conuentum vidit. Ad quem subitò, veluti ex itinere reuersi, ingressi sunt illi, qui præterita nocte contra Iulianum pugnaturi discesserant, ac reliquis annunciârunt esse eum occisum. Sozomenus lib. 6. cap. 2.

NAVCLERVS libro secundo, Generatione *decimatertia narrat, Basilium Cæsareæ Cappadociæ Episcopum, cùm ob minas Iuliani, quibus Cæsaream, reuersus ex bello Persico, subuersurum sese dixerat, indicto ieiunio triduo in templo, Mariæ Virginis Deo supplicâsset, in somnis vidisse, Mercurium militem dudum defunctum, mandato Mariæ virginis occidere Iulianum, & ea arma ibi pendentia non reperisse: Aedituum autem interrogatum, quò arma eius peruenissent? Respondisse, Se nescire, & sacramento affirmâsse, vesperi ea adhuc adfuisse, Rediisse itaq; Basilium in montem, & nocte excitâsse alios, eisq́; dixisse, Iulianum esse interfectum. Eo nuncio excitatos, venisse ad Mercurij sepulchrum, & lanceam eius pristino loco restitutam, & ruore fœdatam reperisse. Sed Hermannus Gygas in floribus temporum, sub Iuliano, non de Basilio, sed de Blasio quodam Episcopo Cerastensi hæc affert.*

EDOVARDVS III. Anglorum Rex, iam vi*gesimum quartum propè annum regnarat, cum ei allatus fuit à quibusdam Hierosolymis venientibus annulus, quem ipse diu antea pauperi clam dederat, qui pro amore, quem*

erga Diuum Iohannem Euangelistam habebat, eleemosynam petierat: nec multò pòst morbo affectus, per quietem Deo opt. max. illud ipsum edoctus, animam cœlo reddidit. Sepultus est in templo Vestmonasterij, ac breui pòst tempore inter Diuos relatus. Ille annulus in eodem templo multa veneratione perdiu est seruatus, quòd salutaris esset membris stupentibus, valetq; aduersus comitialem morbum, cum tangeretur ab illis, qui eiusmodi tentantur morbis. Hinc natum, vt Reges postea Angliæ, consueuerint in die parasceues, multa ceremonia sacrare annulos, quos qui induunt, hisce in morbis omninò nunquam sunt. Polydorus lib. 8.

IMAGO Diui Pauli, antiquæ manus opus, quam *auro exornatam in S. Quadraginta ade reposuit Andronicus Comnenus Tyrannus, imminente Andronico exitio, lachrymauit. Quo is audito, explorari iussit, an verum sit? Ad id ministerium præter cæteros, Hagiochristophorita Stephanus delectus, per gradus ascendit (nam in sublimi pendebat imago) Pauliq; pupillas purissimo linteolo abstersit. Quo facto, lachrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberârunt. Quod vbi cum admiratione retulit, Andronicus graui dolore perculsus, & diu agitato capite, cum gemitu dixit: Paulum videri sua causa lachrymâsse, ac grauissimam sibi cladem impendere. Se enim ex animo amare Paulum, & eius dicta maximi facere, & à Paulo vtiq; amari. Neq; verò multò pòst pedibus suspensus, inter horribiles cruciatus expirauit. Nicetas lib. 2.*

LEONIS V. ICONOMACHI mater, visa *est videre in templo Mariæ virginis, in Blachernis, mulierem quandam, filios vestibus candidis indutos sequi, &*

pauimentum Ecclesiæ à sanguine conspersum, mulieremq́ aliam hastam manu gestantem, iußisse vas sanguine impleri, & matri Regis dari. Quod vbi accipere recusasset, sic loquutam, Tuus, inquit, filius eos qui me venerantur, vlciscitur, & eorum sanguine replet omnia, vnde non immeritò & ego & filius meus illi indignantur. Mater somnio exterrita, mox filio Regi omnia manifestauit, enixeq́ rogauit, vt à persecutione Imaginum desisteret: verùm surdo fabulam narrauit, licet aliquantisper timeret, & præsertim vbi aliud quoq; cuiusdam insomnium intellexit. Nam Tarasius Patriarcha cuidam in somnis apparuit, qui acclamabat quendam Michaëlem, vt Leonem aggrederetur, & interficeret, in vindictam eorum, quos impiè & crudeliter ob religionem occiderat. Neq; ita multò pòst die Natali Christi, dum in templo canit, conspiratione Michaëlis Trauli cæsus est. Cuspinianus.

BARDAS DVRVS paulò ante interitum visus est *sibi per quietem cum Michaële Imperatore ad solennem quandam festiuitatem in magnum templum ire. Quò cum appropinquassent, quosdam praire albis amictos vestibus, & se ab ijs deduci ad cancellos tribunalis: ibiq́ se nihil videre aliud, quàm solio Patriarchæ residentem senem quendam, quem ipse putaret Petrum esse Apostolorum coryphaum: ad pedes eius volutari Ignatium, quam paulò antè miserè vexatum relegauerat, & iniuriarum suarum vltionem flagitare. Porro Petrum cuidam adstantium ensem tradere, & mandare, vt Theorgistum (sic appellasse eum Cæsarem, quasi diuina ira obnoxium) inter eos qui à sinistris stant, collocet, eoq; ense membratim concidat: Asebotecnum autem, (hoc nomine eum*

Imperatorem notâsse, vt impium filium) inter dextros constituat quidem, sed simile tamen supplicium denunciet. Cedrenus.

NOCTVRNA visio, Ambrosio Mediolanensi *Episcopo, corpora Martyrum Geruasij Protasijq́, quæ ad eam diem vbi essent ignorabantur, detexit: cum seipsos ei in somnis, quales inuenti sunt, ostendissent. Sic Hierosolymis Honorij imperij septimo anno, in somnis Gamaliel Luciano, Sacerdoti locutus est & apparuit, atq; vbi esset corpus suum detexit, filijq́ Abibæ, ac simul protomartyris Stephani. Neq; verò somnio fides antè adhibita est, quàm ter hoc idem per quietem vidisset. Corpora enim eo numero & forma, quam in somnis viderat, inuenit. In huius rei testimonium, his quoq; temporibus, Ecclesia diem festum sub Stephani inuentione celebrat. Fulgosus lib. 1. capite 5.*

TEXIT longam narrationem Sozomenus, de *inuentis à Pulcheria Theodosij sorore martyribus quadraginta, sub Licinio quondam apud Sebastem Armeniæ passis: quorum vt defossas inquireret reliquias, Thyrsum ait martyrem ei ter apparentem suggessisse, atq; vt ad se transferret monuisse. Ipsos deinde quoq; martyres quadraginta militari habitu splendide vestitos, ei sese manifestâsse. Sozomenus libro nono, capite secundo. Nicephorus Pulcheriæ Stephanum protomartyrem apparuisse inquit, cuius reliquias cum Constantinopolitani excipere vellent, & secum retinere, mulas, ait, currum, cui reliquiæ impositæ erant, trahentes, humana voce locutas.*

APPARVIT Agricolæ cuidam Calemoro no*mine, præsidi vici Chopharis, circa Eleutheropolin Pala-*

stinæ, Zacharias Propheta, eiq; in hortulum quendam ducto, loculos suos defossos demonstrauit. Sozomenus libro 9. capite 8.

FAMA est Venetijs D. Marci corpus aliquamdiu *ignoratum vbi loci esset, creditumq; vulgò, aut in occultiorem sedem diuinitùs transijsse, aut inde furto sublatum. Cæterùm supplicatione & ieiunio publicè indicto, ciuitas clerum secuta, subijt Diui templum. Miraculo hic euenisse aiunt, vt brachio ex conditorij latere exerto, anxiæ sollicitæq; obtulerit sese multitudini. Tum verò ingenti omnium lætitia corpus inde sublatum ferunt, atq; in augustiorem locum repositum: Decretum adhac, vt soli Venetiarum principi, templiq; procuratoribus, id sacrarium fas esset scire. Sabellicus lib. 3. Ennead. 9.*

VRBANO Papæ per quietem apparuit S. Be*nedictus, inquiens, Ne meum corpus Cassini quiescere dubites. Certitudinis testimonium sit: fratribus ad nocturnum synaxin surgentibus, pleuritide, qua laboras, liberaberis. Cui visioni respondit euentus. Chronicon Cassinense lib. 4. cap. 5.*

BASILIVS MACEDO, qui posteà Imperio *potitus est Constantinopolitano, in pueritia patrem amisit. Mater grauata paupertate, statuit seruiendo se cum filio nutrire. Ingressus Megalopolim noctu, quia nullæ erant impensæ misero, diuertit ad ædes S. Diomedis, & præ labore fessus dormire cœpit. S. Martyr nocte diacono cuidam, vel æditu, qui nondum sacris initiatus erat, in somnis apparuit, iubetq; vt foris dormientem in fouea ante ædis vestibulum Regem intromittat. Experrectus diaconus, & extra portas templi profectus, Basilium ado-*

lescen-

lescentulum reperit dormientem, somnium phantasma existimans. Ingressus templum, & iterum somno se dedens, fuit iterum atq; tertio experrectus, & admonitus vt Regem introduceret. Excitato itaq; Basilio, introducit in templum, & necessaria ei subministrat. Erat huic Diacono affinis quidam amicus, qui seruiebat Theophilizæ, qui Michaëli Imperatori & Bardæ Cæsari eius auunculo erat ob genus familiarißimus. Huius fratri hoc arcanum, quod in somnis viderat Diaconus, aperuit, rogauitq; vt hunc in seruitium alicuius principis duceret. At hic suo domino Basilium coniunxit: statimq; fratres isti Basilio insomnium narrant, ac iureiurando adigunt, vt si quando ad regnum perueniret, beneficij memor esset. Cuspinianus ex Zonara & Cedreno.

ELFREDO Regi Anglorum pulso à Danis & *exulanti, in somnis apparuit Chutbertus Episcopus, inquiens: Ego sum Chutbertus, misit me Dominus, vt tibi prospera nunciem. Anglia iamdudum peccatorum suorum pœnas luit, modo tandem indigenarum sanctorum meritis à Domino respecta est, tu miserabiliter Regno extorris, post paucum tempus in solio gloriose reponêris: Et hoc tibi signum, venient hodie piscatores tui, magnam multitudinem piscium corbibus euehentes. Quod mirum est, cum gelante aqua fluminis, nil tale speretur: sed & tempus frigidum omnem artem piscantium eludat. Tunc fortunæ secundæ compos, memento liberatoris tui, & eius nuncij. Hoc idem visum per somnium matri suæ. Experrecti ambo, somnia sua referebant, & ecce piscatores adueniunt, cum magna piscium copia. Vincentius lib. 24.*

cap. 40. ex Helinando. & VVilhelmus lib. 2. cap. 14. de gestis Anglorum.

CVM Hungus Pictorum Rex Christianus Sco*tis auxilium contra Athelstanum Anglorum Regem esset pugnaturus, per noctem Hungi exercitus Athelstaniq́; crucem in cælo vidêre beati Andreæ lucidam, instar X. Græcæ literæ, quæ quidem his formidinem, illis timorem addebat. Sed Hungus per somnium monitus non defuturam crucem ante victoriam, monuit milites, hortatusq́; victor euasit. Cardan. lib. 15. de Rerum varietate, cap. 81.*

EDGARVS Scotorum Rex aduersus Donal*dum Regem pugnaturus, per somnum monitus est, vt Chutberti vexillum secum ferret. Ergo vbi peractis sacris vexillum D. Chutberti sustulit è cœnobio, Donaldum sui deseruêre, atq; ita absq; seditione & sanguine illum cepit. Cardanus ibidem.*

VLADISLAO & Geysa fratribus contra Sa*lamonem Vngarorum Regem prælium commissuris, Angelus Geysæ capiti coronam auream imponere visus est ab Vladislao. Qui cum fratrem ea de re admonuisset, basilicam diuæ virgini vouit in loco victoriæ. Victis hostibus, cum de statuenda basilica deliberaret: Vbi Diui Petri sacellum est, ecce ceruus expansis cornibus insignis, quem ardentißimæ faces circumsederant, apparuit, syluam petijt, ibiq́; tantum vestigia fixit, vbi ædes deinde ædificata est. Quem cum milites sagittis peterent, in Danubium se proiecit, nec vsquam postea visus est. Ladislaus ostenti admiratione correptus, Nimirum, inquit, Dei Angelus erat iste. Sed quid faces in cornibus? ait Geysa. Mox Ladislaus, non cornua, sed alæ, frater, inquit, neq; illæ quas*

arden-

ardentes appellas, sunt faces, sed fulgentissima penna. At vbi fixit vestigia, nobis locum ostendit, vbi basilicam exædificaturi sumus. Quare ibi Diuo Petro ædiculam dicârunt, mox delubrum magnæ Matri statuerunt. Bonfinius lib. 3. & 4. Decad. 2.

THEODOSIO, cum in Alpibus esset constitutus, *cum Eugenio signa collaturus, in somnis apparuisse scribit Paulus Diaconus & Nicephorus, duos viros vestibus candidis exornatos, & equis albis insidentes, & iussisse, vt die illucescente pugnam iniret, se enim ad id destinatos esse, vt victoriam ad eius partes inclinarent, & hostes cæderent, & quidem nomina sua indicâsse, quòd alter esset Iohannes Euangelista, alter verò Philippus Apostolus. Idem etiam quendam militem eadem nocte somniâsse, refert Theodoretus lib. 5. cap. 24.*

MISSVS ab Honorio Imperatore, Maselcerus, *aduersus Gildonem fratrem Imperium affectantem, ad recuperandam Africam, somniauit, Episcopum Mediolanensem Ambrosium videre, qui iam diu mortuus erat, pede pastoreo ter humum percutere, terq; dicere, Hic, atq; hoc in loco. Itaq; postera die, in eo ipso loco, paruo labore Gildonem superauit. Fulgosus.*

RECEPTA à Latinis principibus Antiochia, *Andreas Apostolus sacerdoti Petro Pontio, simplici viro, apparuit, lanceamq; qua Saluatoris Christi traiectum fuit latus, quæ terra obruta erat, in templo D. Petro dedicato, reuelauit. Cuius inuentione ciuitas, quæ à Turcis obsessa, fame premebatur, bona spe repleta, in prælium egressa, Corbanam superauit, qui Belfech Turcæ Persarum Re-*

gis auspicio vrbem obsidebat, à Niceno Episcopo in prælium inter armatorum turmas eam gestante. Aemilius.

Cvm diu ancipiti Marte inter Romanos (qui *Iohanni Zimisca, Constantinopoleos Imperatori auxilio venerant) & Rossos pugnaretur, diuinitus Romani adiuti feruntur: procella enim Barbarorum facies ferijt, præterea à multis eximius visus est eques, qui Romanos tueretur, hostiumq́; phalanges turbaret. Theodorum autem fuisse, ex eo constat. Muliercula enim quædam Byzantia, religiosa, pridie illius pugnæ, in somnis sanctam Deiparam procedere cum magno comitatu vidit, quæ dixerit: Domine Theodore, meus & tuus Iohannes grauia certamina sustinet, properè igitur illi opem ferto. Id somnium illa quibusdam aperuit, qui die notato, compererunt id pridie postremæ pugnæ contigisse. vt Zonaras Tomo 3. indicat.*

Arivlphvs Dux Spoletanus, cum ante *mortem aduersus Romanos apud Camertes bellum gereret, victoriam adeptus, mox suos milites percunctatus est, quisnam ille fuerit, qui se tam strenuè in prælio gesserit? Respondentibus illis, Fuisse principem. Præpollentiorem fuisse, inquit, ipse vidi: quippè qui semper me proprio, adurgente hoste, clypeo protexit. Deinde Spoleto appropinquans, spectata Diui Sabini basilica, vbi corpus eius reconditum est, interrogauit, cuiúsnam illa foret ædes? Quum responderent, Sabini esse templum, quem inuocantibus militibus præstò semper adesse aiunt: equo repentè desilijt. Aedem ingressus, visa Sabini imagine, hunc mox eum virum, qui inter confertos hostes pugnantem se protexerat, adiecto iuramento, fuisse affirmauit. Ex*

quo mox creditum est, Diuum Sabinum, pientißimum militum patronum, Ariulpho adhuc Christianæ religionis experti deesse noluisse. Bonfinius lib. 8. Decad. 1.

MAGNVS SFORTIA, filio suo ex Catella *Alopa, Pandulphi Alopi sorore nati Leonhardi nomen in eius Diui honorem indidit: quoniam per quietem, D. Leonhardum ea specie, qua depingi in templis solet, sibi opem ferentem vidisset, cum & clatros ferreos fenestræ carceris disrumpere, & compedes soluere præsenti numine videretur. Impleuit autem somnij fidem, & numinis oraculum rei euentus. Nam eodem die lætam somnio noctem secuto, & Rex Iacobus Gallus, per seditionem Regno Neapolitano expulsus, imperium cum libertate amisit, & Sfortia adaperto carcere, ingenti omnium lætitia iterum Magister equitum est renunciatus. Iouius in vita eius.*

QVVM florente fortuna Ferdinandi primi Re*gis Aragonij, vrbs Neapolitana & Regnum, nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, satis constat Cataldum sanctum virum, qui ab hinc annis mille Pontifex vrbi Tarentinæ præfuit, quemq; patronum Tarentini ciues venerantur & colunt, nocte intempesta ministro sacrorum cuipiam tunc sacris initiato, & in casta religione educato, semel atq; iterum in somnis apparuisse, ac monuisse, vt libellum à se conscriptum, quem in remoto loco viuens abdiderat, in quo diuina arcana scripta erant, effodere, & protinus ad Regem deferri curaret. Qui cum parum fidei somnio dedisset, eadem sibi per quietem sæpius obuersata specie, quum primo diluculo solus moraretur in templo, ipsum Cataldum, qualis erat olim, dum in vita ageret, pontificia veste & infula amictum, eidem ministro*

planè vigilanti apparuisse, & prædixisse, vt postera luce quum primum posset, libellum à se conscriptum in abdito loco, quem in somnis prædixerat, conditum effodere, & Regi deferre ne cunctaretur, pœnam, nisi fieret, grauiter comminatus. Postera luce solenni pompa ministrum cum populi comitatu ad latebram, in qua longissimo æuo libellus latuerat, processisse, eumq́ plumbeis tabellis obsignatum, & clauis obseratum inuenisse, satis constat. In eo certum est, futurum Regni excidium, miserias, calamitates, & luctuosa tempora, atq́ instantia mala, quæ postea secuta sunt, Regi prædixisse. Id quod experimento docti, magna mercede persolutum vidimus. Siquidem tanta vis diuinæ prædictionis fuit, vt haud multò pòst ipsum Ferdinandum seu Deûm ira, seu fato insuperabili, quod vitari non potuit, in primo belli apparatu, è vita constat excessisse: Carolumq́ VIII. Gallorum Regem, ingenti coacta manu, innumeris copijs Neapolitanum omne regnum inuasisse: Alfonsumq́ Ferdinandi primogenitum, post patris obitum vix Regno assumptum, regno orbatum, turpi fuga velut in exilio diem suum obijsse. Mox ipsius filium Ferdinandum Iuniorem, summæ spei adolescentem, miri erga omnes studij & fauoris, cui rursus Regnum debebatur, misero & fatali bello implicitum, in ipso ætatis flore immatura morte præuentum, occubuisse. Postea Gallos & Hispanos communicato imperio, & æquato Regni iure, fugato Frederico altero, prioris Ferdinandi filio, qui mox Regno successerat, admotis hostiliter legionibus, & ampliore exercitu, denuo Regnum inuasisse, sacra profanaq́ occupasse, bonorum direptiones fecisse, vrbes, villas, vicosq́ omni bellica clade peruastatos, multa fœ

da & indigna passos. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 15.

IACOBVM ZEBEDÆI tribus noctibus in *forma splendidissima apparuisse Carolo Magno, eumque hortatum esse, vt suam Hispaniam, in qua requiescat, de manibus Saracenorum liberaret, ac promisisse ei pro eo beneficio coronam æternam, Henricus Erphordiensis ex Turpino Remensi Episcopo refert, cap. 68.*

FLORIACENSIS cœnobij Monachi, de *Normannorum in Galliam expeditione certiores facti, S. Benedicti corpus Aureliam deferunt, vbi tutius ipsi contra hostes erat receptaculum. Normanni autem aduenientes, Floriacense Monasterium deuastârunt, igneque subiecto concremârunt. Nocte insequenti D. Benedictus comiti Sigilloso, cui monasterij illius cura & defensio erat commissa, in somnis apparuit, eumque grauiter, quòd nimirum sua ope defuisset cœnobio contra Normannorum incursiones, obiurgat. Comes somno excusso, statim arma capit paruaque manu coacta, hostem præda onustum, concitato secutus est cursu, ac impetu in eos facto, D. Benedicti ope, ad internecionem vsque omnes cecidit, sicque præda & captiui suis sunt redditi locis. Robertus Gaguinus lib. 5.*

CHILDEBERTO monarchiam Regni Franco*rum tenente, Archangelus Michaël apparens Auberto Abrincatensi Episcopo, monuit semel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam sui Tumba vocatur, fundaret Ecclesiam in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur sibi in monte Gargano. Interim taurus à Leone furtim raptus, in illo loco religatur. Vnde Episcopus tertiò admonitus, vt in illo loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inue-*

niret,

niret, & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sic Ecclesiæ ambitum duceret: Ecclesiam in honore S. Michaëlis constituit, & ex illo tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modò dicitur, In periculo maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit. Sigebertus, anno Domini septingentesimo nonagesimo nono.

AGNES Leopoldi Austriæ Marchionis coniunx, *marito suadebat, vt locum aliquem designaret, in quo laudes Christi dicerentur, & Diuæ eius genetrici Mariæ, pro Monasterio condendo. Ex arce in monte Cecio sita Danubium prospectabant, leni Zephyro flammeum è capite Agnetis abreptum in proximum nemus defertur. Quod vbi post nouem annos ibi Leopoldus inter venandum reperisset illæsum, eò loci monasterium extruxit. Cuspinianus in Austria.*

CONRADO II. Cæsare bellis diuersis distento, *Longobardi facta conspiratione iurârunt, se nullo domino nisi ad nutum suum omnia gerenti obtemperaturos. Ad hos comprimendos Cæsar Mediolanum, cuius Episcopus primas ferè tenebat, obsidet: Verùm cum inter celebrationem Missæ fulgura & tonitrua stupenda fuissent exorta, & Bruno Herbipolensis Episcopus ac alij Ambrosium atrocia Cæsari minitantem, in ea aëris intemperie sibi apparuisse dicerent, combustis suburbijs, Imperator recessit, anno Domini 1037. iuxta contractum. Annum 1039. Sigebertus habet.*

COLOMANNVS Vngarorum Rex Iaderam *Dalmatiæ vrbem propter frequentes defectiones incendio perdere statuerat. In somnis ei D. Nicolaus Iadrensium olim Episcopus apparuit, eumq́; ob conceptum animo faci-*

nus, crinibus correptum aureo flagello miſerrimè cecidit, ita vt expergiſcens vibices in corpore videret & ſentiret. Proinde Iaderam, licet nouarum rerum cupidam, ſuis moribus viuere permiſit. Bonſinius lib. 5. Decad. 2.

D. Bernhardvs Spiram venerat, & in *ſtatua Diuæ Virgini conſecrata legebat hæc inſcripta, O clemens, ô dulcis, ô pia mater Maria. Tum vocem è ſtatua editam ferunt, Salue Bernharde. At ille præſtigias Dæmonis ſuſpicans, Mulierem in Eccleſia loqui Paulus vetat, reſpondit. Hanc ſtatuam adhuc hodie poſt valuas templi Spiræ extare aiunt.*

Medericvs Abbas apud Edunum ſanctitate *clarus, cum Monachum libidinoſis cogitationibus æſtuantem tunica ſua induiſſet, eiuſmodi moleſtia liberauit: diſcedentisq́ ab illo immundi Spiritus vlulatus auditus eſt, & ipſe in caſtitatis propoſito absq́ laſciuiæ prurigine purè integreq́ permanſit. Alius frater Mederici reliquijs de menſa collectis atq́ hauſtis, vagæ mentis inquietudinem repreßit, cum antehac tali Dæmonis illuſione ſollicitatus, perſiſtere in Eccleſia omnino non poſſet, ſed ſemper, priuſquam ſolennis precatio peracta foret, egrederetur. Marulus libro 5. capite 7.*

Genovepha cum in ſabbato ſub gallicinio ad *Diui Dionyſij baſilicam egrederetur, ecce funale prælatum extinguitur: turbantur virgines, comitesq́ eius, ne quid per noctem turpitudinis horrorisúe paterentur. At illa funale ſibi dari iubet. Quod vbi in ſacra manu conſtitit, protinus incendium eluxit, admotumq́ languentibus, plerosq́ curauit. Bonſinius lib. 5. Decad. 1.*

Leo IIII. Papa incendium ſigno crucis extin-

xit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum vagatum, Diui Petri basilicæ appropinquabat, octaua die ab assumptione beatæ Dei genitricis, qui dies postea vt festus celebratus est, non longè à basilica Laurentij sancti Martyris extra mœnia. Platina.

TEMPORIBVS Calixti Papæ Capuana vrbs conflagrauit incendio, *cumq; ferè consumpta vrbe, Monasterio ignis iamiam imminere videretur, Monachi sumpto corporali calicis, incendio illud obiecerunt. Mirum in morum coërcitus ignis, vltra progredi ausus non est. Ciuibus quoq; visum est, ignem manu quadam à Monasterio propelli. Corporale illud ab ignis iniuria prorsus mansit illæsum. Chron. Cassinense.*

CVM Martini reliquiæ essent Antisiodorum translatæ, *ob Normannorum metum, Monachi disceptârunt inter sese, vtrum illa Ecclesia de Martino, an de Liborio, qui prius isthic cultus fuerat, esset denominanda. Leprosus in medium collocatur, & fiunt preces, vt Sancti suas exerceant virtutes. D. Martini igitur arca vox inquit, Iam te ex vna corporis parte mundo, reliquum fratri meo Liborio relinquo, semper enim sunt hospites honorandi. Conuersus ille ad Liborium, etiam ex altera parte curatus est. Platina in vita Stephani.*

CIRCA annum Christi 1016. Monachi qui*dam Hierosolyma reuersi, particulam lintei, quo Dominus Apostolorum pedes ante vltimam Cœnam detersit, attulerunt Cassinum. Cuius rei fides, cum plurimis esset suspecta, superstitiosi eam ardentibus imposuerunt carbonibus, quorum statim colorem induit linteum: sed ab ijs remotum,*

priorem formam recepit. Chronicon Caſſinenſe libro 2. cap. 34.

CVM in conuiuio quodam Bononiæ, mira arte *gallus aſſatus diſſectus fuiſſet, vnus conuiuarum dixit, D. Petro hunc gallum in integrum reſtituere impoſſibile eſſe. Ad hanc vocem ſtatim gallus ille proſilijt, & alijs colliſis iuſculum in diſcumbentium ora diffundit. Blaſphemus lepra ſtatim hæreditaria punitus eſt. Vincentius libro 25. capite 64.*

ALEXANDRIAE Epiſcopus admodum reli-*gioſus, vicinum habebat quendam Philoſophum, Euagrium nomine, Græcæ ſuperſtitioni addictum, qui in ſchola ſodalis Epiſcopo fuerat. Hunc Epiſcopus à væſano falſorum Numinum cultu, ad fidem Chriſtianam traducere cupiens, identidem prouocabat, cumq́; eo diſputabat. Sed Philoſophus magis magisq́; veræ religioni infenſus, fertur Epiſcopum in hæc verba allocutus: Profectò Epiſcope, præter alia & hoc mihi improbatur, quod mundi finem fore vos Chriſtiani dicitis, corpora reſurrectura de mortuis, & pro acta vita cuiq; mercedem redditum iri: tum qui pauperi miſericordia motus largiatur, eum ſua apud Deum in fauore ponere, recepturumq́; centuplum cum vita æterna. Epiſcopo nihil vanitatis aut ludibrij ineſſe Chriſtianæ doctrinæ ſummopere affirmante, ita diſceſſit Euagrius, vt qui animi valdè dubius eſſet. Aliquanto pòſt tempore, Deo Epiſcopi doctrinam adiuuante, credidit & baptizatus eſt: vtq́; erat prædiues, attulit ad Epiſcopum CCC. auri libras, quas ille pauperibus diſtribueret, data ſibi cautione manu propria ſcripta, Deum iſta redditurum. Epiſcopus pecuniam accepit, eamq́;, data ſynagrapha, inter egenos diui-*

ſit.

sit. Philosophus autem aliquot adhuc annos cum piè vixisset, moriturus suis liberis praecepit, vt sibi in manum insererent syngrapham istam, atque sic sepelirent. His ita factis, tertio pòst die, Episcopo in somnis visus est Euagrius ita alloquens: Accede ad sepulchrum meum Episcope, & recipe syngrapham tuam, redditum enim est mihi debiti centuplum, neque habeo quod à te exigam, sed & quo plenius tibi caueretur, manu mea subscripsi. Diluculo Episcopus Philosophi filios ad se vocauit, cumque ex ijs resciuisset Chirographum cum Euagrio fuisse sepultum, cum clero vrbis ad sepulchrum accessit. Quo aperto inuenerunt Philosophum sedentem, manumque cum charta protendentem. Quam cum vellent Clerici eximere, nemini eorum concessit: Episcopo autem manum explicante, eam statim dimisit, ac recubuit. Episcopus charta in conspectu omnium aperta, inuenit recens manu Philosophi subscriptum ita: Euagrius Philosophus sanctißimo Episcopo Domino meo Synesio S. Scias pater, me centuplum debiti recepisse, neque eo nomine habere, quod abs te exigam. Hoc audito, iußit Episcopus, Philosophi manu scriptam schedam in armario asseruari. Cedrenus.

CONSTANTINOPOLI in Monasterio sanctæ Dei genitricis, iuxta palatium, prope sanctam Sophiam, erat imago B. Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella sanctus Lucas, cum adhuc viueret Maria. Hæc imago vocatur Odigitria, id est deductrix, quia duobus cæcis apparuit Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, eosque illuminauit. Cum ista imagine faciebant Constantinopolitani à Saracenis obseßi, proceßionem omni die Martis per totam ciuitatem, ieiunantes & orantes, si-

mul & pugnantes. Quidam ciuis admonuit afferri deberi illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modò de inimicis filij tui, & si vis, vt imaginem tuam non mergamus in mari, merge illos. Cum hæc dixissent, ille secretè imaginem tenuit sub vndas, & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit. Vincentius lib. 23. cap. 147.

Ex Procopio hanc narrationem texit Euagrius: *Edessæ vrbis ciues in summa rerum desperatione, cum iam iam vrbs capienda esset per Cosroën Persam, imaginem Christi, quam fecerat, ad Abagarum miserat, ad fossam adduxisse, & immersam aqua contra rogum & ligna obiecisse. Quo facto, dicto citius struem lignorum in cinerem redactam, & aggerem, quem Cosroës extruxerat, vt pedestri impressione vrbem inuaderet, combustum.*

Popvlvs herbulas sparserat super tumulum Nicecij *Lugdunensis Episcopi. Aigulphus Diaconus Roma veniens, de hisce herbis sacerdote porrigente, secum asportauit, ac febricitantibus cum haustu aquæ frigidæ exhibuit, ac sanitati euestigiò restituit. Gregorius Turonensis.*

Idem Turonensis cap. 84. de gloria Confessorum, *reuelationem mirabilem Valerij Episcopi Consoranensis texit. Dicit Theodorum Episcopum reperisse duo sepulchra, hæsitantem tamen vtrum esset Valerij. Cum clero itaq; tota nocte vigilias celebrans, petebat à Valerio supplex, vt sibi locum, in quo requiesceret, patefacere ac monstrare dignaretur. Duas igitur ampullas vino plenas super sepulchris collocans, dicebat: In qua ampulla vinum fue-*

rit auctum, manifestum signum erit, hoc sepulchrum esse Valerij. Sequenti die reperit vnam ex ampullis, quæ erant impositæ tumulo Valerij, exundare vino.

CVM esset Ebroino Magistro equitum apud Gal-*los nunciatum, quòd ad tumulum D. Leodegarij fierent miracula, misit eo militem exploratum. Is autem calcans locum pedibus, inquit, Martius ita miracula facit, sicut meus podex cantat. Factum autem est, vt quoties illa deinceps per totam suam vitam verbum ederet, toties etiam crepitum ex ano cum fœtore emitteret. Martinus in Chronico, feria sexta id maximè fieri solitum ait, qua maritus eius Martyr effectus erat. Et Pipinum Regem, accersita muliere in maiorem martyris, verum id esse deprehendisse. Vincentius lib 23. cap. 159. Et Erphordiensis cap. 67. referunt.*

VLADISLAVS I. Polonorum Rex Iuditham *Vratislai Bohemorum Regis filiam vxorem duxerat, Quæ cum diu sterilis fuisset, admonita à Lamperto Episcopo Cracouiense, mittit Oratores in Narbonensem Prouinciam, ad Monasterium Diui Aegidij, vbi corpus sancti illius viri mortui conditum erat, cum amplissimis donarijs. Indicitur Monachis tridui ieiunium, oratur Deus, vt intuitu gratiosi serui sui Aegidij, masculam prolem concedat pijs principibus. Triduo illo reuelatur per visum seni cuidam & pio Monacho, impetratum esse, quod tanto studio petitum esset. Dimittuntur cum spe certa Oratores. Reuersi reperiunt Iuditham grauidam, quæ postea maturo partu puerum edidit, cui Boleslao nomen inditum est. Iuditha post quartum mensem à partu extremum clausit diem, fœmina pietati imprimis & beneficentiæ dedita:*

quæ & ipsa facultates suas, mundumq́ muliebrem penè omnem in vsus pauperum, & ad cultum templorum viua elargita est. Cromerus lib. 5.

CVM Vedasti Atrebatensis Episcopi corpus de *loco, vbi olim positum fuerat, transferretur, Audomarus cæcus à Deo petijt, vt videret Sancti ossa, & illicò visum recepit. Mox cum rursum orâsset, vt si ea res animæ suæ saluti minus conduceret, rediret infirmitas, iteratò oculis captus fuit. Marul. lib. 5. cap. 4.*

METHODIVS Patriarcha Constantinopolita*nus, ob cultum Imaginum ab aduersarijs summo habebatur odio. Corruperunt hi publicum scortum multa pecunia, effeceruntq́ vt hunc stupri accusaret coram totius Senatus primoribus: quæ omnia Methodius æquo animo tulit, donec eò impulerunt virum sanctum, vt coram Manuele magistro, multisq́ primoribus Senatus, nulla alia purgatione vteretur, sed paucis verbis præfatus, limbo vestis subducto, membrum virile tabidum & eneruatum ostenderet: vnde facile obuium cuiq́ fuit, ipsum ad res Venereas inhabilem, & membrum haud esse idoneum. Quod Orthodoxis læticiam, calumniatoribus verò & Sycophantis mœsticiam peperit. Cumq́ vir sanctus rogaretur, vnde tabes membri, an ex ægritudine prouenisset? non sine pudore respondit: Olim cum vitam Romæ ageret, à Dæmone crebrius esse carnis igne correptum, & cum passio hæc increuisset, & amoris incendium quotidie exardesceret, timens ne vitæ continentiam amitteret, sanctos Apostolos Petrum & Paulum summis precibus rogâsse, vt periclitanti opem ferrent. Et cum incessanter sic orarem, nocte, inquit, quadam mihi dormienti astare duo viri visi*

sunt,

sunt, quorum unus pudenda digitis tangens, Bono esto animo, dixit, mox hic ignis extinguetur, qui mihi visus est adurere pudenda, ut præ dolore expergiscerer. A somno excitatus, virile membrum tabidum reperi & emortuum, nec ab eo tempore ullam mihi molestiam intulit. Cuspinian.

AGATHA virgo & martyr, cum illi post multos *cruciatus mammillam à pectore auulsisset Tyrannus, quoniam fidem non poterat, & Petrus Apostolus eum curaturus in carcere apparuisset, chirurgum aliquem ad se venisse rata, detrectabat medicinam, dicens, nunquam se pharmaca corpori admisisse, sed illius Medici opera semper usam, qui solo verbo omnem infirmitatem curaret, hunc autem esse Dominum Iesum. Tunc Petrus Apostolum se eius esse, & ab eodem ad illam missum indicans, euanuit, ipsa sana relicta. Marulus lib. 5. cap. 4.*

REGNANTE Philippo Deodaro, circa annum *Sal. 1182. cum internecinum bellum inter Rothomagensem Regem, ac sancti Egidij comites esset, neq; ei ullius opera finis imponi posset, pauper quidam vir Durandus nomine, ex Podio pusillo loco ortus, arte faber lignarius, dum in sylua opus faceret, Deiparæ apparitione sigillum accepit, in parua membrana pictam virginis imaginem cum filio: in cuius margine Latinè inscriptum erat, Agnus Dei, dona nobis pacem, eam sibi datam dicebat, & iniunctum, ut bellantes inter se populos pacem inire Dei verbis iuberet. Eius orationi fides habita est, atq; inita pace, imagini illi similes permultæ factæ fuerunt, quæ gestantes eas in pileis, non incolumes solùm inter arma præstarent, verum ut viatico quoq; in itinere iuuarentur, efficerent. Fulgosus libro 1. cap. 1. & continuator Sigeberti.*

DAGO-

DAGOBERTVS CLOTHARII II. Francorum *Regis filius, admodum adolescens, Sadregisillum clarissimum virum, à patre designatum Aquitaniæ Præfectum, detracta veste loris cecîdit, & vt quam reuenter filium Regis oporteret, se ab eo obseruari existimaret, offensus inprimis, quòd ille conuiuio frequenti contra se accumbendi locum legisset, poculoq; ex eius manu, oblitus per vinum maiestatis, id quod tantum inter pares fieri asseleret, vltro sumpto, bibisset. Ille deformatum os, laceratumq; recentibus verberum vestigijs tergum Regi ostendit. Qua fœditate percitus comprehendi filium iussit, apparebatq; non leui defuncturum pœna. Adolescens iram patris deuitabat, alijs atq; alijs deinceps latebris se tegebat. Tandem vnico filio, qui formidine, fuga, pœnitentiaq; satis pœnarum dederat, reconciliatus est Rex: traditumq; frequenti fama, missos à Rege ad Catuliacum Parisiorum vicum, qui filium ex spelunca vbi latitaret, retraherent, suborto horrore, omnibusq; membris captos ingredi non potuisse. Patrem ratum eos gratificantes filio regnaturo, volentes, non inuitos arceri ab ingressu, cum illuc se contulisset, eodem repente fauore correptum, non antè quàm venia filio data ingressum: eo loco corpora Martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij conditorio alta terra obruto, ad eum diem ignota iacuisse: à Martyribus per quietem admonitum Dagobertum ædem illi vouisse, quam rerum potens excitatam magnificentissimè excoluit. Aemilius lib. I.*

FERVNT mulierem quandam peccata sua in *volumine descripta Basilio Magno porrexisse, supplicantem, vti pro eorum remissione Deum deprecaretur. Ora-*

uit ille, & omnia deleta apparuere, præter vnum cæteris grauius. Cuius causa dum ad Efrem Eremitam missa mulier nihil profecisset, inde rediens Basilium diem suum obijsse comperit, fleuitq; vbertim. Mox chartam illam super iacentis pectus deponens, cùm tandem sustulisset, id quoq; in ea, quod residuum erat, abolitum deprehendit. Marulus lib. 4. cap. 11.

VINTONIENSIS in Anglia anno 975. Elferus *Marciorum Princeps sacerdotes coniugatos contra Monachos cœlibes defendebat. Monachi causa inferiores & scripturarum authoritate, Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis opera incassum vtebantur. Tandem Christi crucifixi imago è pariete suspensa, vocem protulit, Non bene sentiunt, qui fauent presbyteris. Miraculo attonitis plerisq;, alij magicum commentum esse, vtpote verbo diuino contrarium dictitabant. Euocatus è Scotia Ethelredus Episcopus coniugia Sacerdotum acerrimè tuetur. Interea cœnaculum corruit, presbyteri plariq; occisi, plurimi læsi, Monachis incolumibus Dunstanus in trabe stans seruatus est. Sicq; presbyteri Monachorum præstigijs causa cecidêre, & Dunstanus cæde plurimorum victoriam obtinuit. Mamelburiensis lib. 2. Ranulphus lib. 6. cap. 11. Polydorus lib. 6.*

CLODOVEVS Francorum Rex ad Christi fidem *conuersus, consentientibus Proceribus, bellum Vestgothis intulit, non solum quia terras Francorum occupauerant, sed quia Arianæ perfidiæ assertores erant. Cum igitur in eo prælio nimis vrgeretur Clodoueus, S. Martino equum, cui insidebat, vouit, si victor euaderet. Voti compos promissum equum offerre non distulit. Sed dum eum precio*

centum

centum aureorum redimere voluisset, nec equus loco moueretur, ducentos impendit, & confestim ducentem secutus est. Tum Rex iocosè, Martinus, quantum video, inquit, in ope ferenda facilis, sed in redimendo difficilis est. Iohannes Magnus lib. 16. cap. 2.

CVM Luitprandus Rex Longobardorum reli-*quias S. Augustini ex Sardinia, à Saracenis vastata, Papiam transferre studeret, & in itinere ad villam quandam in Therdonensi diœcesi currus substitisset, neq; vlla vi aut arte loco moueri posset, Rex votum vouit: Quòd si Augustinus sibi obtemperet, & sua ossa Ticinum sineret vehi, se villam istam Sacerdotibus & cultoribus eius donaturum. His exoratus Sanctus, effecit vt leui & facili opera currus progrederetur. Vincentius lib. 23. cap. 148. Sigebertus translationis illius meminit anno Domini 721.*

ADELBERTVS Bohemiæ Episcopus, ab infantia *grauissima febre correptus, ad Diua Mariæ virginis ædem perlatus, à parentibus nuncupato religionis voto, si morbo euaderet, repentè conualuit. Bonfinius lib. 1. Decade 2.*

GENNADIVS Patriarcha Constantinopolita-*nus, Clericum quendam fani S. Eleutherij malè viuentem cum sæpè obiurgâsset, neq; tamen inflectere posset, rem ad sanctum Eleutherium detulit, eum in suo templo cuiusdam ministri eius opera sic alloquens: Diue Martyr Eleutheri, aut corrige clericum tuum, aut excinde. Illico Clericus expirauit. Cedrenus.*

GREGORIVS Turonensis de gloria confesso-*rum, cap. 97. scribit: Cum Hospitius sepeliretur, Vir quidam de sepulchro ipsius puluerem sumpsit linteo inuolutum, secum asportans, ac ad Lirinense Monasterium per-*

gens. Naui autem vectus, cum appropinquaret Monasterio prædicto, nauis velut rupes immota in medio mari consistit. Mirantibus verò & stupentibus Iudæis, quorum erat nauis, vir ille patefecit, sese habere reliquias hospitij secum: ideoq́ nunc demum reipsa experiri, nauem ab ijsdem reliquijs teneri, nec loco moueri posse, nisi vela dirigant ad Lirinense Monasterium, vbi sanctas reliquias sit depositurus.

CVM ad Fuldense Monasterium Bonifacij Moguntini *Episcopi ab Ethnicis occisi, cadauer esset perlatum ex Frisia, omnes campanas, sine vllius hominis agitatione aut impulsu, solito clarius sonuisse, scribit VVernerus in fasciculo temporum, & Mutius lib. 7. de Germania.*

VNDECIM millium virginum ab Hunnis Cæsarum *corpora Coloniæ in commune sacellum relata. Vnde cum Sacerdos quidam corpus vnius virginis impetrasset, quod in ædem suam religionis causa subinde transferret, dum matutina sacra fierent, illa resumpto corpore, spectante vniuerso collegio Sacerdotum, magnam aram præuenerata recessit. Antistes mox tumulum adiens, reconditam virginem non inuenit. Ad harum aras innumera vota nuncupantur, miraq́ tabellæ valuis affixæ sunt. Quemadmodum Germanum harum religioni addictum, quum morbo admodum laboraret, ex his vna dormientem adit, edocetq́, si vndecies mille Dominicam orationem dixerit, totidem virginum ope ac patrocinio in hora mortis non cariturum. Bonfinius lib. 5. Decad. 1.*

HVNNORVM temporibus, dum S. Seruatio Traiectensi *Episcopo sacra fierent, patefacta desuper æde, columna ignis altissima è cœlo, ad tumulum vsq., à prima*

vigilia noctis ad auroram vsque pependit: quod non oppidani solum, sed finitimi quoque, ac alienigenæ plurimi viderunt. Quare hunc potissimum colere, & inter Diuos referre cœperunt. Sepulchrum eius in media æde situm, nunquam tecto cooperire valuerunt. Et quamuis ibi sub dio rem diuinam faciunt, votaque suscipiunt, nunquam tamen sacris neque imber & grando, neque nix & tempestas vlla obfuit. Bonfinius libro & capite eodem.

FRANCORVM Rex Dagobertus ædem D. *Dionysij à fundamentis erexit, ex alijs vndequaque corradens, easque spolians, quò hanc vnam ditaret: nec quisquam ante eum inuenitur, qui patrimonij reditus annuos templis tam magnificè profuseque donârit. Templum Dionysij solito argento texit, ac corpora Sanctorum eò collocari fecit, condita pheretro aureo, & additis multis preciosis muneribus, eò quòd illud templum aliquando ipsi contra patris iram asylum fuerat, cum Satellites, qui eum inde extrahere iussu patris voluerant, ante Sacellum fixis pedibus stupentes constitissent, nec potuissent intrare. Mira autem fuit eius templi dedicatio. Pontificibus enim, qui ad dedicationem conuenerant, leprosus quidam, qui in eo templo nocte illa excubuerat, narrauit, Christum à se visum, aliosque Sanctos templum dedicantes: iubente Christo, vt quod viderat, pontificibus ad dedicationem profectis referret, eiusque rei, ne fortè fides desideraretur, signum ostenderet illud, quod esset à lepra mundatus, cutisque ex facie, quæ tuberculis eius morbi vlcerosa esset, tota esset sublata. Igitur non fides tantum est habita, sed etiam à dedicatione Pontifices abstinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoque detracta ex leprosi vultu cu-*

tis, aurea pyxide condita ostenditur, & dies quotannis inter solennes celebratur. Fulgosius lib. 1.

GENOVEPHA virgo Parisiensis, Catulacen*sem vicum, vbi diuus Dionysius morte multatus est, reuerenter frequentauit, cui basilicam quoq; vouit. Sacerdotum collegia supplex adijt, vt ex collecta pecunia ædem illi facerent. At illi modò paupertatem, modò calcis inopiam causari. Contrà illa diuinitùs effata, Egredimini, inquit, quæso, ad pontem vrbis, & quæcunq; audieritis, nunciate mihi. Egressi, dum inferò stant attenti, si quid acciperent, ecce subulci duo aduentantes inter se verba faciunt. Alter, Dum suis, ait, vestigium vagantis opertus legerem, maximam fornacem calcis inueni. Ego quoq; itidem in sylua, inquit alter. Hæc quæ audierunt stupidi Sacerdotes, virgini referunt. Ast illa præ gaudio in lachrymas effunditur. Quæ vbi ciuibus significata sunt, magnifica è collata pecunia ædes erecta, Dionysioq; dicata. Ne sacra quidem prodigia in ædificanda basilica defuêre. Nam cum potus fabris lignarijs forte deficeret, cadum accepit, quem vbi exorato Numine, signo crucis expiauit, mox operarijs plenum propinauit, pari exuberantia semper redintegratus diuinitus, eorum sitim ad consummatum vsq; opus expleuit. Bonfinius lib. 5. Decadis 1.*

PRIMI Venetæ vrbis conditores (quos Pata*uinos fuisse aiunt) cum casas quasdam extruxissent, nec adhuc templum alicui Numini dicâssent, repentè ignis ex Architecti domo noctu erumpens, continuato incendio quatuor & viginti domos absumpsit, vento & materia passim disiecta flammas alentibus. Versa in preces multitudo, ædem D. Iacobo vouit. Ignis eodem momento de-*

ſedit, & ædes ex voto erecta. Egnatius libro 6. capit. 5.

CIRCA annum Salutis 1516. Balthaſar Hubmeyerus *Theologus apud Regenſpurgenſes, ſuis concionibus Magiſtratum ita inflammauit contra Iudæos, vt exciſa illorum Synogoga, in area ipſa templum D. Mariæ formoſæ ædificârint. Quæ cum neſcio quæ miracula edidiſſe diceretur, fama longè lateq́ per Germaniam ſparſa, tantus repente peregrinorum concurſus eſſe cœpit, vt nec templum nec cœnobium, vix etiam vrbs ipſa, ampla alioqui, veroq́ Regia, tantæ colluuiei ſufficeret. Auctus inde furor, vt qui formoſæ tantum Mariæ Ratiſponenſis vel obiter meminiſſet, velut enthuſiaſmo correptus, poſthabitis parentibus, coniugibus, liberis, rectà ad eam dies noctesq́ irrequieto curſu, obuijs in itinere nec ſalutatis nec agnitis, contenderet. Neq́ verò vel minis vel vinculis coërceri poterat. Inſtumenta artis (nam plebeios ferè & opifices hæc vaſania agebat) quæ mente motis ad manum fuiſſent, ſecum abrepta, ſtatuæ anathematis loco offerebant. Vidiſſes mulierculas trahentes pueros, ſenes ſcipionibus innitentes, pueros panis fruſtum vel pomum donarij loco obtendentes, ægros cum linteaminibus & ſtragulis adrepentes, cibi, potus, ſomniq́ interea immemores, mutos, ſurdos, & apertis cæcos oculis. Templum ingreſſi nõ omnes eodem afficiebantur modo: ſed qui ad ſummum gr̃atia, vti perſuadebant Sacrificuli, perueniſſent, vbi primùm formoſum ſimulacrum aſpexiſſent, nulla miſſa voce, ſideratis ſimiles concidebant: ad ſe reuerſi, vnà cum furore morbis ſe liberatos profitebantur. Fecit hæc perſuaſio, vt multi æmulatione quadam ſuperſtitionis, ſub templi ingreſſum humi ſeſe abijcerent. Inſolentiam hanc*

immodesti cultus cum Senatus edictio seuerè coërcuisset, seu vindicta Numinis, seu indignatione Dæmonis factum est, vt Euthusiasmus ille, qui per octennium & amplius Germanos credulos dementauerat, vnà cum miraculis elanguerit. Sunt qui putent Iudæorum fraude, alij eorum ad quos ex hac peregrinatione quæstus redundaret amplissimus, arte magica hanc ei loco conciliatam authoritatem, quam simulachri cultus, & semel delusis superstitione mentibus, auxerit & ampliârit. Vtut sit, plurimi cordati, vereq́ catholici, Signa hæc Magica & Diabolica potius, quàm Diuina esse indicârunt. Sebast. Francus in Chronicis.

LAMPERTVS Louaniensium Comes, phila*cterium de collo in pectus vsq; dependens, Sanctorum reliquijs plenum circumtulit, atq; hoc se patrocinio aduersus omnis generis pericula tutum fore credidit. Verùm in prælio aduersus Godefridum Ducem, fascinum illud de collo in campum procidit: moxq́ comes, ante inuictus, perimitur, anno 1015. Militum autem quidam, agnitum amuletum in Caligis abscondit. Sed res tumore coxæ & cruris eius prodita est. Itaq; fratri obtruncati comitis Etheloni traditur. Sigebertus in Chronico.*

EPISCOPVS Metensis, vice Popponis Tre*uirensis in Palæstinam profecti, perficiens ordinationem Clericorum, clauum Dominico simillimum altari imposuit, vtrumq; in sinum abdidit, quem tamen manantem sanguine restituit, terramq́ cum sanguine abrasam crystallo inclusit. Catalogus Treuerensis.*

CONSTANTINVS Imperator, clauos crucifixi *Christi ab Helena matre donatos, semper adorauit, vnum*

galeæ cono infixit, ex altero frenum equo suo confecit, quod etiam hodie Mediolani cernitur, fretus horum adiumento, omnia vitæ se euasurum pericula. Sed quid impium magis, quàm si ferro ascribas ea, quæ Dei sunt altissimi? Fulgosus lib. 1. cap. 2. de cultu diuino ex Ambrosio.

GREGORIVS II. Papa, tres spongias be*nedictas, quæ ad vsum mensæ eius apponi solebant, misit Eudoni Aquitaniæ Duci. Eas in frusta concisas distribuit exercitui, quem contra Saracenos educebat, ac euenit, vt nullus ex eis, qui participes facti fuerant, vulneratus aut interfectus sit. Eudoni epistola ad Gregorium in libro Pont.*

MONACHVS cœnobij Romani, qui à paren*tibus puer traditus fuerat abbati, vbi adoleuit, relicta religione vxorem duxit. Angina autem laborans, in Monasterium relatus, habitu ac pœnitentia suscepta, à S. Andrea & Gregorio, propter admissa crimina fœdè flagris casus est. Hinc lecto exiliens, scapulare & cilicium induit, & ædem S. Andreæ ingressus, dixit adstantibus: Ecce Sanctorum verberibus ita purificatus, è corpore egredior, quemadmodum olim de baptismate mundus exiui. Et inter Missarum murmura obijt. Vincentius lib. 25. cap. 57.*

COLONIENSIS quidam patre natus Iudæo, *sed conuerso, cum in Paschali festiuitate corpus Domini percepisset, integrum illud ore, nescio ad quos vsus, secum deferebat domum. At diuinitus ille territus, in cœmeterio ipsum terræ mandauit. Superuenit fortè Sacerdos, ac quid agatur explorans, fossa aperta, infantis formam reperit, quem cum ad Ecclesiam deportare festinaret, in tenues abijt auras. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.*

MVLIER quædam infamis, in solennitate Pascha, *apud Castrum, quod Mons aureus dicitur, cum ore Corpus Domini perciperet, integrum domi suæ arculæ inclusit. Eam cùm fortè aliquantò pòst quidam eius amatorum aperuisset, hostiam (vt vocant) Dominici corporis in carnis & sanguinis effigiem transmutatam inuenit, anno Domini 1181. Sigeberti continuator. Hisce præstigÿs Satan figmentum Papisticum de Transubstantiatione stabilire conatus est.*

ANNO Christi 1345. Cum consecrati quidam *homines hostiam cum ferculo suo è templo omnium Sanctorum memoriæ dicato suffurati essent, atque id ferculum non aureum, vt crediderant, sed æreum inauratum esse compperissent, apud Bubalum pagum suburbanum Cracouiæ in cænosam paludem id abiecerunt. Mox locus crebris ignibus atque faculis dies noctesque aliquot perpetes collustratus est. Id miraculum cum ad Episcopum perlatum esset, neque causa tamen eius pateret, post indictum triduanum ieiunium, eò cum solenni pompa profectus est: repertamque Eucharistiam eò, vnde sublata erat, retulit. In eo verò loco, vbi reperta est, Cazimirus II. Rex augustum templum, titulo Corporis Christi, de coctis lateribus ædificauit, successuque temporis peramplum spacium muro complexus, nouum oppidum condidit, & Cazimiriam de suo nomine appellauit. Cromerus lib. 12.*

BRVXELLIS anno Christi M. CCC. LXIX. *Ionathas Iudæus à Iohanne Parocho ad D. Catharinam aliquot hostias, vt vocant, consecratas redemit, & incursu inimicorum in horto occisus, eas vxori asseruandas reliquit, vxor Abrahamo filio: qui die Veneris sancto hostiam*

exemptam in cœtu Iudæorum cultello confodit atq; conscidit. Verum copioso profluente sanguine, mater Abrahami conuersa, miraculum euulgauit. Vencislaus Brabantiæ Dux, diligenti inquisitione facta, Abrahamum cum conscijs ante ædem D. Catharinæ viuum exuri curauit, & hostiam in templo Cathedrali D. Gudulæ religiosè deposuit. Ludouicus Guicciardinus in descriptione Germaniæ inferioris.

OLIM Canon Missæ palàm & alta voce decantabatur. *At Vigilius Papa statuit, vt non nisi in loco sacrato, in vestibus sacratis, & voce submissa. Contigit semel, vt Pastores in campo ridiculosè super lapidem pane posito, recitârint verba Canonis, quibus fit transubstantiatus: atq; ita repentè ante se viderunt carnem humanam cruentam, statimq; diuinitus percussi, interierunt. Hermannus Gygas.*

CVM ex crypta templi Paulini Treuerensis vbi *legionis Thebeæ, à Rictionario Maximiani quondam Imperatoris Præfecto interemptæ, corpora quiescere putantur, terra portaretur, os quoddam incautè à Sacerdote proiectum, sanguinem non modicum stillauit, & vsq; hodie cruentum permanet. Schaffnaburgensis Anno 1072.*

REGINO narrat Clodoueum Regem Francorum, *propterea quòd minus religiosè corpus Dionysij discooperuerit, & os brachij eius fregerit, & rapuerit, confestim stupefactum in amentiam incidisse, & post duos annos vitam cum Regno finijsse. Idem Adon Viennensis ætate 6. & Nauclerus generatione 23. Sigebertus circa annum Domini 660.*

REFERT Hector Boëthius, Guanoræ cuiusdam

beatæ mulieris in Scotia sepulchrum si qua mulier calcasset, perpetuò sterilem euasisse. Cardanus de Rerum varietate lib. 8. cap. 44.

MVLIER quædam quæ D. Genouephæ calciamenta *Lutetiæ subtraxerat, luminibus repentè caruit, petitaq́; venia, lucem recuperauit. Bonfinius libro 5. Decad. 1.*

AD tumulum Venceslai IIII. Bohemorum Regis *insignis latro cum accessisset, exprobrans mortuo vitam, lapidea statua supra sepulchrum posita colaphum incussit, & mox cæcitate perculsus, impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodum in Sacrario erecta est, & alia ænea loco eius reposita. Aeneas Syluius, cap. 28. Histor. Bohem.*

CONSTANTINVS quidam strator Artabasdi *videns imaginem Dei genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam proiecit & contriuit, & cum cecidisset, calcauit. Et vidit in somnis astantem sibi & dicentem, Nosti quàm fortem causam in me operatus fueris? verum contra caput tuum hoc fecisti. Postridie Saracenis murum oppugnantibus, & certamine commisso, miser in murum accurrens, tormenti lapide caput faciemq́; contritus, dignam suæ impietatis mercedem tulit. Paulus Diaconus lib. 21. Rerum Rom. & Cedrenus.*

CONSTANTINVS Episcopus Cypri in quarto *actione Nicenæ secundæ narrat, Armentarium quendam, qui imagini Mariæ stimulo dextrum oculum euulserat, postea in agrum egressum, cum percuteret pecus, sibi ipsi oculum elisisse. Et alium quendam in Citio, eò quòd per caput imaginis eiusdem in pariete depictæ clauum infixisset,*

ingenti dolore capitis affectum esse, quo non prius liberari potuerit, quàm clauum extraxisset. Agarenum etiam conto oculum statuæ Mariæ in Gabala ciuitate Syriæ euellere conantem, sibi oculum effodisse, & ardenti febre correptum esse, ibidem asseritur. Et in actione 5. adhuc alia tria miracula ab imaginibus edita proferuntur, ad earum cultum stabiliendum, quæ Carolus Magnus in libello de adoratione Imaginum, ad vim superstitionis refert.

IVDAEVS quidam baptismo in Hannonia suscepto, *à Gulielmo comiti Hollandiæ de sacro fonte leuatus, ad vomitum rediens, imaginem Mariæ virginis in templo clam pugione in faciem percussit, sanguis profluxit copiosissimus, Iudæus fuga sibi consuluit. Virgo in somnis fabro ferrario apparet, autorem facinoris indicat, eum persequi, & duello oblato sceleris conuincere hortatur. Paret ille, & Iudæum monomachia victum ad crucem adigit. Iohannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.*

DVM de pace agitur inter Henricum Anglorum *& Philippum Francorum Reges, quidam introducti à Ricardo Henrici Anglorum Regis filio satellites, quos illa ætas Coterellos appellauit, dum alea ludunt, Quidam perditis numis simulachrum virginis filium dextra gestantis in templi vestibulo aspiciens, iacto in imaginē lapide, brachij partem à filio abrupit, ex quo profluens cruor, multis ægrotantibus remedium præstitit. Ille à Dæmonio mox abreptus, eodem die spiritum miserabiliter efflauit. Robertus Gaguinus libro 6.*

SVB Carolo VI. Rege, Galli Burburgum oppidum *receperunt. Gallus miles, dum effracto templo simulachrum argenteum D. Iohannis rapere conatur, statua*

sese auertisse dicitur. Ille furijs correptus, seipsum dentibus laniâsse fertur. Robertus Gaguinus.

BVDAE Panmoniæ vrbe, duo aleatores ita conuenerant, *vt alter in Dei nomine, alter in nomine Diaboli luderet. Qui Deum nequitiæ fautorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoque vestes amisit: intempesta nocte desperabundus domum rediens, per cœmiterium iter fecit. Ibi Saluatoris crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plenus, saxum arreptum violenter fronti illisit. Miraculosè igitur saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit. Cœmeterio vicinus habitabat lanius senex, podagricus, is per quietem vocem incertam audit, Surgeret, & cultro proximum quemuis sibi obuiam factum confoderet. Quam vocem cum tertiò iteratam, multis cum minis instantem audiuisset, parêre decreuit. Itaque cum prius ne mouere quidem sese lecto posset, impigrè surgens, lanario cultro arrepto, in cœmiterium descendens, aleatorem infelicem furibundum sibi obuiam factum cultro confixit. Hoc patrato facinore, Iudicis ædes accedens, aditum & colloquium postulat. Iudex non credere, sed phantasma Dæmonis arbitrari. Tandem admissus, somnium & cædem indicat. Cum iam illuxisset, ad cœmiterium conueniunt, cadauer circumstant. Interim Dæmones cum terribili vlulatu in sublimè raptum cadauer, ex hominum conspectu abstulerunt. Ea res præter vulnus crucifixo illatum, aleatoris perfidiam arguit, & lanium periculo liberauit. M. Fritschius in Meteoris.*

ANNO Salutis nostræ M. CCC. LXXXIII. *fuit in his Regionib. homo quidam, cui nomen* Schelkrop/ *humili genere, & ex infima plebe natus. Hic, cum alioqui*

natura præditus erat maligno ingenio, factus est etiam vltrò tam licentia quàm consuetudine peccandi deterior. Neq; flagitijs tantum, sed etiam infamia ipsa delectatus, in lustris & tabernis ætatem transigebat: fuit autem appetentissimus ludi, ex quo pleraq; vitiorum genera, tanquam vermes è putri cadauere vbertim erumpunt, præcipuè verò impietas erga Deum inde nascitur. Qua duce Schelkrop tantum nefas admisit, quantum vix omnibus retrò sæculis auditum est. Cum enim aliquando volens pro consuetudine sua fortunam ludo experiri, quosdam sui similes ad eius rei communionem allexisset, itum est ab illis in quoddam diuersorium publicum, siue tabernam suburbij Moguntini, Filtzbach appellati, nomen verò & signum ipsius Tabernæ flos erat, dicebaturq; vulgò, zu der Blumen. Cumq; illic aliquamdiu taxillis lusissent, contigit fortè, vt Schelkrop parum prospera fortuna vsus, pecuniam ferè omnem quam habebat, perderet, multumq; detrimenti acciperet. Quod cum per ludi progressum non modo non emendaret, verùm etiam immodicè augeret, cœpit tandem, vti solebat, grauiter stomachari, & post conuitia collusoribus dicta, Deum etiam & Sanctos blasphemare. Sunt qui referant eum hac ira & impietate succensum palam fuisse minatum, quamcunq; crucifixi IESV imaginem primam obuiam habuisset, ab ea se præsentis damni pœnas, & vindictam repetiturum. Sed de hoc nihil affirmo. Illud constat, eum à socijs digressum, peruenisse ad Sacellum quoddam, inter ædem D. Albani & hanc beatissimæ virginis Ecclesiam situm, vbi iam olim hæc simulachra fuerant reposita. Quamprimum ergo ad id Sacelli peruenit, Imaginem crucifixi atrociter vulnerauit, & vnico ictu eius

ceruicem dissecuit, ita vt ne vllatenus hæreret quidem. Mox D. Virginis, aliorumq́ Sanctorum signis cruci astantibus cæsim & punctim pleraque vulnera inflixit, &c. Hactenus Schelkrop *debacchatus est. Quæ verò sequuntur ad vindictam diuinam & miraculum ipsum pertinent. Terrificus enim & admirabilis cruor subitò ex vulneribus effluxit, ceu non lignea simulachra, sed viui homines eam iniuriam perpeßi forent.* Schelkrop *autem iam expleta impietate sua, inde pedem non mouit, ac ne mouere quidem potuit, donec à superuenientibus in flagranti crimine deprehensus, & in vrbem Moguntinam captiuus deductus, atq; ibi viuus in conspectu populi exustus est, non longè ab vrbe, in eo loco, quem Iudæorum arenam vulgò appellant, quia Iudæi quondam cadauera sua illic humare solerent. Imagines verò vulneribus & cruore insignes, ab ædicula illa veteri, ad templum quod Sanctæ crucis nominatur, summa veneratione Sacerdotum manibus translatæ fuerunt. Vbi in hodiernum vsq; diem terrificus illè cruor cernitur, & admodum religiosè colitur, multiq; mortales variè afflicti, susceptis votis Dei Opt. Max. clementiam experti, & salutem adepti sunt. Theodoricus Gresmundus Legum Doctor.*

ETSI autem hæc furiosorum hominum impie*tas & petulantia nequaquam toleranda, sed potius legibus & pœnis seueriter cohercenda & vindicanda, tamen non est dubium, miracula hæc facta esse fraude & impostura Diaboli, ad confirmandam Idolatriam in cordibus hominum de cultu & adoratione statuarum, qua alligatur Deus ad truncos & lapides. Quæ horribilis Idolatria vsitatißima fuit, & adhuc est in Regno Pontificio. Vide de his*

signis & prodigijs Paulum in posteriore epistola ad Thessalonicenses, cap. 2. & textum diligenter perpende.

VIGESIMO QVARTO anno Constantini Copronymi *in Beryto imago Christi à Iudæis contumeliosè tractata, aperto latere sanguinem & aquam effudit, quo curati sunt infirmi. Eum ampullis exceptum, Episcopus misit per orbem terrarum, atq; inde anniuersaria festiuitas ad 5. Idus Nouembris de Passione Imaginis Christi instituta fuit. Sigebertus anno Domini 765. Patres in secunda Nicena Synodo volunt id accidisse tempore Athanasij, eumq; in peculiarem retulisse, & posteritati reliquisse. Ex Syria diuino magis quàm humano consilio Mantuam translatus fertur. Sabellicus libro 9. Ennead. 8. & Cuspinianus.*

IVDAEVS quidam sub Pelagio Pontifice Imaginem *Saluatoris de Ecclesia furtim sublatam, telo transfixit, eamq; clam domum deferens, cum eam vellet flammis exurere, se sanguine Imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit. Quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis sanguinolentam receperunt, Iudæumq; lapidârunt. Sigebertus in Chronicis.*

OTHONE & Philippo Imperij causa inter se *bella gerentibus, cum permulti se cum rebus suis in fanum S. Gouari, haud longè à Treueris recepissent, quia & natura & arte satis munitus videbatur locus, eoq; impugnaturus templum Vernerus Bolanus venisset: qui intus obsidebantur, cum suspectam haberent fenestram, ne ea hostes aditum sibi in templum facerent, posita in eo loco crucifixi Christi imagine, quæ lignea erat, satis cauisse rebantur, ne illâc hostes irrumperent. Sagittarius quidam sagittam in eum locum dirigens, Christi imaginem confixit, & mox*

tanquam

tanquam ex viuente corpore sanguis manauit. Eare territus Vernerus, cruce sumpta, mare ad bellum contra Christi hostes gerendum traiecit: Imago autem sagittaq; sanguine conspersa fuit asseruata. Fulgosius lib. 1. cap. 6.

GREGORIVS MAGNVS in epistola ad Theoctistum inquit: *Quendam ex Longobardis in Transpaduana regione, reperisse clauem Petri auream, Regi Longobardico maximi muneris loco transmissam, ac cultro eam incidisse. Quod quamprimũ tentarit furore correptus satanico, cultro sibi iugulum disciderit, eademq; hora expirârit. Vnde verò Petro tam preciosa clauis? & ad quid?*

ADELGISIVS, quem Pandulphus Princeps Ca-*puanus Cassinum ire, indeq; Planetam, calicem Imperatoris, & alia Ecclesiæ ornamenta preciosiora pignoris loco sibi adferri iusserat: Dum mandata Domini exequi tentat ad altare, vbi ornatus ille repositus erat, in faciem procidit, & paralysi ac epilepsia correptus, miserum astantibus præbuit spectaculum: à quo morbo licet vtcunq; liberaretur, oculos tamen & os distortum retinuit. Ipse vero princeps non tantum non incœptis destitit, sed & maiora contra fratres designauit. At post ipsius obitum, puer quidam venatoribus eum ferreis nexibus vinctum, & in cœnoso & fœtido lacu vsq; ad guttur demersum, & restibus à duobus nigerrimis Spiritibus in profundum subinde demitti, & iterum extrahi vidit. Causam verò tam tetri supplicij ab eodem puero rogatus, respondit: Quòd aureum Calicem cœnobio S. Benedicti eripuerit, & in agone mortis restitui neglexerit, obsecrans vxori talia indicari, vt Monasterio erepta bona reddat. Quod tamen mulier illa auara minimè præstitit. Chronicon Cassinense lib. 2. cap. 62.*

EREMITA quidam in rupe, iuxta publicam viam ditionis Neapolitanæ habitans, dum noctu post Psalmorum recitationem, ad explorandam horam aperit fenestram, vidit Aethiopes longo ordine incedere, & stramine onustos incendium minari. De sua conditione interrogati, se Dæmones esse dixerunt, & fomites ignium comburendis hominibus conferre, iamq; Pandulphum Capuarum Principem morti vicinum præstolari, eademq; hora Pandulphum expirâsse deprahensum. Confestim Vesæuus mons flammas euomuit, tantaq; copia resina sulphurea inde effluxit, vt torrentem faceret, qui cum impetu se in mare exoneraret. Chronicon Casßinense lib. 2. cap. 84.

VRSPERGENSIS & Platina narrant, D. Iohannem Baptistam homini cuidam rapaci & sacrilego, qui monumentum Regis Longobardorum Rotharis, in basilica sibi extructa quiescentis, aperuerat, & ornamenta corporis, quibuscum erat humatus Rex abstulerat, apparuisse, eumq; duriter compellâsse, quod ausus esset corpus huius hominis attingere, qui tametsi non recto pede ad veritatem incesserit, tamen sese ipsius tutelæ & patrocinio commiserit. Ob hoc facinus eum non ingressurum amplius hoc templum. Quod & factum est. Quoties enim Ecclesiam volebat ingredi, à Spectro iugulum eius petente abigebatur.

Eo bello, quod Carolus VIII. Gallorum Rex gesßit aduersus Annam Britanniæ Ducem, quam postea in matrimonio habuit, Britannus quidam Remensi vrbe egressus prædatum, in pagi cuiusdam templo, quò meliorem rerum suarum partem agrestes contulerant, capsam confregit, arbitratus sæcularium hominum esse: repletoq; sinu ijs

rebus, quas auferre secum poterat, posteaquam domum rediјt, dum res raptas agnoscit, in eis particulas quasdam lineas vidit, haud absimiles his, quæ ad nasi purgationem conficiuntur: minimeq; arbitratus ex eo genere esse, quibus Sacerdotes pro mappa ad sustinendam hostiam vtuntur, fœminæ hospiti eas dono dedit. Cum autem sanguine infectas cerneret, primum manus suas inspexit, quas cum illæsas cerneret, neq; inde sanguinem manâsse videret, in sinum suum oculos deflexit, vbi integra pectoris cute, diploidem quoq; interiore tunica sanguine illitum animaduertit. Fœmina cum ad amnem lotura hos pannos tulisset, non modò sanguinis maculæ nō abibant, sed aqua quoque cruentabatur. Quod haud dissimile est ei, quod Leoni Pontifici contigit, qui petentibus à se sanctas reliquias, eius mappæ, quæ corporale dicitur, partem secabat & dabat. Cæterùm cùm semel quidam eam rem despiceret, Leo illo præsente mappam pupugit, clareq; illi ostendit, sanguinem ex ea manare. Fulgosus lib. 1. cap. 6.

GREGORIVS TVRONENSIS cap. 81. de *gloria Confessorum scribit de Mariano Eremita, cuius festum quotannis celebrari solitum fuit, quod ædes cuiusdam (qui propter domestica negotia, & necessarias occupationes, ad festum ipsius diem non aduenerat, commonefactusq; à vicino responderat: Melius esse domi opera facere necessaria, quàm talem Sanctum colere, de cuius salute ambigitur) incenderit, & flammis vltricibus absumpserit: ita tamen, vt ignis non nisi in ipsius ædes grassaretur.*

QVIDAM Aurelianensis, cum in vineam suam *sese conferret laboraturus, die festo Auiti, Abbatis Carnotensis, admonitus à reliquis ne id faceret, quamprimum*

manum operi admouit, facies eius contorta ad tergum (scilicet à Spiritu homicida) est conuersa. Tremebundus igitur, spectante magna hominum multitudine, basilicam Auiti ingreditur, deprecans culpam, & paucis diebus pòst, vt facies in suum locum conuerteretur, impetrat. Gregor. Turonens. libro de gloria Confess. cap. 99.

PARISIENSIS quædam oppignerauerat Iudæo *vestem. Cum redimere non posset, hostiam, quam Paschate proximo sumptura esset, illi pollicetur. Iudæus acceptam hostiam lebeti feruenti oleo & aqua pleno inijcit, blasphemis verbis illudit. Prosiliisse aiunt puellum formosissimum, & harpagonem Iudæi mira agilitate, quo illum demergere nitebatur, declinâsse. Astabant pueri, & rei nouitate territi, ad matrem currunt, crudelitatem patris contra pusionem indicantes. Fit concursus populi. Ereptam Iudæo hostiam, Episcopus in Ecclesiam S. Iohannis de Grania deportauit. Iudæi vxor & liberi ad Christi fidem conuersi. Ipse ad supplicium ductus, Talmudi virtutem iactare, & inclamare non desinebat. Ad hominis superstitionem eludendam afferri iubetur. Eo accepto, cum securitatem Iudæus sperare inciperet, ignis iaculi instar è pyra constructa euolans, Iudæum cum libro exussit. Thomas Patriarcha Barbariensis libro 3. Fortalicij fidei.*

IN Ecclesia Aruernensi quidam impius homo *mendaciter iurauerat. Subitò autem linguam sibi ligatam sentiens, mugire incipit. Ac de admisso scelere dolens & gemens, prosternitur ante sepulchrum Dretemonij Episcopi, eius opem (non ipsum Deum, vt præceptum est) supplex implorans. Sentit itaq; sibi relaxari vinculum linguæ, & expeditè rursus, vt antè, loquitur, publicè confi-*

tens

tens suum peccatum, quo sibi hanc pœnam sciens & volens accersiuerat. Gregorius Turonensis de Confessoribus, capite 29.

BOLESLAO III. Bohemorum Duci, Mescho Po*lonorum princeps Cracouiam per fraudem eripuit. Per inducias ambo Duces apud Cracouiam conuenerunt. Boleslaus in conuiuio captus, luminibus priuatur, comites eiusdem crudeliter necati, exceptis Vrisbuicensibus insidiarum conscijs, sceleriśq; particibus. Iidem quoq; Ianurem Boleslai fratrem dolo necare conantur. Cochares enim, adoloscentem sub specie venationis in syluam tractum, ad stipitem arboris alligatum, sagittis confodi iusserat. Fama est, Diuum Iohannem Baptistam ab eo precibus exoratum, hirsuto tegmine sagittas excepisse, vxoremq; eiusdem per visum commonuisse, periclitanti viro opem ferret. Interea famulus principis Ouera elapsus, proditiones populo exposuit. Qui proditoribus occisis, ducem saluum reduxit. In eo loco, Monasterium ordinis sancti Benedicti, quod Veliscam appellant, constructum, & ara maior ibi sita, vbi arbor religatum Ianurem tenuit. Aeneas Syluius in histor. Bohem.*

COMNENVS Imperator cum ægrotaret, & iam *deficere videretur, Saluatoris imagine est restitutus. Diuinum enim peplum in Chalce repositum, quod faciem Christi impressam habebat, ad lectum, in quo iacebat, expansum est, & ipsius corpus eo inuolutum: Itaq; morbi vehementia remissa, surrexit, cibum sumpsit, ac conualuit, morbusq; desijt. Sed cum parum constans visa esset hæc valetudinis recuperatio, vt populum vana suspicione liberaret, eques in forum descendit. Cuspinianus.*

PER quos dies sacrosancta crux Ptolemaide anxiè conquisita nusquam comparuit, alia passi Domini monumenta miraculo mortalibus extitêre. Lutetiæ Ludouicum filium Philippi Augusti Regis trimulum (Rege in sacra expeditione absente) tanta vis inuasit morbi, vt animam agere, ac tantum non expirare videretur. Sacræ spineæ coronæ particulam eam, quæ ad ædem Diui Dionysij asseruabatur, ac sacrum clauum, obsecrationibus factis, Lutetiam reuerentissimè attulit Mauritius Parisiorum Pontifex, vir sanctus, ac corpori pueri admouit. Morbus depulsus, valetudo restituta. Aemilius lib. 6.

QVIDAM lethaliter sauciatus, gustata buccella panis à D. Bernhardo consecrata, valetudinem suam recupauit, is panis per multos annos incorruptus seruari poterat, nec colore, nec sapore mutato. In Tolosana prouincia multi infirmi, gustatis quibus D. Bernhardus benedixerat panibus, sanitatem recipiunt. Quidam Ciuis Salernitanus, aqua, qua manus lauerat D. Bernhardus Abbas, sanitati restituitur. Autor vitæ.

MONACHI Malmendrenses, postquam frustra lachrymis & precibus liberam restitutionem sui cœnobij à Cæsare, qui id Coloniensi Antistiti subiecerat, petijssent, ossa S. Remacli Leodium deferunt, mensæq; Regis conuiuium agentis imponunt: quæ onere fracta, crus pedesq; viri cuiusdam nobilis contriuit: qui tamen per intercessionem Remacli implorata Dei ope, pristinam sanitatem ita recepit, vt ne cicatricis quidem vllum remaneret vestigium. Cumq; etiam alia ad reliquias istas ederentur miracula, Rex & ablata restituit, & munera Monachis contulit, anno 1071. Schaffnaburgensis.

In confinio Biturigum & Turonum Claudiomagus vicus est, *celebris quoque ibi Ecclesia, in cuius secretario S. Martinus quandoque peregrinando permansit, & in stramento requieuit. Eo abeunte Sacerdotes ac Virgines stramentum ex deuotione partiuntur. Quod cum ad cuiusdam ceruicem suspendissent, qui Dæmonio agitabatur, citius dicto conualuit. Bonfinius lib. 5. Decad. 1.*

Chronicon Martini manuscriptum refert, *ossa seu reliquias Stephani à nobili quadam muliere ignoranter Hierosolyma Constantinopolim translatas, existimantem se ossa sui mariti habere. Accidisse verò, vt Dæmones in aëre vlulantes factum prodiderint: quos Angeli suauiter canentes fugauerint. Filiam verò Imperatoris Dæmoniacam exclamâsse, Si Stephanus venerit, statim sanabor.*

Quidam Othonis II. Imperatoris præfectus *à Diabolo obsessus, catena qua S. Petrus vinctus dicebatur, collo circumdatus, mox liberatur, anno 983. vt Chronicon Saxoniæ habet. Vincentius lib. 24. cap. 88. Othonis primi temporibus accidisse narrat, Sigebertus verò secundi.*

Populus herbulas sparserat super tumulum *Nicetij Lugdunensis Episcopi: Aigulphus Diaconus Roma veniens, de hisce herbis Sacerdote porrigente, secum asportauit, ac febricitantibus cum haustu aquæ frigidæ exhibuit, ac sanitati euestigio restituit. Gregorius Turonensis hæc sua ætate facta esse, pro certo affirmat. Albanensis Episcopus febri laborans, cum ex patella, ex qua D. Bernhardus cibum ceperat, panem & aquam gustasset, mox conualuisse dicitur. Autor vitæ Bernhardi. Gre-*

gorius Turonensis de gloria Confessorum cap. 85. de Syluestri Cauillonensis Episcopi lectulo funibus ligato mira quædam narrat. Febricitantes positi subtus hunc lectum, recreati & refocillati sunt. Multos dicit sese vidisse, qui abscißis particulis de funibus lectuli, cum infirmos hisce tangerent, pristinæ restituisse valetudini. Matrem suam, ait, particula abscissa de istis funibus, puellam febricitantem, cum de collo suspenderet, sanâsse.

Ivo in Chronico, & Paulus Diaconus libro 6. *cap. 2. de gestis Longobardorum narrant, quòd cum tempore Constantini, circa annum Domini 682. per tres menses, Iulium, Augustum & Septembrem, pestis Ticinum adeo depopulata esset, vt ciuibus inde fugientibus herbæ & frutices enascerentur in plateis, reuelatum esse quibusdam viris, non prius pestem abituram, quàm Sebastiani martyris altare in basilica Petri construeretur, atque euentum correspondisse. Reliquijs enim Sebastiani Roma Ticinum translatis, altari extructo, lues illa quieuit. Atque hinc superstitio de Sebastiani contra pestem præsidio rudium animos occupauit.*

Constantinvs Magnvs, deuicto Maxentio, *crucis sibi cœlitus ostensæ symbolo, cum Maximinum quoque Christianis infestum opprimere cogitaret, subito elephantiasi corripitur. Medicis omnibus desperantibus, tandem adsunt Græci, qui in Capitolio locum ex puerorum sanguine fieri oportere asserunt, in quo si se Imperator ablueret, certò valetudinem pristinam recuperaret (Id remedij genus Aegyptiorum Regibus familiare esse, scribit Plinius lib. 26. cap. 1.) conuocantur pueri, carnifices ad-*

sunt,

sunt, edictum expectant. Non tulit matrum lachrymas humanissimus Imperator, & pueros suis matribus saluos & incolumes donauit. Nocte proxima Petrum & Paulum diuos ad se venientes conspicit, & vt Romanum Antistitem Syluestrum adeat, atque ex ea piscina (quam is monstraturus esset) se lauaret, monetur. Paret, & septem dierum ieiunio indicto, à Syluestro sacro baptismate abluitur cum filio Crispo, sacro prius oleo vnctus, Lux interim clarissima locum illustrat, & sonus suauissimus exauditur. Constantinus ipse diuinæ cuiusdam manus attactum sentiens, ex labro sanus atque saluus egreditur. Nicephorus lib. 7. cap. 33. & Cedrenus.

In ergastulo detentus Lotharingus quidam *Constantinopoli, tam robustus erat, vt Turcæ veriti ne catenas ac vincula disrumperet, torquem eius collo ferreum applicarent, quinque digitorum crassitudine latum, ac trium crassum, ferreis catenis innexum. Huic cum in memoriam rediret Sanctus patriæ suæ Nicolaus, eum comprecatus, vt intercederet pro se apud Deum, obdormiuit. Postero mane cum pagi æditüus templum reseraret, captiuum hunc in vinculis dormientem ad fores offendit: ille è somno excitatus, in fano S. Nicolai de Varenguille (duobus à Nanceo milliaribus distans) quem inuocârat pridie, se esse agnouit. Re peruulgata, populus accurrit, & post aliquot Alleluia decantata à Sacrificis, quatuor accersiri iubet fabros ferrarios, qui vinculis eum liberarent. Quæ cum nulla viderentur humana vi posse dissolui, ecce in conspectu omnium torques dissiliit. Vierus lib. 2. cap. 29. de præstigiis Dæmonum, ex libello de Galliæ Sanctuariis.*

Gregorius Turonensis libro 5. cap. 6. scribit,

Leonastem Bituricum archidiaconum, cataractis decidentibus oculorum beneficio priuatum esse. Frustra autem Medicorum opem implorans, ac sese tandem ad Martini basilicam conferens, spacio duorum aut trium mensium ieiunio & precibus macerans, visum vt reciperet, ardenter petebat. Instante festo Martini, visum recipit.

LEO Pontifex Romanus Caroli Magni tempore, *cum pompam in agendis supplicationibus per vrbem duceret, ad sancti Syluestri ædem, à Paschali primicerio, Pampuloq́; presbytero, quorum turpissimam vitam verbis sæpè corripuerat, pontificis insignibus exuitur, & lingua cum oculis priuatur. In Diui Erasmi cœnobium delatus, Albini cubicularij opera, in D. Petri basilicam relatus, in eo cœnobio linguam & oculos recepisse fertur, Sigebertus anno 799. & Bonfinius lib. 9. Decade 1.*

GREGORIVS Turonensis libro de gloria confessorum, *cap. 96. de quodam paralytico miraculosam recitat historiam: Ad diem festum Albani Andegauensis Episcopi, cum paralyticus ille curru vectus adesset, in somnis per noctem vidit ad se venientem virum, ac dicentem, Hora tertia surge, & basilicam ingredere, futurum enim est, vt ea hora Martinus cum Albino ingrediatur. Si eo momento adfueris, sanitatem recuperabis. Quod ita factum esse, multis idipsum spectantibus, sicuti ei fuerat in somnis prædictum, Turonensis affirmat.*

PRESBYTER quidam paralyticus ad Dunstani *Cantuariensis Archiepiscopi tumbam delatus, statim sanitati restitutus est. Ad eiusdem sepulchrum obsessus quidam multo cum sanguine Dæmonem euomuit. Vincentius lib. 24. cap. 95. Gandaui anno 1010. ad corpus S.*

Bauo-

Bauonis, quod tum fortè transferebatur, Mansuindis puella Antuerpiensis paralysi liberata est. Iacobus Meyer in Chronico Flandrensi.

COSROES Rex Persarum, audiens Sergium *martyrem esse datorem omnium quæ petebantur: petijt ab eo auxilium in defensionem Regni, & fœcunditatem coniugis sterilis, quibus ab ipso impetratis, misit ad Gregorium auream crucem, discum, poculum, thuribulum, & alia dona in honorem Sergij martyris. Euagrius lib. 6. cap. 21.*

CONSTANTINVS Episcopus Cypri narrat in *quarta actione Nicena, quendam qui clauum in parietem adigendo, Petri depicti in pariete frontem transfodisset, indeq́ue dolorem capitis sensisset, iussum esse clauum eximere, & sic sanatum esse.*

FRANCOS à Pipino Floriacum missos, vt ossa *Benedicti in Cassinense cœnobium reportarent, cum ingressi essent templum, excæcatos virtute Benedicti, & re infecta reuersos esse, ac censuisse non æquum esse, vt Gallia tam sanctis ossibus priuaretur. Scribit Sigebertus anno Domini septingentesimo quinquagesimo tertio. Vincentius lib. 23. cap. 155.*

GARGANVS quidam ciuis Sipontinus, cuius *prægrande armentum in monte Vrio Apuliæ, qui hodie Garganus, & S. Angeli dicuntur, pascebatur, quo tempore Gothorum armis Italia vexata est, armentalem taurum, qui à grege aberrârat, quæritans, inuentum tandem ad speluncam natiuam, in viuo cauatam saxo, ira percitus sagitta petijt. Ea vbi tergum tauri attigit, retrò flexa euestigio in Garganum versa. Ea re in religionem versa, Garganus Laurentio Sacerdoti rem aperuit. Is in-*

dicto trium dierum ieiunio, noctu Michaëlem Archangelum in somnis vidit, affirmantem sua opera taurum indicem basilicæ extitisse, quam inhabitari vellet, & ab hominibus celebrari. Iam verò cum Sipontini Neapolitanos vrbem obsidentes, oraculo Archangeli per Laurentium habito, stata hora erumpentes fudissent, fides Spectro habita, & spelunca tanquam Archangeli excauata manibus religiosè coli cœpta, neq; Gelasij Pontificis max. dedicatio quam parabat, ab Archangelo approbata, quòd locus cœlitus consecratus humana non egeret dedicatione. Sic igitur specus consecrata, cum templo augustissimo, quòd plurimi mortales quotannis accedere solent. Admonent religionis tabellæ, votaq; passim suspensa, titulos indicantia. Vbi verò aræ admotus, ad Numinis procumbens statuam, loco solo, & ab hominum accessu semoto, repentè inhorrescit tacito metu animus, atq; in diuinarum tantum rerum cogitationem versus, in preces supplicia effundit. Augent venerationem aliæ item aræ, nullo sumptu nullo artificio factæ, quibus natura ipsa videtur locum statuisse. Pontanus lib. 2. belli Neapolitani.

BARTHOLOMÆO Gradonico Duce, cum *aquæ supra consuetum excreuissent, ita vt non leue periculum Venetæ vrbi immineret, manè piscator senex retulit, dum tempestas sæuiret, à tribus se venerandi aspectus requisitum, eos vsq; in portus fauces duxisse: qui, sedata tempestate, omnes in vrbe remanserunt: In S. Georgij fano vnus, alius in sancto Nicolao, tertius cum alios duos Georgium & Nicolaum esse dixisset, se Marcum esse Euangelistam ostendit, imperauitq;, vt quod viderat narraret, quia ab vrbis principe abunde laboris sui, quòd*

eos

eos traiecisset, mercedem esset accepturus. Vt autem ijs quæ narraret, fidem penes homines inueniret, anulum donauit, quem piscator ostenderet. Itaq; re audita, Veneti constituto Piscatori annuo stipendio, supplicationes decreuerunt. Fulgosus lib. 1. cap. 6. Et Egnatius eodem.

STEPHANO Vngariæ Rege, quinto & quadragesimo *à morte eius anno inter Diuos relato, omnes Vngariæ principes cum Ladislao Rege Albam conuenere. Celebratis inferijs, ad sancti Regis monumentum peruentum est, à quo tanta odorum fragrantia effluxit, vt vniuersam basilicam veluti cœlesti quodam rore compleret. Ossa balsamo quodam delibuta & humecta comparêre. Quibus in syndone reconditis, anulum aureum, vetus eius gestamen, in liquore disquirere occæperunt. Quem cum nulla percunctatione in arca marmorea indipiscerentur, de hauriendo liquore cogitatum. Is vbi exhauriri cœptus est, completis plerisq; phialis ac dolijs, nunquam penitus exantlari potuit, nam ad singulos haustus, vi numinis iste liquor reparabatur. Quod vbi compertum est, quod fuerat exhaustum, continuo reconditis ossibus infudêre: & post infusionem liquor ille neq; creuisse, neq; decreuisse visus est. Ex inuento ibidem thesauro, Diuæ Virgini ara instaurata. Quin & paucis post temporibus, eximij Principis vxor, cui Mathildi nomen erat, & intestinorum dolor tribus annis incesserat, huius fama commota, in Vngariam peregrinatur, atq; adito Sacello, mox cruciatu liberata est. Bonfinius lib. 1. Decade 2.*

LADISLAVM Vngariæ Regem anno 103. post *mortem, miraculorum multitudine, quæ vim Numinis testabantur, Pontifex inter Diuos retulit. Eadem hora,*

cum puer ad ſepulchrum eius allatus eſſet, cui pro manibus ac pedibus informis caro erat, vbi neq; oſſa neq; neruos cernere erat, vix parentes pro filio vota ſuſceperant, cum manibus ac pedibus conualuiſſe viderunt. Bonfinius lib. 4. Decade 3.

SERGIOPOLITANI ſiue Antiocheni cum Coſroë *Rege Perſarum de ſeruanda ciuitate agentes, ei pro redimenda vrbe ſacros theſauros offerunt, inter quos & aurea crux erat, quam illuc Iuſtinianus Imperator & Theodora miſerant. Illis receptis, cum plura poſtularet Coſroës, & inter reliqua argenteam vrnam, in qua Sergij Martyris reliquiæ continebantur, auferre tentaret, ſubitò acies quædam in ambitu vrbis apparuit, quæ Perſas ab vrbe repulit, & in fugam conuertit. Sic vrbs ſine milite, per miraculum eſt liberata. Euagrius lib. 4. cap. 28.*

ANNO decimo Leonis Iſauri Imperatoris, Saraceni *Niceam Bithyniæ obſident. Verùm diu vrbe oppugnata, murorum partibus deiectis, apparitione Sanctorum, qui ibi coluntur, patrum deterriti, re infecta turpiter diſceſſerunt. Cedrenus.*

THESSALONICENSES à Bulgaris imperante *Michaële Paphlagone obſeßi, quadam die ad ſepulchrum martyris Demetrij acceſſerunt, ſupplicationeq; per totam noctem tracta, vſiq; vnguento, quod ex eo ſephulchro ſcaturit, vno impetu apertis portis in Bulgaros ſe emiſerunt, hoſtemq; improuiſa impreßione perterritum in fugam coniecerunt, nemine ſubſiſtere, aut ſe defendere auſo. Ductor Romanæ aciei fuit martyr, iterq; complanauit, quod Bulgari captiui iuramento confirmârunt, dicentes, vidiſſe ſe*

iuuenem equitem, qui Romanæ phalangi præiret, ex quo ignis exiliens, aduersos cremaret hostes. Cedrenus.

Cives Carnotenses Camisiam Mariæ, per *Carolum Caluum eò ex Constantinopoli aduectam, loco vexilli de muro suspenderunt, quæ Rollonem Danum cum suo exercitu cæcitate percussit, indeq; abegit. Ranulphus lib. 6. cap. 2. & Gaguinus lib. 5.*

Qvo die Godofretus Bolionius cum alijs ad *Syriacam expeditionem profectis, prælio Hierosolymas adortus, eam vrbem expugnauit, à multis perspectus est Aimarus Episcopus Aniciensis, in prælio alios præire: & cum primus in muros euasisset, alijs vt conscenderent innuere: quanquam pro certo haberetur, multis mensibus antè eum Antiochia decessisse, sicuti Gulielmus Tyrius Episcopus scribit. Fulgosius lib. 1. cap. 6.*

Henricvs II. Imper. Boleslaum Bohemiam *possidentem, cum omni Sclauorum gente subiugauit, & similiter Poloniam debellauit, accepto gladio S. Adriani Martyris, qui longo tempore in loco, cui nomen est VValdberg, asseruabatur. Hostes terribiliter persecutus est, diuino numine cooprante. Visi autem sunt Diui Martyres, Georgius, Laurentius, & Adrianus exercitum suum antecedere, & cuneos hostium dissipare. Cuspinianus.*

Christiani Latini cum Corbana Persarum *Principe collatis signis ante Syriæ metropolim Antiochiam, lancea sancta, qua Christi latus vulneratum fuit vexilli loco prælata, plus centum millia hostium cecidêre, suorum quatuor millibus ducentis desideratis. Baldricus Dolensium Pontifex illius temporis æqualis, comperisse se scribit ex his qui interfuerant, oblatam hostibus*

ſpeciem trium procerum humana ſpecie auguſtiorum, qui albentibus in equis ſedentes, ingens agmen pari cultu corporis habituq́ oris ex editiſsimis locis aduerſus hoſtes ducerent. Hos non ab omnibus, ſed à quibuſdam noſtrorum viſos, creditosq́ eſſe Martyres Georgium, Demetrium, Mercurium. Nec deinde Barbaris animus mensúe aut conſilium ſuppetebat, conſtabatq́: apud eos omnia formidine fugaq́ continuò plena fuêre. Aemilius lib. 4.

ACTIVS Vicecomes, cum Iohannes Bohemiæ Rex Caroli IIII. Rom. Imperatoris pater circa annum Chriſti 1330. Italiam inuaderet, pedibus æger decumbens maximum rerum ſuarum diſcrimen ſubijt, Leodriſij Vicecomitis patruelis perfidia circumuentus. Is enim conductis Rhætorum Heluetiorumq́ cohortibus, & Germanis equitibus, magnaq́ manu exulum paſsim collecta, ad Abduam profectus eſt. Actius quanquam pedibus æger, ex omnibus locis milites cogit, munitioraq́ oppida ſubitario præſidio confirmat, donec auxilia conueniant. Ad Neruianum vicum acri pugna commiſſa, ſuperiores iam erant Leodriſiani, niſi D. Ambroſius, Mediolanenſium tutelare numen, in vrbe equeſtri effigie à multis conſpectus, opem planè perditis rebus attuliſſet. Superuenit enim Hector Panicus cum ala Cataphractorum Allobrogum, à Ludouico Sabaudio Actij ſocero tranſmiſſa. Hæc Rhætos intempeſtiuè exultantes, & cædi prædæq́ ſolutis ordinibus incumbentes protriuit, atq́ cæcidit. Leodriſius in manus hoſtium incidit. Interfecta ſunt ſupra quatuor millia hominum. In eo autem campo vbi pugnatum eſt, templum in arce Diuo Ambroſio ad rei geſtæ memoriam conditum, vbi quotannis inſigni pompa effuſo

Mediolanensi popolo, cum pratore & Decurionibus, altero & vigesimo Februarij die, sacra solennia celebrantur. Iouius in Actio. At Fulgosus lib. 1. cap. 6. scribit, redintegrato pralio ab auxiliaribus copijs, quae superuenerant, clarè conspectum Ambrosium flagello Barbaros (quos Mastinus Scaliger pro Leodrisio mercede conduxerat) insectari, & in huius memoriam victoria, Ambrosij simulachro ab eo tempore flagellum, quod non antè pingebatur, addi cœpisse.

Eo prælio, quod Ramirus Hispaniarum Rex, *aduersus Saracenos decertauit iuxta Calagurium, ab omnibus qui interfuère, conspectus est Iacobus Apostolus, albo vexillo Christianorum aciem antecedere, atque in fugam Saracenos vertere. Fulgosus lib. 1. cap. 6.*

Narrat Nicephorus lib. 8. capit. 23. in Ni*cena synodo Chrysanthum & Musonium Episcopos è vita prius decessisse, quàm Nicenæ fidei subscripsisset. Patres itaque Synodi ad monumenta eorum accessisse, & scriptum manibus tenentes, tanquam ad viuentes & audientes dixisse: Bonum certamen sancti patres nobiscum certâstis, cursum peregistis, fidem seruâstis. Si igitur ratum esse debet, quòd à nobis actum est, quoniam nunc nullo interposito obstaculo Trinitatis splendore illustrati, clarius id perspicitis, peropus est vos nobiscum libello subscribere. Hæc cum dixissent, libellum obsignatum ad tumulum deposuisse, noctemque totam insomnem egisse. Et postridie ad locum redeuntes, signa inuiolata inuenisse: & libello resignato, subscriptiones illorum reliquis insertas cognouisse, recentes adhuc, & in hæc verba concœptas: Chrysanthus & Musonius, qui cum patribus omnibus in sancta*

prima

prima Oecumenica Synodo Nicena consensimus, quamuis corpore translati, manu tamen propria nos quoq; libello subscripsimus.

PLECGILIS Presbyter, poscebat sibi præmonstrari, *quæ foret species latitans sub forma panis & vini. Dum talia precaretur, angelus de cœlo adueniens affatur: Surge, inquit, properè, si Christum videre placet. Adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit. Respiciens ergò vidit super aram patris filium puerum, eumq; vlnis trementibus accipit, & deosculatur. Eundem mox restituit in verticem altaris, & prostratus denuò deprecatus est Deum, vt dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem. Expleta oratione, inuenit corpus Christi in formam remeasse priorem, vti deprecatus fuerat. Rabanus de Sacramento Eucharistiæ, cap. 30. Paschasius in libro de corpore & sanguine Domini, capite 41.*

MILES quidam in vrbe Roma pestilentiæ *morbo extinctus, cum reuixisset, dixit apparuisse sibi pontem angustum, fluuiumq; subterlabentem, tetrum admodum & caliginosum, ac fœtore incredibili grauem. At verò ad vlteriorem ripam loca amœna, & quæ oculos florum varietate, nares odorum fragrantia multum oblectarent, tum habitacula passim disposita diuini cuiusdam nitoris ac formæ, sed inter ipsa vnũ cæteris maius, elegantiusq;, quod totum aureis laterculis adhuc construebatur, cui autem construeretur, scire se nequiuisse. Considerâsse tamẽ, quòd iusti pontem securè pertransirent, reprobi vero laberentur, & in fluuiũ ruerent. Tunc vidit, vt aiebat, Peregrinum presbyterũ tam inoffensè per angustias illas gra-*

dum tulisse, quàm hic piè vixerat. Sed inter eos quoq; qui ceciderant, quosq; rapidi gurgitis spumosi vortices agitabant, vidit Petrum Ecclesiasticæ familiæ Hierarcham, qui quadriennio ante obierat, ferreis vinculis complicatum, & de horribili alueo enatare frustrà conantem, atq; idcirco ei supplicio mancipatum audiuit, quod reos olim, quos puniendos accipiebat, seueriter magis quàm obsequenter punierit, Marulus lib. 6. cap. 14.

In castro Sanctorum septem fratrum, Albericus *quidam nobilis puer, cum decimum ageret ætatis annum, morbo correptus ad extrema perductus est. Quo tempore diebus nouem, & totidem noctibus immobilis, ac sine sensu quasi mortuus iacuit. Hoc autem interuallo à B. Petro Apostolo, duobusq; Angelis per loca pœnarum deductus, ad infernale barathrum deuenit. Demum ad paradisi amœna delatus, vidit Sanctorum mansiones, atq; in cœlum subleuatus aëreum à B. Petro sufficienter edoctus de veteri Testamento, de peccatorum pœnis, gloriaq; Sanctorum: vidit arcana quædam, quæ loqui prohibitus est. Sicq; per Prouincias septuaginta duas ab eodem Apostolo deductus, vitæ redditus est. Chronicon Cassinense lib. 4. cap. 68.*

Extat apud Vincentium lib. 27. cap. 98. & 99. *longa narratio de Tundalo, cuius anima tum in locum suppliciorum infernalium, tum purgatorij, duce Angelo, deducta fuerit, ac multos sibi notos viderit. In primo beatorum aditu offendit magnam virorum & mulierum multitudinem, pluuiarum & ventorum iniuriam sustinentes, fame & siti tabescentes, lumine tamen fruebantur, nulloq; fœtore molestabantur. Angelus comes hos re-*

spondit non valde honestè vixisse, bonaq́ temporalia pauperibus non fuisse largitos, post aliquot annos ducendos ad requiem. Venerunt inde ad portam, quæ vltrò aperta est eis, quam cum intrâssent, viderunt campum floridum, æterna luce plenum, in quo multæ animæ erant vtriusq́ sexus exultantes, destinatum ijs, qui de cruciatibus erepti, nondum merentur Sanctorum consortio coniungi. Fons ibi est aqua viua, è qua bibens viuet in æternum, nec sitiet vnquam. Procedentes paululum, viderunt Concobrum & Donatum Reges, in vita sua crudeles, & inter se inuicem multum inimicos, qui tamen ante mortem suam pœnituerant. Concober languens votum vouerat, si vixisset, Monachum se futurum. Donatus autem per multos annos in vinculis religatus, omnia quæcunq́ habuit, dederat pauperibus. Vlterius progreßi incidêre in Cormartum Regem, sub quo Tundalus in sæculo vixerat, qui in argenteo degens palatio, regio prorsus tractabatur more. Ministrorum copia aßistebat maxima, pauperum scilicet & peregrinorum animæ, quibus Rex bona sua largitus fuerat. Spectantibus illis, obscurata est domus, omnes habitatores consternati sunt, Rex contristatus exiuit cum fletu. Quem cum Tundalus sequeretur, vidit Ministros expansis in cœlum manibus Deum deuotißimè deprecantes, & dicentes, Domine Deus omnipotens, sicut vis, & sicut scis, miserere serui tui: Et respiciens, vidit Regem in igne vsq́ ad vmbilicũ, & ab vmbilico sursum cilicio indutum. Hanc pœnam, inquit Angelus, quotidie patitur per tres horas, & per viginti horas & vnam requiescit. Quia legitimi coniugij maculauit sacramentum, & ideo patitur ignem vsq́ ad vmbilicum. Cilicium verò portat, quòd

iußit

iußit comitem interfici iuxta ſanctum Patricium, & præuaricatus eſt iuſiurandum. Exceptis his duobus, cuncta ei crimina dimiſſa ſunt.

ALTERIVS cuiuſdam anima per Raphaëlem *ad ſuperos & inferos deducta, vidit hominem in ſella ignita ſedentem, in cuius os mulierculæ ornatißimæ ardentes faces immittebant, & per poſteriora retrahebant, eoſq; cruciatus perpetuò patiebatur, quoniam luxui ac libidini deditus fuerat. Vidit hominem, quem Diaboli excoriabant viuum, ſaleq; conſperſum, & craticulæ impoſitum aſſabãt, qui in ſubditos crudelis fuerat. Alius oblatus, equo ardenti inſidens, antè capram, poſt terga monaſticam veſtem geſtans, qui de rapinis vixerat, ac mulierculæ cuidam ſuam capram ſurripuerat: tandem Monachum ſimulata pœnitentia induere voluerat. Vidit diuerſi ordinis religioſos, quorum alij riſu cachinnoq;, alij gulæ ac libidini explendæ ſtudebant, Dæmonibus eos ad ſimilitudinem perpetratorum ſcelerum ad hæc cogentibus. Deniq; Iudam proditorem, omnibus Dæmonibus damnatisq; hominibus inuiſum, in imo barathro, vbi omnium ludibrijs, conuicijsq; expoſitus erat, conſpexit. Hæc cum contra interdictum homo ille, ad ſe reuerſus, narrare adſtantibus fratribus cœpiſſet, ſtatim S. Benedictus baculo os eius ferijt. Et quia, inquit, loquendo peccâſti, vſu ſermonis per dies nouem priuaberis, & iniuncta pœnitentia diſceßit. Nouem autem diebus exactis, rem omnem ſuo tandem Abbati, vt iuſſus fuerat, aperit. Abbas verò, qui tacendi præceptum non acceperat, porrò in publicum produxit. Vincentius lib. 29. cap. 8. 9. 10.*

GENOVEPHA virgo Pariſijs ecſtaſi vſq; adeò la-

borauit, vt triduo, iam exanimis, rubentibus tantum genis obseruaretur. Vbi ad se rediijt, se ad inferos deductam, beatorum campos, & supplicia impiorum lustrâsse affirmauit. Bonfinius libro 5. Decade 1.

ERASMO Episcopo martyri, post ingentia pro *Christo fortiter tolerata supplicia, visi sunt sancti Apostoli & Prophetæ coronam de cœlo afferre, Qua visione delectatus, orauit vitæ huius finem, eoq́ impetrato, spiritum exhalauit. Marulus lib. 6. cap. 16.*

VRSINVS Nursiæ presbyter, dum animam *ageret, lætus exclamauit, gratias agens ijs, quos ad se venisse solus cernebat. Et quærentibus qui ei assidebant, qui essent illi, quorum aduentu tantopere gauderet? Nunquid non videtis, inquit, Petrum & Paulum Apostolos hic adesse, & euocare me: Mox ad eos, quos tantùm ipse videbat conuersus, dum repeteret, Venio, venio, ecce venio: cum ijsdem abiens corpus exanime reliquit. Gregorius lib. 4. Dialogorum, cap. 11.*

QVIDAM religiosæ vitæ vir moriens, Ionam, *Ezechielem, & Danielem Prophetas vidit, visos cognouit, cognitos salutauit: & dum reuerentiæ illis, quos nemo alius cernebat, cum multi adessent, officium exhibet, mortem oppetijt. Idem.*

MEROLO Monasterij Gregoriani Romæ Mo*nacho, egregia morum sanctitudine prædito, in quiete visum, coronam candidissimis floribus contextam è cœlo labi, ac super caput suum sisti. Post hæc aduersa valetudine agitatus, cum magna animi alacritate diem obijt extremum. Anno deinde decimo quarto, Petri Abbatis iussu, aperto eius sepulchro, incredibilis odoris inde suauitas ex-*

hala-

halauit. Qua ex re illud, quod per somnium viderat, verum fuisse cognitum est. Idem lib. 4. cap. 47.

Galliæ Romanæ, Christi ancillæ, ex cancro *ægrotanti Gregorius autor est, Apostolum Petrum apparuisse, atq; illam vt secum veniret, inuitâsse, eò quòd peccata eius dimissa essent. Hanc visionem cum alijs ipsa retulisset, corpore exuto cum illo vtiq; abijt, cui claues data sunt regni cælorum. Idem lib. 4. cap. 11.*

De Musa puella idem Gregorius cap. 17. tradit, *ei per visionem nocturnam, Dei genitricem Mariam cum Virginum choro apparuisse, atq; iniunxisse, vt risu iocisq; & omni vanitate abstineret. Futurum enim, vt post trigesimum diem suo suarumq; Virginum consortio gauderet. Inde morbo implicita, & tandem die qui prædictus fuerat imminente, eadem visione iterum consolata, quasi vocanti respondere cæpit, Venio Domina, venio. Sub ijs verbis efflauit spiritum.*

De Probo Reatino Episcopo memoriæ proditum est, *quod cum ex languore mox se decessurum cognouisset, omnibus qui ei assidere solebant, tum forte summotis, præter vnum puerum, vidit ad se intrantes Iuuenalem & Eleutherium martyres, quorum aduentu conterritus, & repentino fulgore stupefactus, vbi qui essent, didicit, fugiens prorupit è cubiculo, familiam clamore concitat: Ad locum, vbi Episcopus iacebat, concurrunt, neminem inueniunt, præter corpus eius iam exanime. Marul. lib. 6. cap. 16.*

Divi Hieronymi corpus, cum spiritum reddidisset, *subita lux circumfulsit, visi sunt angeli, & Christi vox audita, qua illum ad possidendum cæleste regnum*

inuitaret. Lux cum Spiritu abijt, odor suauissimus cum corpore remansit. Eadem hora Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus animam eius angelicis manibus gestatem, cœlum versus tendere conspexit. Eodem die sancta hæc anima miro radians fulgore Augustino Hipponi apparuit. Turoni etiam duo Monachi lucentem globum aëra transire. & inde dulciter canentium choros audiri, dum admirantur, intellexerunt Hieronymi presbyteri animam tunc apud Bethlehem defuncti, ab Angelis ad Paradisi quietem ferri, &c. Idem.

AVGVSTINVM, quo die corpus eius mandatum *sepulturæ fuit, Monachus quidam procul inde manens, & in spiritu raptus, vidit infula & pontificalibus indumentis insignem, sedere intra nubem candoris eximij: de oculis eius promicantes radij, totam illuminabant Ecclesiam, & vbique incredibilis odoris fragrantia nares oblectabat. Posthæc à Bernardo Abbate visus est, dum per noctem sermones à fratribus in Ecclesia legerentur, limpidissimas ore aquas vomens, quibus totum Ecclesiæ pauimentum supra modum inundabat. Idem.*

FRANCISCI Assisiatis (â quo Minorum Ordo *cœpit) vt vita, ita vitæ finis nobilis ac magnificus fuit. Quo expirante, quidam fratrum animam eius, in stellæ specie de ore emicuisse, cœlumque petijsse vidit. Eadem illa hora minister Terræ laboris grauiter ægrotans, cum iam deficiente spiritu, & languescente lingua obmutuisset, repente in vocem prorupit, dicens: Expecta me pater, expecta me. Et interrogatus, Patrem Franciscum se videre dixit, multa cum luce cœlum versus tendentem. Hoc dicto, de corpore exijt, & verba re comprobauit, illum*

conti-

continuò sequens, quem cernere se aiebat. Marulus libro 6. capite 16.

MONACHVS quidam S. Andonei Rhotomagensis, *nocte amicam inuisurus, de ponte in aquam cecidit, atq; submersus est. De anima verò Dæmones & Angelus certant. Res communi consensu ad Ricardum Normanniæ Ducem, vt is litem dirimat, defertur. Is talem fert sententiam, vt corpus in eundem pontem, restituta prius anima, collocetur: ac si Monachus eam, quæ ad amasiam ducat, viam fuerit ingressus, Diabolorum sit in potestate: sin ad suam Ecclesiam pedes retulerit, penes Angelum sit anima. Quo facto, Monachus ad suum Monasterium regressus est, sicq; anima ex Dæmonum liberata creditur faucibus. Ranulphus libro 6. capite 7. in Polychronico.*

CVM ad defuncti Monachi cuiusdam cadauer *Missa celebraretur, ad cantum, Agnus Dei, ille ex feretro exiliјt, Deum blasphemans, crucem ligneam osculandi causa oblatam conspuens, Mariam conuicijs incessens, & psallentes deridens, quod horrendis inferni cruciatibus destinatus esset. Monachis verò sese flagellantibus, pectora pugnis verberantibus, precesq; fundentibus, miser saniori recepta mente, Christi omnipotentiam laudare, Satanæ renunciare, crucem adorare, & fornicationem post susceptũ Monachatum perpetratam confiteri cœpit, Deumq; laudans altero die placidè expirauit. Vincentius libro 25. cap. 62.*

MONACHVS quidam apud Gallos, animam *hominis perdidißimi & profligatißimi, qui tamen in agone mortis monasticum habitum induerat, à Dæmonibus cate-*

nis ignitis vinciri, & ad tartarum pertrahi vidit: Sed tandem interuentu Benedicti liberari, quod eius habitu ornatus, nihil mali egisset. Item, Maio Cassinensis Monachus, qui noctu à Diabolo è sublimi fenestra præcipitatus ceruicem fregerat, cuidam eius cœnobij alumno, (id enim multis precibus petierat conuentus ille) in somnis à Diabolo sibi hoc mali irrogatum queritur: sed D. Benedicti liberatum esse auxilio. Hinc eleemosynæ & psalmodiarum numerus pro defunctis, in consortio illo creuerunt. Chronic. Cass. lib. 4. cap. 4.

D. GERMANVS cum ad Turnodurum venisset, *cuiusdam discipuli, qui è Britannia se secutus fuerat, sepulchrum inuenit: quem cum euocâsset, rogâssetq́ue ánne vlterius secum militare vellet? Respondit, Sat sibi esse militatum, seq́ue cumulatissimis militiæ præmijs perfrui: proinde orare, se missione donaret. Quiesce Germanus inquit, ac vale. At ille deposito mox capite, in Domino obdormiuit. Cùm Augustodunum iter faceret, ad Cassiani Pontificis tumulum, Scythia oriundi, non sine magna turba peruenit. Cunctis audientibus, è tumulo, Quidnám ageret, & quomodo sese haberet, interrogauit, Dulci quiete, inquit, perfruor, & expecto Redemptoris aduentum. Ad quem Germanus, Quiesce igitur, & pro salute nostra diligentius intercede. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.*

PASCHASIVS Apostolicæ curiæ Diaconus, *pietate erga Deum & homines præstans (vt à Gregorio traditum est) nisi quòd contra Symmachum iam omnium suffragijs maximo Pontificatu dignum iudicatum, pertinacius quàm fas erat, pro Laurentio, quem ipse digniorem censuerat, stetit: cum hanc culpam post mortem lueret, à Ger-*

mano

mano Capuano Episcopo in Angulanis thermis opera serui fungens inuentus est. Qui Germanus vt causam didicit, abijt, & per dies aliquot pro illo supplicationem fecit, sicut ipse rogauerat, atq; eodem rediens, liberatum onere illo cognouit, quem iam ibi non comparere animaduertit. Marul. lib. 5. cap. 11.

PRESBYTER quidam Centumcellis, cum ad balnea *lauatum venisset, & homini qui ibi sæpè iam illi operam lauandi gratuitam præstiterat, panes aliquot muneri obtulisset, accepit ipsum eis non indigere. Loci enim illius dominum fuisse, & post mortem ibidem angustiari, noxæ cuiusdam expiandæ causa, piaculiq; soluendi: tamen multum profore ei, si ipse panem consecratum Deo offerendo, pro illo oraret. Quamobrem presbyter sacram hostiam obtulit, Deum precatus est, ad balnea redijt: sed non inuento homine, à pœna liberatum intellexit. Idem.*

BENEDICTVS X. Pontifex Maximus, cum *mortem obijsset, Iohanni Portuensi Episcopo apparens, confessus est se Odilonis Abbatis precibus ab æternæ mortis periculo seruatum. Se autem ideo tunc ei apparuisse, vt ipse eundem Abbatem rogatum iret, ne sibi in flammis purgatorijs ardenti subtraheret auxilium, quod ferre adhuc in corpore viuenti consueuerat. Hoc nuncio sibi allato, Abbas & ipse suppliciter pro illo orauit, & omnibus qui cum ipso erant Monachis, vt itidem facerent, iniunxit. Haud ita multò pòst, Benedictus totus lucidus ac refulgens apparuit Edelberto Monacho, seq; à purgatorio ad beatitudinem translatum dixit. Odilone ac Monachis pro se deprecantibus, deinde & ipsi Odiloni sub eadem forma se osten-*

dens, gratias egit, eo quod tam grande beneficium per eum potißimè accepisset. Idem ibidem.

ROBERTVS GAGVINVS refert, Iohannem *Anachoretam Ansoaldo Pictauorum Episcopo narrâsse, se à quodam sene reuerendo ex somno excitatum esse, ac iussum orare pro anima Dagoberti Regis Francorum, eadem hora defuncti. Id verò cum fecisset, in medio mari se turbam Dæmonum conspexisse, qui animam Regis cymba deuehentes, ad pœnas rapuerint: Illam verò contra eos frequenter opem Martini, Mauricij & Dionysij Martyrum inclamâsse, ac mox procellam cum fulgure & crebris imbribus exortam esse, & tres illos viros candidis vestibus ad se venisse, profitentes se eos esse, qui inuocati velint Dagoberto opitulari: ac sine mora animam supplicis Regis tormentis, exemisse, & secum in cœlum asportasse. Sigebertus in Chronico, circa annum Domini 645. narrat cuidam reuelatum esse, animam Dagoberti ad iudicium raptum, accusari à multis Sanctis, propter Ecclesiarum expoliationem: Ac malis Angelis eam abripere conantibus, Dionysium Parisiensem Martyrem interuenisse, eamq́ liberâsse, modo pœnitentiæ præscripto, vt ad honorem Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quos offenderat, Ecclesiam ædificaret. Nauclerus Generatione 21.*

MAVRILIVS Rothomagensis Episcopus, post *mortem templo inferendus, resumpta anima circumstantibus dixit, vltima Pastoris vestri verba percipite, Naturaliter mortuus sum, sed vt quæ vidi, vobis nunciarem, reuixi, nec diu superstes ero. Ductores mei, quorum vestitus vultusq́ longe pulcherrimi, sermoq́ iucundißimus erat, mihi versus Orientem eunti pollicebantur Paradisum, Hie-*

rosoly-

rosolymisq́; peracta sanctorum adoratione, ad Iordanem tendinus, cuius accolis comitatum nostrum augentibus, lætitia mihi suborta est. Cum autem flumen transire maturarem, Comites Dominum præcepisse referebant, vt peccata venialia, quæ prius confessione non dilueram, pauore ex aspectu Dæmonum concepto purgarentur. Et extemplo astitit tantus teterrimorum Spirituum exercitus, hastas acutissimas vibrantium, ignesq́; euomentium, vt aër totus ferreus, flammeusq́; videretur. Quo spectaculo supra modum horrui. Vt igitur vestræ saluti consulatis, hoc recepto habitu vobis dixi. Statimq́; iterum expirauit. Vincentius lib. 25. cap. 4.

MACARIVS ALEXANDRINVS, dum aliquando *per Scythioticam solitudinem deambularet, caluariam hominis humi iacentem conspicatus, cœpit per Christum Iesum obtestari, & interrogare, cuiàs fuisset dum viueret? quóue nunc in loco animus quondam inhabitator suus degeret? Aridum os, carneq́; & neruis nudum, prorupit in vocem, ac se gentilem fuisse, proximiq́; vici indigenam respondit: nunc verò in foueam barathri infernalis tam altè retrusum angustiari, quàm procul à terra distet cœlum. Sed etiam se inferius corruere Iudæos incredulos, & ipsis inferius hæreticos Christianos, qui reuelatam diuinitus veritatem mendacibus peruertere sententijs moliuntur. Idem.*

CYRILLVS hierosolymitanus Episcopus refert, *dum mæstus oraret, indicari sibi petens, qualiter se haberet Ruffi nepotis sui nuper defuncti anima: se fætorem primò sensisse supra modum grauem, neq́; naribus omnino nisi compressis tolerabilem: mox deinde ipsum Ruffum con-*

spexis-

spexisse catenis candentis ferri præcinctum, flammas fumo mixtas ore vomentem, & toto prorsus corpore ex ardoribus, quos intra se habere videbatur, scintillantem. Cumq; hoc spectaculo conterritus miraretur, & vehementer expauidus quæreret, quam ob culpam iuuenis moribus integer, & ob id quondã omnibus charus, talibus pœnis dignus iudicatus esset? ab eodem didicisse, nihil ei aliud crimini fuisse datum, pro quo ita vexaretur, præter aleæ lusionem, quoniam ipsa identidem vsus esset, & leuissimum vel nullum pecatum existimans, illud Sacerdoti confiteri neglexisset. Idem.

QVIDAM in finibus Valeriæ prouinciæ ægrotans, *priusquam Seuerus presbyter ad ipsum à peccatis absoluendum adueniret, diem suum obijt. Mox die eodem, Seueri lachrymis ac precibus, annuente Domino reuixit. Interrogatus, quid sibi cum è corpore migrâsset, contigerit? Respondit: Se à quibusdam hominibus nigrioribus, quàm Aethiopes sunt, & qui ore naribusq; ignem efflabant, repente correptum fuisse, & per opaca loca atq; aspera raptim deductum. Sed cum adhuc duceretur, à candidissimis iuuenibus, multaq; luce coruscantibus obuiam factis dimitti, ac vitæ pristinæ restitui iussum, quòd dicerent, Seuero presbytero hoc poscenti Deum concedere. Igitur cum peccata sua eidem confessus pœnitentiam peregisset, die septimo iterum, sed felicius obdormiuit. Marulus ex Gregorio.*

QVO tempore Gothi Italiam vastabant, Reparatus *Romanus, improbus magis quam ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit: Et mittite, inquit, ad Ecclesiam Laurentij Martyris sciscitatũ, quid Tiburtius pres-*

byter

byter agat? vidi enim eum rogo impositum acriter torreri: Vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cœlum lambere videbatur: de flamma quoque vocem erumpentem audiui, quæ indicaret, quis ille esset, cui hæc pœna parabatur. His enarratis, repente obmutuit, non sidere, sed morte percussus: atque iterum illuc, vnde redierat, abijt. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalâsse compertus est, de quo hominum præiudicium factum fuerat, nemine non vitam illius detestante. Cum enim presbyter esset, nihil presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Idem.

STEPHANVS ROMANVS, vir sua ætate illustris, *Constantinopolim profectus, in valetudinem incidens, vita decessit. Et quoniam ij, qui illum comitati fuerant, officij gratia corpus eius ad patriam referre volebant, quæsitus est pollinctor, qui illud exenteratum sale condiret, ne in itinere putresceret. Pollinctore tunc non inuento, is qui mortuus iacebat, die postero exurrexit viuus, vixitque postea non parum diu, sed minus quàm debuit emendatè. Adeò quosdam ne visa quidem horrenda terrent, vt se corrigant. Narrare solebat, tunc se ad inferos deductum, vidisse formidabilia illa, quæ olim audita non crediderat: & dum veluti reus ante Iudicis tribunal sisteretur, dimitti iussum, reprehenso errore eorum qui ipsum adduxerant, cum non ipse, sed Stephanus ferrarius adduci iussus esset. Se itaque restituto, eadem hora ferrarium hunc vicinum suum defunctum fuisse, & tanta visionis fidem fecisse, ne somnium putaretur. Marulus libro 6. capite 14.*

GVLIELMVS puer annos natus quindecim, *noctu per virum quendam splendidum in locum tormento-*

rum infernalium duci sibi visus est. Ac cum variјs modis miserè homines excruciari vidisset, tandem ad ipsum Diabolum, in medijs flammis ignea sella quasi pro tribunali sedentem, defertur. Mox teter quidam Spiritus prosilit, puerum accusans: Omnia, inquiens, praua huic puero semper suggessi. Verum eorum peccatorum, quæ puer paulò antè presbytero confessus fuerat, nulla prorsus facta est mentio. Puer suadente ductore, crucis signo se muniens, omni damnationis metu eximitur. Vincentius libro 27. cap. 84.

IN Sabinorum prouincia Monialem quandam *fuisse traditum est, quæ corporis castitatem seruans, linguam procacitatis vitio polluebat. Cumq́ue diem obiјsset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, æditus nocte intempesta Ecclesiam ingressus, vidit illam ante altare distentam secari per medium, partemq́ue superiorem igne cremari, inferiorem verò relinqui intactam. Manè igitur visa fratribus narrans, dum locum, in quo eam vri conspexerat, ostendit, deprehensa sunt in marmoreo solo ardoris vestigia. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogor. cap. 50.*

INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS, ITA VT VICE LOCORVM COMMVNIVM ESSE possit, iuxta seriem alphabeti.

A.

Abiuratio Dei pag. 192. 195. 198. 213. 215. 218.
Abortus in tota domo 227
Ablabius 267
Abaris Theologus 284
Abbatissæ cuiusdam insignes imposturæ 75
Absentia vt præsentia notata 87. 88. 124
Absoluens sontem pœnam eius in se conuertit 211
Achilles procul lædens 232
Achillis manes euocati 131
Acherusa cauenda 249
Actius Nauius puer 289
Actæon 32
Aconiti inuentrix Hecate 116
Acus ænea ex stomacho 155
Actia mater Augusti 343
Actius vicecomes 461
Adelitti, arioli 291
Adelheida nobilis fœmina maga 312
Adrianus Imperator 369
Adelbertus Bohemiæ Episcopus à febri conualuit 432. *eius digitus* 401
Adelgisius 447
Adulteria, quomodo à magis vindicentur 124
Aedes infestæ spiritibus malignis 204
Aedes in irreligiosi exustæ 449
Aedium ruina 204
Aedificia magnifica & splendida 25. 53.
Aegidius Garnerius Lugdunensis magus 217
Aerei viri 238

Aeneas 240
Aethra ibidem.
Aeschylus poëta tragicus 247
Aegineta cauendi 260
Aeaci fanum 260
Aedesij agilitas 284
D. Aegidius 427
Aemulatio armorum ac vestitus 306
Aethna architectus 13. eruptio prædicta ibid.
Aega insula 33
Aesculapius 324. 364. 389
Agilulphus Dux Taurini 277. 297
Agiæ effigies 284
Agrippa 290
Agathocles 314
Agnes coniux Leopoldi Marchionis Austrÿ 421
Agatha virgo 429
Agamemnon 319. 379
Αιμα 239
Aimarus Episcopus Aniciensis 461
Alexander VI. Pontifex 169
Alexander Rex Epiri 249
Alexander Medices 371
Alexander Magnus 275. 303. 304. 315. 322. 333. 345. 360
Alexander Seuerus 276. 292
Alexander Tertius Scotiæ Rex 3
Alexander ab Alexandro 44
Albigerius omniscius 285
Albericus 312
Albericus puer à D Petro & angelis gestus ad paradisum & infernum 465
Albertus Magnus 142
Alchimista a Diabolo illusi 93
Alcibiades 334
Alcimene mater Iasonis 149
Almoganeni arioli 291
Aleatores duo 443
Althemenes patrem fato cadit 233
Alphonsus Rex Arragonum 283
Amasis Aegyptiorum Rex 188. 393
Ambrosius Episcopus Mediolanensis 412. 416. 421. 462
Amilcar Carthaginensium Dux 314. 353
Amor magicis artibus nitens 124. 125. 152
Amoris intemperantia 163. 174
Amoris balnea 131
Amphiaraus augur 289
Antichristus 280
Antoninus Caracalla 339
Antoninus 278
Anguis 92 29
Angues duo 297

Antharis Longobardorum Rex 297
Andreas præstigiator Italus 163
Anulus secretorum index 160
Anulus loquens 188
Anulus 121. 409
Androgyna venefica 230
Antiochus Tibertus chiromantes 268
Antonius triumuir 279
Antonius Vrcæus Codrus 4
Antonius Heliogabalus 146
Antonius à Leua 313
Annæus Seneca 322
Angeli duo bonus & malus Constantinopoli circumeunt 23
Angelus coronam imponit Geysa 415
Angeli & Dæmonis de anima defuncti certamen 471. 476
Antiocheni populi seditio 46
Antiochia excisa 11
Animæ defunctorum 80
Andronicus Comnenus 147. 294. 410
Anagyrasius genius 389
D. Andreæ crux vita 415
D. Andreas apparuit 416. monachum cædit 438
Antonius Sucquetus eques auratus 96
Apuleius 225
Appius Claudius 251
Apollonius Aegyptius 275
Aper 277. 292. 300. 34. Calydonius 372. calydonius æneus 148
Apollonius Tyaneus Philosophus & Magus 14. 119. 127. 129. 131. 141. 146. 160. 275. 294
Apollo 16
Apelles monachus 17
Appion Grammaticus 121
Apis Aegyptiorum Deus 248
Aqua præstigias prodens 161. 171. 224
Aquæductus Valentis Imperatoris 274
Aquilonares populi 37
Aquila aufert exta à sacrificijs 363
Ara exstruenda vbi homo cursu demersus 241
Arbaces 245. 261
Arbor loquitur 130
Argos 256
Arcesilaus 257. 310
Artaxerxes 261
Areta Arabum Rex 275
Arietis caput vnico cornu 306
Araneæ tela alba 309
Aristeus Procomasius poëta 340. annis post obitum apparuit 24
Aruspicina in Hetruria autor Tages 50

Ariolorum indicijs confirmatur potentia Satanæ 107
Arngrimus Sueticus pugil 134
Arnuphis magus Aegyptius 138
Arbores media hyeme efflorescunt 142
Aristodemus Rex Messeniorum 333
Aristides Rhetor 360
Artabarus Persa 378
Area Lycæi Iouis 387
Ariulphus dux Spoletanus 417
Asinus 223. 126. 161. *interest lectioni Ammonij Philosophi* 224
Ascletarion Mathematicus 264
Aspasia 323
Athenienses 260
Atheniensem adire Aeginam capitale 16
Atterius Ruffus 336
Attila 363
Atronius Maximus 365
Aulus Pompeius 242
Augustus Imperator 262. *eius interdictum* 318
Antharus Longobardorum Rex 277
Auri metallum 297
Aulides 303
Aurelianus Imperator 14. 371
Auicula suauissimè canens 62
Auium voces intellectæ 125
Aues humanas voces edunt 148
Auxesiæ simulachrum 378
S. Augustini reliquiæ 432
Auitus Abbas Carnotensis 449.

B.

Banquho Scotus 6
Basilius Imperator filium defunctum viuum videre cupit 132
Basilius Mathematicus 272
Balneatrix saga 172. 173
Batabaces sacerdos 242. 299
Barba 261
Bartholomæus Codes Chiromantes 269
Basilasius vates 285
Barnabas vicecomes 311
Baptista Cardanus 330
Bardas Purus 411
Bacchus 374. 375
Basilius magnus 430
Basilius Macedo Imperator Constantinopolitanus 413
Benedictus VIII. Pontifex 22
Benedictus IX. Pontifex magus 22
Benedictus X. Pontifex post obitum apparet 473

Bello visa phantasmata 38.134
Bellum inter Danum & Suecum 136
Bellum inter Romanos & Quados 138
Bestia nefanda cæsa pecorum salus recuperata 207.227
Beletes Chaldæus 261
Bellum Punicum secundum 273
Beta Gammam persequitur 278
Bellizarius 278
S. Benedictus apparuit 413
S. Benedicti corpus 420
D. Bernhardus 422
Biebrana saga 230
Biarmi 293
Blasphemæ artes magicæ sacerdotum 139.226
Bos intelligens 140. sacris sponte sistit 361
Bœotij 260.362
Bonifacius 278
Boleslaus Pudicus princeps Polon. 281
Bothnici 293
Boreas 367
Bonifacius Episcopus Moguntinensis 433
Boleslaus III. Bohemorum dux 451
Bruno Episcopus Herbipolensis 58
Braccius Motonensis dux 271
Bubo 291
Bufones baptizati 227.228
Bulgari 133
Butyri coactio qua ratione impediatur 187
Byzantium 11.301

C.

Castus 2
Caius Hostilius Mancinus 92
Caius Iulius Cæsar 7.237.290.336.356
Canes 11.64.67.101.163.157.164.154
Canis lignea 300. in templo Mineruæ 394
Canis rabiosi morsus sanatus punctione nasi 208
Castor & Pollux visi 30.52.366
Caius Cæs. Caligula 34.91.252
Caput infantis cætera deuorati loquitur 51
Cadauer defuncti hominis non putrefactum 79
Cardani spiritus familiaris 84.121
Cæsi in prælio exactè numerãtur à diabolo 87
Caianus 125
Caballus venditus 171
Caseus in feras transmutans 160.223
in Capillis capitis ars & magia 17
Carnifices à veneficis in ipso supplicio læsi & cæsi 180.184
Cauponis fraudulenti in re familiari infelicitas 185

Carolus IX. 210
Cadauera defunctorum quasi viua sustentat diabolus vt fidem faciat magis de artibus suis 211
Cambyses Persarum Rex 246. 351. 388
Caßius Iureconsultus 252
Carthaginenses lixæ 254
Carolus V. 313
Caius Gracchus 327
Caius Terentius Varro 376
Calphurnia vxor C. Cæsaris 328
Callicratides 348
Cabirorum Thebanorum religio 375
Capra sponte se offerens sacrificio 393
S. Cataldus 418
Carolus VIII. Galliæ Rex 419. 448
Carolus Magnus 420
Calixtus Papa 423
Calix aureus ereptus Cœnobio S. Benedicti 447
Campanæ sine vllius impulsu sonant 433
Capsa cruentans 448
Catena D. Petri 452
Caluaria hominis loquitur 475
Cannensis clades 273
Cæmentarius à saga sanatus 207
Cæcitas sanata 391. 392. 428. 441. 456.
Cælibatus sacerdotum 438
Cereum simulachrum Duffi Scotorum Regis 128
Cera ex ore 155
Cerea imago subter limen defossa 180. 204
Cereris nemus 388
Cetorum effascinatio 141
Cetus 360
Celeritas itineris 158. 159. 166. 192. 193. 194. 219. 370
Ceruus apparet 415
Charta ignis vstioni non obnoxia 133
Chartas lusorias fert Curio putans se ferre breuiarium 206
Christum blasphemantis incantationis exemplum 139. 226
Christi vox audita 469. clauus 437
Childeberti Regis vxor 203
Changius primus Tartarorum Imperator 354
Chutbertus Episcopus 414
Chutberti vexillum 415
Chrysantus manu post obitum subscribit 463
Cinis depluens 23. à ventis non dißipatus 372
Circe 116. 223
Cimon Atheniensis 335
Cicero 340. 344
Clementia in rebelles 14
Claui, ligna, vitra, crines, &c. à dæmonibus corpori humano immissa

missa 21. 155. 156. 157. 158. 228. 182
Cleriacum locus conuenticuli maleficarum 214
Cleomenes Rex Spartanorum 256
Claudius 264. 344
Claudia Vestalis 369
Clodoæus Francorum Rex 431
Clauus Christi 437
Clauis Petri aurea 447
Cneus Pompeius 350. 351
Constantinus Episcopus Cypri 441
Constantinus Imperator 16
Contumelia parentibus illata vindicatur à Dæmone 41
Cobali 45
Constantij Imperatoris genius 55
Comitia Augustana 70
Coruus loquitur 84. Alexandri Magni humerũ percutit 304
Corui albentes indices sedis Bœotiorum 239
Constans Imperator 92
Conuiuiorum magicorum exempla aliquot 142
Concubitus cum dæmone 172
Cornix locuta 84
Corona Rosa aurifodina Annabergensis 201
Corona aurea exardens 230
Codrus Rex Atheniensis 241
Compedes 256
Columnæ caput amputandum 267
Conradus 402
Conradus II. Cæsar 421
Colomannus Vngariæ Rex 421
Cosroes Rex Persarum 457. 460
Comnenus Imperator 451
ad Crucis signum diaboli disparent 16
Crucis signum 173
Crescentius Legatus Pontificis 67
Craca Regneri pugilis Dani vxor 124
Cribrum à iuuene agitatum 187
Cribro peruestigatio inita de maleficiis 207
Cribro hausta aqua 138. 368
Crœsi filius mutus 232
Crœsus 257. 307. 334. 366
Creophilus 299
Crudelitas in seruum à Ioue vindicata 365
Crux Christi amissa 452. ostensa Constantino Magno 454
Ctesiphontem transire armis rom. nefas 280
Curtius Ruffus 5
Culices vrbe exacti 141
Culter in corpus immissus 157. 158
Curatio morborum magica prohibita 200
Cygnus nauem catena aurea ducens 27
Cytharœdus noctu in vndis ludens 38
Cytharœdus interfectus 386

Cynocephalaa herba contra omnia veneficia 131
Cyrus Rex Persarum 235. 320. 342
Cyanippus Syracusanus 374
Cyaraxes Medorum Rex 383
Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus 475.

D.

Damascius Syrus Simplicius 13
Datius Episcopus 17
Δακτυλομαντεία 187
Daphidas Sophista 248
Darius 307. 351
Damiæ simulachrum 378
Dagobertus Rex Franciæ 430. 434. 474.
Daniel Propheta visus 468
Dæmones ædibus exacti 17
Dæmon Moguntiæ per triennium versatus 36
Dæmones in fodinis metallicis 45
Dæmon Annæbergensis 45. Schnebergensis Ibidem.
Dæmones in domibus versantes 44
Dæmon defensor templi Iouis 56
Dæmon cum tribus suspensorum cadaueribus procum agit 60
Dæmon per vrbem Rotwillæ vagatur 63
Dæmon viatores vexans 139
Dæmon subter limen defossus 153
Dæmon rem familiarem consumens 185
Dæmon ex ventre muliercula loquens 286. ex ventre Petri Brabantij 287
Dæmoni sese qua ratione obstringant malefici 195. 198. 213. 215. 218
Dæmoniaci 112
Dæmenætus Parrhasius in lupum mutatus 222
Dei contemptus à spectro vindicatus 41
Dei mentio exosa diabolis 107. 192. 193. 194. 195. 197
Deuotio sui ipsius pro patria 241
Delos 384
Demophon vates 315
Demetrius 345. Spartanus 153
Demetrij sepulchrum 460
Dictum Epicurei cuiusdam Halberstatensis & pœna 67
Dies bellicosus 92
Dion Syracusanus 3. 307. 308
Diabolus in angelum lucis 32. 52
Diaboli ad cænam, per indignationem inuitati, veniunt 61
Diabolus auicula suauissimè cantans 62
Diabolus confitetur parocho 63
Diabolus confiteri iubet ægrū 64
Diabolus specie canis afflat homines vt moriantur ibid.
Diabolus famulus viri nobilis 65
Diabol. famulus in monasterio 66

Diabolus æthiopis specie monachæ se iungit in matrimonium, eiusq; ope insignes edit imposturas 75
Diabolus animam se simulat defuncti 80
Diabolus apparet puellæ precanti ad tumulum patris 81
Diabolus quibus modis propulsetur 82
Diabolus de obsesso pellitur 83
Diabolus docet magum de herbis sanantibus 167
Diabolus papa 170
Diabolus specie Christi apparens 14
Diabolus non tentat quos pleno iure se possessurum sperat 98. 108
Diabolus dehortatur à vitijs 108
Diabolus specie canis 164
Diuinatio 124. Finnonum 293
Dionysius Syracusanorum tyrannus 248. 307. 339. 342
Diocletianus Imperator 277
Dionysius minor 308
S. Diomedes 413
S. Dionysij ossa 430. templum 434. locus cædis 435. corpus minus religiosè tractatum 440
Domina Rossa 112
Domus maleficiis affecta 177. 227
Donata ad pias causas 93. 371
Dorienses 243
Domitianus Imperator 264. 265. 328.
Drusus Consul Rom. 50
Ducum Cliuensium origo 27
Duffus Scotorum Rex 128
Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis 456.

E.

Ebrietas 374
Ecbatana 246
Eduardus III. Anglorum Rex 14. 409
Edmundi Anglorum regis obitus prædictus 50
Eduinus Anglus 5
Edgarus Scotorum Rex 415
Egillus Rex Sueonum & Gothorum 162
Eiulatus & lamenta in Thracia 85
Elei Arcades vincunt ope pueri in anguem mutati 29
Eleus 243
Elephantiasis 229
Elfredus Anglorum Rex 414
D. Eleutherij Martyris ossa 430
D. Eleutherius martyr visus 469
Empusa 31
Empedocles 137
Ephesiæ literæ 114
Epaminondas 246
Epixyes Perses 325
Epidaurus ciuitas Peloponnesi 394
Equus Daphidæ Sophistæ inuentus 248

Errantibus in via spectra apparentia 41
Ericus Daniæ Rex admirabilem sapientiam edulio nouercæ acquisiuit 125
Erasmus Episcopus 468
Eremita 448
Euthymus pugil insignis spectrum vicit 33
Euphrosyna Alexij Angeli Imperatoris Byzantij vxor 148
Eumelus 234
Eubœæ cella 251
Euripides 262
Eunus seruus ariolus 316
Eudemus Cyprius 323
Eumenes 345
Euchidas eodem die 1000. stadia emensus 730
Exercitus apparitio 11
Ezechiel Propheta visus 468
Ezelinus Romanus 312. 352.

F.

Famulus Theologi Heidelbergensis in sublime rapitur 64
Familiæ quædam solo verbo, visu effascinante, 113
Facius Cardanus 121
Faciem ciuis Dæmon iussu maleficæ plaga afficit 179
Fach oppidum 184
Fascinatio Magorum 206
Fœmina princeps in familia comitum Andegauensium triuenefica 120
Feronia vrbs 137
Ferdinandus Rex Neapolitanorum 138
Feles 177. 219
Febris quartana curata 188. 200
Ferdinandus primus Arragoniæ Rex 418
Fides vbi non adsit nihil efficitur arte magica 188. 200
Filia matrem de magia accusauit 213
Finlandia, Finni, Finnones 37. 115. 129. 134. 138. 293.
Flamma è simulachro 362. è capite Agnetis 421
Fodinæ metallicæ 45. 253
Fœnus erga pauperes 98
Fœni vehiculum à Zedecia Iudæo deuoratum 143
Fœtus in vtero dissecatur 177
Fortunæ simulachrum 364
Fridericus Austriacus 165
Franquisanum pistrinum conuenticulum maleficarum 212
Fridericus II. 312
Frisia, Frisones 296
Franciscus Assisiates 470
Fundus infestus malignorum spirituum occursationibus 35
Fumus fœdus è vexillo 135
Fulgura 225
Funale exstinctum sponte se accendit 422

Futura

Futura prædicta ab Astrologis 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 276. ab Apolonio Antiocheno 123. ab Aruspice 277. à carmine inuento 273. 274. à Dæmonibus 50. sub specie canis 64. per statuas 86. à Fauno 87. à furioso 278. à Gabieno mortuo sed non sine fallacia 52. à Magis 147. à Mariano comite 277. à mulieribus 127. 313. 217. 284 Ostentis quibusdam seu præsagijs 51. per Oracula 55. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 240. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 279. 283. 367. 390. 392. 395. 406. à quodam mari subuecto 89. per somnia aliasq; visiones 309. 311. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 362. 363. 365. 391. 392. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 425. 427. 428. 456. 468. 469. à Spectris 51. 55. 85. 90. per tabulam inuentam 236. 272. à voce quadam 89. 91. ab Euno seruo 316. à Demophoonte 315. à Sibylla 280. 281. à Pherecyde Syrio 282. ab Abari & Agia 284. ab Amphiarao 289. à spurina 290. à captiuo quodã 291 ab alijs quibusdam 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318.

Furta à Dæmonibus punita 93.

G.

Galeacij Sfortiæ Spectrum 9

Gadara thermæ in Syria 131

Gallus gallinaceus 164

Galli cauendi 281

Gallus assatus ac dissectus à D. Petro restitutus 424

Galba 338

Galla Romana 469

Gamma Betam persequitur 278

Gennadius Patriarcha Constantinopolit. 9. 432

Germanus Antisiodorensis 15

Gello virgo 32

Genius 1. 2. 55. 58. 389

Germanicus à Martina saga occisus 229

Gensericus Rex Vandalorum 278

Genarius Episcop. Beneuent. 401

Genouepha virgo Parisiensis 422. 435. 441. 468
S. Georgius 458
D. Germanus 472
Gilbertus in specu ligatus 146
Gladiatoris spectrum nomine Apollinis sese ostendens 16
Glaucus Spartanus 282. 374
Gouarus Norvvegiæ Rex diuinandi peritus 124
Gregorius VII. Pontifex 146
Gregorius II. Pontifex 438
D. Gregorius Monachum cadit ob ductam vxorem 438
Guteli 44
Guilielmus comes Holandiæ 142. 296
Guilielmus Edelinus Sorbonæ Doctor Magus 192
Guido Maltrauersius Patauinus 268
Guido Appius ibid.
Guido Bonatus Astrologus ibid.
Guido Balneus Guerra ibid.
Guanoræ sepulchrum 441

H.

Hadingus Rex Daniæ 130
Hadrianus VI. Pontifex 153
Haquinus Norvegiæ princeps 134
Hadrianus Imperator 265. 345. 392
Hadrianus Cornetanus 314
Hannibal 250. 347. 355. 376.
Habitus monasticus 471. 472
Henricus VII. Imperator 9
Henricus III. Imperator ibid.
Hecate Persis filia 116
Hesiodi ossa 233
Henricus Boëmus Astrologus 271
Helius Cinna poëta 337
Hecuba 351
Hercules 374. 376. 393
Henricus II. Imperator 407. 461
Herbæ sanantes à diabolo monstratæ 167
Herbæ de tumulo Nicetij febrim sanant 426
Hieronymus Moron 188
Hispaniola 244
Hierusalem 260
Hippocrates 309. 320
Hipparchus 335. 356
Himeræa fœmina 339
Hippias 341. 356
Himilco Carthaginensium Dux 376. 383
D. Hieronymus 468
Hotherus Rex Sueonum & Danorum 7
Hortationes ad facinora 91. 92
Hominis mactatio 118. 120. 191. 216. facit 202. 203. 210. 218. 219. 166
Homines lupi formam assumentes 126
Hospites mactati 116
Homeri vmbra 131

Hostia sacrosancta 191. 228. 438. 439. 450. 473. veneno affecta 216. asino tradita 139. 226
Horatius Perusinus 330
Honorius 416
Hospitius 432
Hungus Pictorum Rex 415.

I.

Iacobus Donatus 4
Iamblichus Magus 5. 123. 130. 131. 147. 164
Iacobus Iodoci de Rosa 121
Iarchas Indus 123
Iaculum Magicum è plumbo ad lædendos longè dißitos 129
Iaculando in aërem cadens magus 229
Iannes 293
Iason 148
Iacobita Necromantes 191
Iambonus Andreas Astrologus 268
Iapyges 377
Iacobus Zebedæi 420
Ianur Boleslai III. Bohemorum ducis frater 451
Iacobus Apostolus visus 463
Idolatria 63. 78. 80
Idea Magna Mater 242
Ieiunium 403
Illusiones Satanæ in demonstrandis magnificis & splendidis ædificijs 25. 53
Illusiones Diaboli in sagis 159
Ilus 377
Ilota 386
Imbres excitati 138
Impostura Diaboli insignis opera Abbatissæ facta 75
Impotentia virilis 129. 393. 174. 188. 189. 190. 191
Impudicitia mulierũ detecta 392
Immunitas ab ictibus armorũ 429
Imagines sanctorum 408
Imago D. Mariæ à S. Luca depicta 425
Imago Christi 426. 443. 444. 651
Imago D. Mariæ 429. 441. 442. 444. probro affecta à Iudæo 442
Imaginum cultus 428
Imago D. Ioannis 442
Incubus Merlinum genuit 286. in naui deprehensus 20. famulam ciuis Constantiensis compreßit 21. Mercatoris vxorem stuprauit 22. sacrificulum specie muliercula subinde affligit 40. sacerdotis filiam agitat 111
Indicia Iarchi vera 123
Indicia Dæmoniorum mendacia, & ad periculum innocentium comparata 36. 101. 107. 171
Inobedientia erga parentes 41
Inferi à quodam perlustrati 47. 477. 478. 465.

Infans matri ereptus 96
Incendium opidi à venefica patratum 104
India 113
Indusium magicum 135
Ignis è ligno euocatus 137. ex manica 146. Sponte è carbasa 358. cœnosa palude 439. è domo erumpens 435. de cœlo 23. 433. ex viridi 367. è capite equitis 461. è simulachro 362. non vrit 363. 400.
Infans ab incantatricibus coctus ad excitandas tempestates 166
Incantatrices duæ artibus suis conficiuntur 168
Intestina è ventre extrahi visa 181
Inuisibilis 222
Infans recens natus loquitur 282. ambulat 182
Infans recens natus in aluum regreditur 310
Incestus punitus 374
Incendium signo crucis exstinctum 422
Incendium restinctum corporali calicis 426
Inundatio 458. 373
Ioannes Teutonicus, Canonicus Halberstatensis 151. 166
Ioannes Faustus 164
Ioannes Charterius 192
Ioanna Haruilleria 197. 201
Ioannes Sartorius iudicium Diaboli de Missa rogat 98
Ioannes Magus & Astronomus 267
Ioannes Liechtenbergius Astrologus 272
Ioannes Galeacius 311
Ioannes Euangelista 416
Ioannes Baptista 448. 451
Ioannes Zimisca 417
Ioannes Anachoreta 474
Iouis Idolum loquitur 148
Iouis Ascræi sacra 393
Iouis Statoris Templum 367
Ionathas Iudæus 439
Ionas Propheta visus 468
Islandia 39
Isis 358. Isidis Templum 367
Isaacius Angelus 147. 285. 294
Italus lingua germanica gnarus quam non didicit 83
Iulianus 16. 276. 341.
Iuuenes duo Locrensibus opitulantur 29
Iuuenis eximiæ magnitudinis Romanis opem fert 30
Iuuenis in asinum mutatus 126. 161
Iuditha monialis à Dæmone vexata 97
Iustinus Magnus 275
Iudæus statuam Saluatoris afficit probro 446. statuam D. Mariæ 442
Iuuenalis martyr apparuit 469.

L.

Latronis ossa pro martyris culta 23

Lares in domibus obuersantes 44

Larua 43

Lappi, Lappones 115. 129 221. 293

Lapides loco piscium capti 141

Lacrymæ sanguineæ 170

Laius 234

Lacedæmonij 240. 241. 243. 255. 317. 348 386

Larginus Proclus 276

Laodamia Pyrrhi filia 393

Ladislaus Vngariæ Rex inter diuos 459. *eius corpus* 400

Lancea saluatoris 416. 461

Lampertus Louaniensium Comes 437

Lemurum venatio 16

Leporis spectrum 60

Lepores in capita caballorum ibid.

Legata ad pias causas 93

Leuenstet pagus 156

Leopoldus Dux Austriacus 165

Leo Pontifex 456

Leo Imperator 267. 460

Leonis caput 325

Leo IIII. Pontifex 422

Legatus rubet 254

Leuctridarum tumuli 279

Leuinna Virginis corpus 400

D. Leonhardus 418

Leprosus à duobus sanctis pro parte curatus 423

Litera à Spectro 9. *etiam dictata* 63

Libanius Sophista 147. 164

Lignum in corpore hominis 13[illegible] 182

Ligare ligulam 18[illegible]

Libyssa 250

Libethra 252

Ligneum agmen 253

Lignea canis 300

Linteum quo apostolos detersit Christus 423

Libido castigata 429

Locrenses Crotoniatas vincunt ope iuuenum duorum 29

Loca quo malefica conuolent 192. 193. 196. 197. 198. 212. 214. 126

Ludouicus Sfortia 9. 129

Ludouicus Alodisius 10

Luxus ciuis cuiusdam Halberstadensis 67

Ludi & spectacula magica 120

Ludi Circenses 376

Ludus 444

Lupi formam assumentes homines 126. 218. 219. 220. 221. 222

Lupi de cœlo cadentes 154

Luporum conuenticula ad parietem quendam 126

Lupus sacrilegij index 380

Ludouicus Bauarus 165

L. Septimius Seuerus Pertinax 266
L. Gaurus Astrologus 269
L. Vitellius 275
L. Sylla 289. 299. 305. 328
L. Lucullus 326
Lucus Aesculapij 389
S. Lucas depinxit Mariam 425
Luitprandus Rex Longobardorum 432
Lycurgus 91
Λυκάνθρωποι 220. 221. 222.

M.

Marcus Brutus 1
Marcus Euangelista 458. eius corpus 413
Machabaeus Scotiae Rex 6. 313
Matris stuprator 13
Martinus Episcopus 14. 23. 431. 453
Magdalena Crucia puella 74
Maritus mortuus ab vxore superstite petit celebrari missam 78
Mauricij Imp. obitus praedictus 86
Mactatio hominis 118
Manechonis magica opera 119
Margarita puella 122
Manus spectrum viatores vexans 139
Maabas prouincia 141
Magica subiecta ac defossa 153. 227. 228. 140. alium supergressum afficiunt 201. non laedunt sed diabolus 227. 229
Magus caput amputans & restituens 166
Magus vorans homines & plaustra 166. 231. 141. 143.
Magus ter suspensus 171. caballum euendens ibid.
Magi furorem inducunt 200
Magus propria arte interijt 202
Magus lupi formâ 218. 219
Magus versus coelum ascendens 231
Magi Persici 261
Mater Lutheri 167
Musonius manu post obitum scribit 463
Maleficae ope daemonum corpora hominum malo afficientes 178. 179. 180. 181. 182
Malefica grauida infantem recens natum praestigijs imbuit 182
Maleficus lictores foetore & horrore à se abigit 184
Maleficae euolantes 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198.
Malefici posteriora pudendaque principis suis osculantur 194. 197. 212. 215
Magister Martinettus 96
Maleficarum cum daemone concubitus 197. 198. 199. 200
Maleficae sortibus à se affectam non libenter attingunt 202
Malefica cui nulla quies nisi quotidie malum perpetrasset 213

Malefica cui nulla quies nisi cotidie malum perpetrasset 213
Malefica vncta concidit sensu destituta 214.215.216
Maleficæ non aliter se seruant quàm alios lædendo 227.212
Maleficæ afflatu lædentes 229.180.184
Maleficæ vngendo ianuam interimentes 230
Maleficæ tangentes virga 230
Manuel Connenus 237.239
Marianus Eremita 449
Mathematici 263.264.265.266.267.268.269.270.271.272.276
Martianum carmen 273
Maximini 276.307
M. Marcellus 297
Mahomet 293
M. Arcorius medicus 326
Magnus Sfortia 328.418
Malpaga Sagittarius 329
M. Antonius Taurellus 329
Mardonij seruus 347
Manichæus Magus 364
Manus abscissa restituta ope D. Virginis 400
Maria Vita 405.417.469
Manuel Dux Theophil. Imperatoris 408
Maselcerus 416
Mariæ canusia 461
Mauritius Episcopus Rothomagensis post obitum apparuit 474
Macarius Alexandrinus 475
Menippus 15
Mercurius Tanagræum agrum aduersus Eretrienses defendit 30
Mercedis defraudatio 95
Medea 117.230.149
Mendicus senex 128
Methodius Patriarcha Constantinopol. 428
Membrum virile tabidum ibid.
Metensis Episcopus 437
Messanenses 254
Merlinus ex incubo 286
Medicina Vates 311
Megistias vates 317
Melanthus Messenius 300
Mercurius æditiuus 404
Merdus Monachus 468
Missa eiusq; efficacia 64.78.80.81.95.112.191.288. diaboli testimonium de ea 98
Missa voce submissa canenda 440
Michaël Archangelus 420.458
D. Michaëlis simulachrũ Diabolus sese exhorrescere simulat 104
Michaël Comnenus Palæologus Imperator 252
Michaël Verdunus Pastor 161
Michaël Siciditas Magus 145
Milesius quidam cum Ephesio Olympijs certans 115
Miracula 427.130.360.363.292.441.304.310.154.463.424.127.119.445.446.448.361.400. vsq; 413.

Miles Romaricus 93
Miltas Thessalus vates 307
Mirmillo 328
Mithridates 350. 361
Milo Epirota 393
Miles reuixit 464
Mnesarchides Bœotus caupo 262
Monachi cuiusdam blasphemia in crucem 471
Monachus à spectro elusus 18
Monstrum marinum specie mulieris cum viro vixit 19. 59
Monachus patrem interemit ratus eum diabolum esse 35
Mortui cadauer à diabolis è sepulchro extractum 54
Mortis præsagium mortuæ matris vmbra visa 55
Monachi spectrum in montanis Boëmiæ 59
Monachorum spectra comitia Augustana visentia 69. 70. 71
Monobazus Adiabenorum Rex 89
Moniales à Dæmone vexatæ 97. 98. 99. 100. 101.
Moses Iudæos per mare ducturus 123
Morbi à maleficis sanati 186. 200. 207. 208. 209
Morbos à se inflictos non semper potest curare diabolus 201
Morbus naturâ obtingens sanari à magis nequit 203
Morbi sanandi rationes miraculosæ 359
Monachus vxorem ducens caditur ab Andrea & Gregorio 438
Monialis lingua procax, corpore casta 478
Mors optimum bonum 366
Mori non potuit Adrianus 369
Morbus muliebris 383
Morbi sanati per insomnia 394. 406. 407. à monachis 408. à D. Benedicto 407. herbis de tumulo Nicetij 426. 453 aspectu virginis Lauinnæ 400. imagine Christi 451. corona & clauo Christi 451. pane consecrato à D. Bernhardo 452. intercessione S. Remacli ibid. ad sepulchrũ Martini IIII. Pontificis 400. lectulo de funibus de lectulo Syluestri Cauillonensis Episcopi 454
Mulieris species Alexandro ab Alexand. apparuit 44
Mulier Druso apparuit 50
Mulier post obitum viro cohabitauit 57
Musici concentus 84. 100. 108. 110
Mutum peccatum 101
Mulieres nudis pedibus prunis inambulantes 137
Muthian Dæmon 152
Musonius manu post obitum scribit 463

Mummo Magnus magister vt incolumis seruaretur cadi oportuit filium regium 203
Murem cauere Oraculo iubetur Eumelus 235
Mundus Dux Iustiniani 236
Mulus 257
Mula locuta 412
Muscæ abacta 370
Muscæ adem Herculis non ingredientes 395
Musa ancilla 469.

N.

Naclus arx Pomeraniæ 38
Nauta ollas patinasq; frangit 145
Nauclerus Indus 152
Natiuitas Augusti Tiberijq; 263.
Natiuitas Neronis 264
Natiuitas Iuliæ 266
Natiuitas Ablabij 267
Natiuitas Leonis Imp. 267
Natiuitas Nicolai Comitis Lucij 268
Natiuitas Rodolphi Comitis Habsburgensis 270
Natiuitas Sfortiæ 270
Natiuitas Vladislai & Andreæ filiorũ Casimiri Regis Polon. 271
Nauis ænea contusa 364
Nauis cingulo tracta 369
Nero 258. 264. 338. 344. vexatus à manibus matris 34. vrbem incendens 244
Neuri populi Scythiæ incantatores maximi 114
Neptuni simulachrum 378
Nemus Cereris 388
Nicolaa Alberia 80
Nicephori Phocæ Imp. obitus prædictus 89
D. Nicolaus 421.455.458
Nicetius Episcopus Lugdunensis 426. 453
Nilus 395
Nobilis cuiusdam importunitas erga rusticum 77
Nomen clarè vocatum notat obitum 90
Numa Pompilius 142. 368
Nux Beneuentana conuenticulum maleficorum 196
Nundinæ Isidis 374.

O.

Obsessionis diabolicæ argumentum varietas linguarum 84. 85
Obstetrix malefica 181. pueros susceptos diabolo obtulit & postea coxit 216
Octauius 52. 343
Ochus 261
Oedipus patrem occidit 234
Oeneus Calidoniæ Rex 372
Oleæ Palladi sacra 364
Olympia 91

Olympicis ludis territi equi magicis defoßionibus 140
Omnem lapitem mouere 237
Onocale 31
Opidi dominus male tractans subditos 46
Opicinus rogatus à voce de filio 90
Oracula 233. 372. vide Futura prædicta, &c.
Oraculum Iouis Ammonis incendi iubetur 388
Orationis ominosum exordium 276
Oſſa è corpore exeuntia 182
Oſſa Augustini 432. Benedicti 457. Dionysij 430. Eleutherij 430. Hesiodi 243. latronis cuiusdam 23. Orestis 243. Orphei 252. Remacli 452. Rustici martyris 430. Stephani 453. Vedasti 428
Othinus Magus 130
Otho Imperator vexatus Galbæ manibus 34
Oues Soli sacræ 397
Oxylus 234.

P.

Parentum iniuria in filio à Spectris vindicata 41. 43
Pan 88. 316
Pases magus 118
Paries castelli diruti conuenticulum luporum 126
Panis ingens à muliere in os immissus 143
Paulus Aemilius 241
Pandosia cauenda 249
Pachomius 252
Pandulphus Malatesta Tyrannus Ariminensium 268
Paulus III. Pontifex 272
D. Pauli imago 410
D. Paulus visus 455
Paralysis 456
Panis & vinum in corpus Christi versa & reuersa 464
Paschasius 472
Pelopidas Thebanus 8
Persarum inhumanitas 13
Pestis in Sicilia & Calabria 24. in Italia 391. in Græcia 390
Pestis præsagia 68
Pestis Sebastiano exstincto 454. ab Apolline immissa 396
Pestis expurgata 154. 369
Persarum imperium 273
Persæ præstigijs Dæmonum illusi sagittas emittunt in saxa 27
Persæ fulmine cæduntur ad templum Delphicum 28. 396
Pertinax 55
Peregrinatio religionis causa 80. 81. 95. 112. 158. 200. 402. 406
Perthari 92
Pecunia paranda ars 132
Pelops 133

Pelias tauri sanguinem bibere cogitur 149
Petrus Damianus 160
Petrus Burgottus pastor 161
Pecora à Dæmone affliguntur 184
Pelagus cauendum 246
Petrus Leonius Spoletanus Medicus 269
Petrus Aloysius 272
Pericles 306
Peluis ope vaticinia facta 293
Perusinus sacerdos magus 318
Penates sponte transeunt 358
Pentheus Rex Thebanorum 375
Pegasus 377
Pelta ænea 391
D. Petrus curat mammillam Agathæ 429
D Petrus 455.465
Peccata volumine descripta oratione Basilij deleta sunt 431
Periurium vltum 450
D. Petri depicti frons clauo transfixa 457
Phillenium puella 17
Philippus VVesselich monachus Coloniensis 95
Philimerus Rex Gothorum 115
Philumena Apellis scortum 143. 284
Phiala ferrea 238
Phryges 240
Philippus Macedoniæ Rex 246. 247
Philomelus 256.380
Pherecydes Syrius 282
Phayllus Phocensium Rex 333
Phalaridis mater 353
Phocenses 254
Phocica desperatio 255
Philippides Atheniensis legatus 361
Philippus Apostolus 416
Philippus Deodarius 429
Philacterium reliquijs sanctorum plenum 437
Piscis 300
Piscis monstrum in Cracouiensi tractu captum 39
Picappij 56.115.223.398
Pictor mortem sibi consciuit ob non solutam mercedem 95
Pij possintne lædi præstigijs & incantationibus 168
Picus 304
Plato venditus 16
Pluuiarum inductio & auersio 113.119.183.138
Plebanus negans esse maleficas 176
Plumberus magus 229
Placgilis præsbyter 464
Polis Philosophus 16
Politæ socij Vlyßis spectrum 33
Polycritus Aetolus 51
Poloni 38.135
Πολιτικὴ τὸ δίκαιον 148
Porci venditi 171
Pocula argentea reperta in con-

nenticulo maleficarum 211
Polycrates Samiorum tyrannus 235.335
Posthumus augur 289
Potitij 376
Pompilus piscis 379
Porta Ianualis 397
Promontorium in Islandia ardens instar Aethna 38
Praestigiatores Aegyptij 143.144
Praestigia varia 113.125.127
Pruna 137
Primum obuium cadere iubetur iuuenis 127
Procopius Tyrannus 274
Precatio 367.368.369.372
Psalmi versus prohibens butyri lactè coactionem 187
Psammetichus Aegypti Rex 238.281
Puella nobilis à cacodamone stuprata 19
Puer in anguem mutatus 29
Pugna Pharsalica notata in Thessalia 87
Pueri à diabolo seducti 80
Puella furiosa praesagium 82
Puella obsessa optimum Virgilij versum recitat 83
Puella obsessa Virgilij spiritu 94
Puellam obsessam frustra liberare tentat pastor quidam 97
Puella nobilis iuuenem ignobilem nimium amans 100
Puella obsessa à diabolo ab eodem suffocatur 105
Puella obsessa omnia vorans 106
Puella fabri filia obsessa ibid.
Puella Aegyptia in equum mutata 126
Puella ad stuprum à Satana petitur 171.172
Puella à matertera ad ministerium diaboli coacta 175
Puella à mago casa & deuorata 218
Pupilla bina in singulis oculis 114
Pugna inter Octauium Caesarem & Sextum Pompeium 52
Pueri ligulam ligant 189
Publius Scipio Africanus 306.378
Publius Decius 327
Pulcheria soror Theodosij 412
Pindarus 332
Pyrrhus Epirotarum Rex 241.349.383.

Q

Quadi 138
Quadriga vitanda 247
Quies 257
Quintus Catulus 340.344
Quintus Fuluius Flaccus 381.

R.

Rathbodus dux Frisonum 52
Ραϐδομαύτεια 188
Ramirus Hispaniæ Rex 463
Raphaël ad superos animam cuiusdam gestans 467
Remex Rhodius 278
Reuelatio obscurarum rerum 286
Religio neglecta vel violata 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 393. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450
Reliquiæ Hospitij 433
Repuratus Romanus reuiuiscens 477
Rhea semideæ templum inuiolabile latronibus & spoliatoribus 371
Riolus legatus 189
Rixæ à spectro punitæ 42
Romani incantationibus victi à Bulgaris 143
Romani vincunt Quados ope incantationum 138
Romani 241. 242. 280. 417
Rodolphus comes Habsburgensis 276
Rotvvillæ Dæmon vagatur 63
Rubezal Monachus 59
D. Rustici martyris ossa 430.

S.

D. Sabinus militum patronus 417. 418
Satyri 32
Samuel quidam puer obsessus 85
Sacrifici diabolum frustra tentant propulsare 105
Saga Mediolanensis puerum strangulat & vorat 120
Sagarum somnia 126
Saccharum butyri coactionem prohibet 187
Sanguinem spiritumq́; vitalem dare dæmon nequit 163
Saltatio 198. 214
Sardanapalus Assyriorum rex 245. 262
Sabacus Aethiopum rex 337
Sanguinea gutta de cœlo 361
Sanguis ex statua 445. 446. è capsula 448
Sancti Niceam defendunt 460
Schiltach Germaniæ opidum 104
Sclerus Sethus 125
Scorpij vrbe exacti 141
Scheidami lapides capiunt loco piscium 141
Scriptio in speculo 143
Scedasi filiarum tumuli 279
Scrophæ pragnantis occursus 301
Scheda à defuncto reddita 402
Schelkrop homo plebeius 443
Seleucus Antiochi filius 327

Semobulus Pasetis 118
Sedechias Iudæus magus 120. 143
Sext. Pompeius 52
Serpens morsu hominis necatus 141
Sethus magus 147. 294
Serpens subter limen defossus 177
Sensus hominis obligari non possunt præter virilitatem 191
Semen diaboli frigidum 197. 198. 200
Sepulchrum Romano cuidam adseruatum 296. violatum 376 Messenij 395. D. Valerij 426 D. Leodegarij miracula edit 427. Guanoræ 441. filiarum Scedasi 279
Sepulchri odor suauissimus 468
Sempronius Gracchus 297
Serpens 297. 303. 364
Sethon Rex Aegyptiorum 357
Sesostrates Rex Aegyptiorum 392
S. Seruatius 433
Sergius Martyr 457
Seuerus præsbyter 476
Sestrionis contentio 92
Simonides Ceus 23
Simon Samaritanus 118
Simulachrum Iouis edit oracula 130
Sigebertus Rex Francorum 134
Siphnij diuites fodinis metallicis 253
Simeon Bulgarorum Princeps 267. 292
Sigthunius Rex Suetiæ 297
Signum Iunonis mouetur 360
Simulachrum victoriæ sponte se conuertit 363
Sigillum Mariæ virginis 429
Simulachrum D. Ioannis 442
Somnium Constantij Imperatoris 55
Somnia lamiarum 126. 159
Somnia 391. 411. vide Futura prædicta
Sosipatra mulier formosiss. & sapientissima 124
Soractes mons 137
Sortes ab alio in alium translata 201. 202. 203. 210
Socrates 320. 336
Sophocles 322
Spectrum mortui 3
Spectra viuentium oberrantia 15
Spectrum specie puellæ adolescenti apparens 15
Spectrum gladiatoris ostendens se specie Apollinis 16
Spectra specie mulierum cum viris concumbentia 21
Spectra circumeuntia, colloquentia & homines vulnerantia 24
Spectra Augustæ visa à Leonardo filio sartoris 25
Spectrum Atheniensibus aduersus Persas succurrit 28
Spectrum Thesei Medos inuadit 28

Spectra Græcis aduersus Xerxem pugna nauali auxiliantur 29
Spectra animantium in aëre 32
Spectra in insula Aegæ somnum perpetuò turbantia 33
Spectra obitu Caligulæ prouocata 34
Spectra nocturnis hominum laboribus concentum, ministerium exhibentia 37
Spectra in Islandiæ promontorio fatidica 38
Spectra quasi armatorum acies ad Naclum arcem visa 38
Spectrum defuncti ingreditur lectum amici sui 40
Spectra seducentia à via 41.83
Spectrum Polycriti filiam deuorantis 51
Spectra militum prope VVormatiam 54
Spectra Aethiopum 448
Spectra apud Pilappios 56
Spectra nobilium duorum literas dictant scribendas 63
Spectra messorum 68
Spectra monachorum Rhenum transuecta 69
Spectrum leporis & vulpis 60
Spectra equitum 78.64.158
Spectrum Stephani Hubeneri hominis opulenti 79.111
Spectrum consultum de futuris 90
Spectra in speculum deriuata 121
Spectrum virginis post mortem inter homines versans 162.463
Spectrum venantis in aëre 166
Spinæ è corpore exeuntes 182
Spongia Gregorij II. 438
Spectacula magica 120
Spatha à circulatore deuorata 143
Specus cauernosa 146
Sponsa veneficijs afflicta 174
Spartiatæ 279
Spurina 290
Stephanus Hubener 79
Sterilitatis inductio & auersio 119.230.427.441
Sterilitas agri 372
Strigiles mulieres 126
Striges 159
Stabulum 160
Straminei fasciculi pro portis pro caballo 171
Statius magus non nisi inter dormiendum occidi potuit 217
Statua hominis clauem tenentis 292
Statua in formam Simeonis Bulgari conuersa 292
Stephanus Hegio Christophorita 294
Statua lapidea colaphum incutit 441
Stephanus Romanus 477
Statua sudor 304
Stagnum loquens 310
Stilpo Philosophus 341
Stymphalus fluuius exundans 373

Stephanus protomartyr apparuit 405
Stephanus Vngariæ Rex inter diuos 459
Sudarium à spectro excussum 12
Succuba 94
Sus delet Libethram vrbem 252
Suillæ carnes 325
Supplices necati 385
Symmachi à Theoderico interfecti caput 24
Sydera de cœlo cadentia 154
Syluester II. Pontifex 259
Syngrapha de recuperando quod in pauperes distributum 424.

T.

Tages 49
Tangut regio 83
Tarquinius Superbus 302.309
Tartari 135
Tauri sanguis 149
Taurus ferus pestim fugat 154
Taurus furiosus 162
Taurus index basilicæ 457
Taurus ad pilam alligatur 396
Tarandum animal 398
Tempestatum moderatio & excitatio 119. 130. 134. 138. 166. 183. 225. 226
Terrramotus 161. 360
Telephus Mysorum rex ab Achille procul læsus 232
Terræ filij 239
Teucri Cretenses 239
Tegeates 243.256
Templum Apollinis ædificatū 366. profanatum 378. in Delpho spoliatum à Persis 382
Templum Iouis Statoris 367
Iouis Nemeai 245
Templum Rheæ semideæ 371
Templum Iunonis Laciniæ 371
Templum Isidis inaccessum omnibus præter cui id somno reuelat 374. 367
Templum Dianæ 380.137
Templum Herculis 382.395
Templum Veneris Vraniæ 383
Templum Cereris 383.389. Mycalesiæ 393
Templum Proserpinæ 383
Templum Neptuni 385.386. 387
Templum Eumenidum 387
Templum Mercurij Criophori 390
Templum Aesculapij 391.394
Templum Pallados 395
Templum D. Mariæ 410.436
Templum Dionysij 434
Templum corporis Christi 439
Templum S. Gouari 446
Templum Aeaci 260
Tegulæ marmoreæ 381
Theophylactus Pontifex magus 22
Theodoricus Ostrogothorum rex 24.188
Theodosius Imperator 46.416
Thamus Aegyptius 88

Thespesion dux Gymnosophistarum 130
Thomas monachus 42
Theotecnus 130. 148
Chelys 137
Θ litera 146
Thesaurus defossus 204. 205
Thales milesius 262
Thrasyllus artis Chaldaicæ peritus 263
Theron rex Hispaniæ 382
Thebea legio 440
Thessalonicenses 460
Tiberius Imperator 244. 263. 318
Tibertus 269
Timoleon 346
Tit. Latinus 354
Tiburtius præsbyter 477
Titus Imperator 236
Tormentorum perferendorum constantia 128. 170. 171
Tortelli 3
Trium Regum corpora visa Coloniæ 402
Tributum inhumanius exactum 14
Tuillæ 44
Transmutatio in feras 160. 161. 126. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225
Triscalanum 210
Tullus Hostilius 138
Tuccia virgo vestalis cribro aquam haurit 138
Turris ruina 205
Tumuli filiarum Scedasi 279
Tumuli in Gothia 296
Tumultus 400
Tunica Mederici Abbatis 422
Tundalus perlustrauit purgatorium & infernum 465
Tyndarides fratres nuncij victoriæ 30. 52
Tympani castrensis sonus 110.

V.

Valentinus Episcopus Arrianus 54
Valens Imperator 147. 164. 355. 401
Valerius Torquatus 241
D. Valerij tumulus per ampullas inuentus 426
Venceslaus IIII. Bohemorum rex 441
Venter virginis omnis generis animantibus repletus 122
Ventre à venefica tacto fœtus interimitur 178
Venti sedati ab Empedocle 137
Venti venales exhibentur à Finnis 138. à Lappis 221
Venti per Dæmonem excitati 152
Venator caput apri Dianæ dicans ab eo interimitur 372
Venator in aëre cum canibus 166
Venator sui suffocatione inundationem sedat 373

Vetula

Vetulæ pudicitiæ puellarum sollicitatrices 172
Ventus calidus faciem mulieris afflans 179
Veientes 242
Vergiliæ 262
Velitri patria Augusti Cæsaris 314
Vespasianus 340. 344
Velocitas pedum 370
D. Vedasti ossa 428
Veneta vrbs 435
Veter lacus
Vestem oppignoratam redimit quidam hostia 450
Virunculi montani 45
Vitolfus Helsingorum princeps 129
Visus fascinatio 129
Viri nigri in balneo ex canali prosilientes 145
Vitrum euomitur 156
Viscera equina ad ædes sagæ circumferri solita ad indagandam eam quæ equum læsit 206
Vincere meliores 248
Victoriæ simulachrum 363
Virginum 11000. corpora visa 402.433
Vincula 455
Virgilij Spiritus 94
Vladislaus I. Rex Poloniæ 38.427
Vlmus loquitur 130
Vlciscimini vos aut moriemini 212.227
Vladislaus Iagello Poloniæ Rex 271
Vlysses 331
Vladislaus & Geysa fratres 415
Vlricus Neusesser agricola præ doloribus mortem sibi consciuit 157. 228
Vmbra mortem minans in aqua conspecta 55
Vnni 115
Vngue puerili visuntur res occultæ 204
Vngendo ianuam homines cæsi
Voces auditæ 90. 91. 92. 98
Vox audita Iesu Christe & Maria 403
Vox è statua 422. 423
Voce vna necans saga 228
Votum 367.371.431.432
Vratislaus Dux Lucensis 127
Vrsa à Pythagora demulcta 140
Vrna vitrea 259
Vrsa Dianæ 390
Vrsinus Nursiæ præsbyter 468
Vulpis spectrum 60
Vxor maritum veneno tollere volens 170.

X.

Xerxes 237. 241. 259. 348.

Z.

Zacharias Propheta apparuit 413
Zemi Idolum 244
Zeno Imperator 277. 311
Zita arabum princeps 267
Zoroastres rex Bactrianorũ 115.

FINIS.